QUAESTIONES

SCRIPSIT

CAR. AUG. JUL. HOFFMANN

GYMNASII CELLENSIS CONRECTOR.

VOLUMEN PRIMUM.

Insunt quaestiones tres:

I. De caesuris et numeris versus Homerici.
II. De hiatu.
III. De syllabis finalibus brevibus, quibus in producendis ab usu poetarum reliquorum fere recedere videtur Homerus.

CLAUSTHALIAE.

REDEMIT ADOLPHUS SCHWEIGER.

MDCCCXLII.

Corrigenda.

Pag. 12.	lin. 3.	lege prae-	pro prae.
„ 23.	„ 2.	„ daeum	„ daum.
„ —	„ 4.	dele sibi.	
„ 26.	„ 8.	lege demonst.	pro dcmonst.
„ 31.	„ 6	„ narra-	„ narrra-.
„ 101.	Quae leguntur sub numero 4, pertinent ad caput tertium (p. 107.).		

MEMORIAE

FRIDERICI AUGUSTI WOLFII.

PRAEFATIO.

Defuncti hominis nomini consecrans has, quarum nunc particulam edo, quaestiones et pietatis praestiti ea officia, quae, qui exercent artem, artis inventori praestare debent; nec obscure indicavisse mihi videor, ad quae signa constiterim in hac pugna, quae coorta est de origine compositioneque carminum Homericorum.

Quod quidem certamen tantum abest ut hoc ipso tempore possit componi, ut multo majore opus sit virium contentione. Jam enim, cum, quae de hac re colligi possunt e variis antiquitatis testimoniis, accuratissime omnia sint congesta eademque ita inter se collata, ut, quid certum sit, quid dubium, satis constet: id maxime videtur esse agendum, ut, quid differant inter se singulae carminum partes et quibus in rebus concinant, ex ipsis carminibus demonstretur jacianturque hoc modo quaedam quasi fundamenta, quibus, ut justa fiat de summa totius rei disputatio, nunc non possumus

egere. Missis igitur, quae ex historia carminum Homericorum peti possunt, argumentis ad ipsa carmina quasi revocans quaestionem, si hac praefatione demonstravero quonam modo meis quaestionibus sperem me certa fundamenta esse jacturum, mihi quidem satisfecero. Nam ad finem perductis his quaestionibus si constabit de singulis horum carminum partibus; intelligitur fore, ut aut comprobentur, quae de eorum historia docti homines disseruerunt, aut improbentur. Patet igitur iisdem finibus has quaestiones contineri, qui diu sunt constituti; nec fere novi quidquam posse accedere, nisi quod sit intra hos fines. Attamen quamvis eadem sit etiam harum quaestionum summa: cum singulas partes susceperim tractandas nec ad finem, quem dixi, possim pervenire, nisi confecto longo itinere; suo jure videntur postulare lectores, ut, quid de origine et compositione carminum Homericorum nunc censeam, breviter demonstrem.

Profiteor quidem in ipso disputationis principio collatis, quae huc pertinent, rebus paene ad eandem sententiam me esse perductum, quam de hac re dixit Fridericus Ritschl (de biblioth. Alexandrin. pag. 70.); sed nescio tamen, an epicae poesis, quae aliarum fuit gentium, reliquarumque artium comparanda historia quaedam hujus sententiae partes accuratius possint intelligi et definiri. Quare quamvis, quod omnibus ex partibus novum sit, nihil possim afferre; tamen eo confidentius in

hanc disputationem ingredior, quo certius scimus, duo si dicant idem, idem non esse.

Atque ex quo de hac re primus disseruit Fridericus Augustus Wolfius, demonstraverunt homines docti: primum, poesis epicae, qua antiquiorem esse lyricam non potest effici, initiis superari usum literarum; deinde, ex mythis peti epicae poesis argumenta; tum, non universos mythos initio tractari a poesi epica, sed breviora esse carmina et eligi quasdam universi mythi partes. Et de his rebus puto nunc satis constare. Primum enim si antiquissima est poesis epica, ea quidem artis scribendi aetate est antiquior, qua literis mandantur poemata. Deinde quod diximus e mythis peti hujus poesis argumenta, ex eo facile intelligitur, quod antiquissimis temporibus et quae moralia sunt praecepta et quae ad religionem pertinent aut ad historiam, mythis fere continentur. Breviora autem esse carmina et partes tantum mythorum hac poesi tractari cognitum est ex iis, quae de antiquissima omnium gentium poesi epica nunc satis multa comperimus. Hujus rei ne desint exempla, provocamus ad Serborum carmina et Hispanorum et Germanorum et ultimae Thules. Et in prooemio antiquissimi ejusmodi carminis Germanici, quod est de Hildebrando, ipse poeta videtur aperte narrare, hanc mythi partem fuisse cantatam. Ut alia mittam, quis non meminerit hujus aetatis epicae imaginem nobis referre in carminibus Homericis Phemium et Demo-

docum? — Nec minus constat haec antiquissima carmina mox populi ore circumferri, ideoque vel ab iis cani, qui ipsi non sunt poetae. Conferant lectores, quae de hac re tradidit Gervinus (hist. poes. German. I. pag. 59.); meminerint Achillem apud Homerum canere κλέα ἀνδρῶν, Iliad. ι, 189. coll. 524. sqq. Quibus carminibus ut facillime vulgus potiatur, non eo solum efficitur, quod validissima est antiquissimis temporibus memoria (Caesar. Bell. Gall. VI. 14.); nec, quod breviora sunt carmina — quanquam multum valet utrumque: sed ipsa etiam poesis natura et ratione. Primum enim quantum fieri potest maxime ad mythum, qualis ab omnibus fertur, se conformat poesis; deinde, quae narrantur, et breviter narrantur et quae minoris sunt momenti omittuntur fere aut negliguntur, nec commissurae haec poesis studet; postremo, quod maximum est, multa paene iisdem verbis et quasi formulis narrandi describuntur. Versum autem scimus esse satis rudem, nec politam orationem.

Sed excoluntur usu ingenia hominum, excolitur ars. Eruditur paulatim versus, oratio politur, accuratior exsistit narratio. Mox differunt multum a vulgo poetae, quod eo redditur fastidiosius, quo eruditiores fiunt poetae; eo minus canit ipsum, quo poetas audit studiosius. Ita ad finem pervenit epicae poesis aetas prior. Ambiguo enim hoc utens nomine eam intelligo artis epicae aetatem, qua,

quae facta sunt a poetis carmina, mox vulgo feruntur. Patet autem non puncto temporis hanc finiri aetatem, sed paulatim; et, cum alia sit aliorum populorum indoles, esse nonnullos populos, qui ad alteram epicae poesis aetatem nunquam pervenerint. Jam quo modo hac priore aetate excolatur poesis, qui vult intelligere, conferat antiquissimum illud, quod supra demonstravimus, carmen Germanicum cum recentiore eo, quod ex sancta scriptura confecit poeta Saxo. Ut argumenta carminum mittam, intelliget eundem esse in universum narrationis colorem, eandem versus formam; sed multa tamen mutata, accuratius politam orationem, commissuras minus neglectas.

Ineunte altera aetate epica in summo fastigio est epica ars. Versu utens erudito narrat ita, ut, quamvis majorum potissimum rerum rationem habeat, tamen minores non negligat; formulis dicendi quamvis non abstineat, tamen in commissuris tantum et in iis rebus enarrandis utatur, in quibus ineptum est magna spectare; conjungat denique accuratius singulas narrationis partes. Et cum singula mythorum argumenta brevioribus carminibus prior aetas complexa sit, quae carmina mythi quasi vinculo constringebantur: altera aetas in eo elaborat, ut omittendis quibusdam universi mythi partibus addendisque novis argumentis ad poeticam rationem fabulas conformet; in tractandis singulis rebus fines totius narrationis respiciat; eandem denique, quam

dicunt, ideam continuo teneat. Quae, quamdiu poesis quodammodo particeps est vulgus, fieri vix possunt; eo efficiuntur, quod a vulgo poetae recesserunt. Vides haec ita accidisse in carmine celeberrimo, quod est de Nibelungis; in quo quantopere mutatus sit mythus antiquior, quantopere mutata narrationis ratio versuumque forma, omnes sciunt, qui harum rerum sunt periti. Qua poesi non potest facile vulgus potiri; nam multa licet insint antiquioris poesis vestigia, tamen nova quaedam est poesis. Ita accidit fere, ut antiquiora carmina conservet vulgus; poetae suo itinere pergant, nec, quominus in summum fastigium perveniant, turba quasi viatorum impediantur.

Hoc modo priorem aetatem epicam et artis fastigium si recte demonstravi; eo rem mihi videor deduxisse, ut carmina Homerica non ad priorem aetatem, sed ad alteram me referre facile perspiciant, qui et versus Homerici et narrationis naturam formularumque noverint usum. Ita ut statuam magis etiam movet utriusque carminis argumenti dispositio, de qua egregie egit Nitzschius (de hist. Hom. II. pag. 20 sqq.). Patet enim primum, non universum mythum Trojanum his carminibus tractari, sed electas esse quasdam mythi partes. Patet vero etiam poeticam magis esse utriusque carminis conformationem, quam mythicam. Quamvis enim ita differant haec carmina, ut, quantum fuerit poetae ingenium, ex eo potissimum in Iliade intelli-

gatur, quod, quae narrantur, ira Achillea continentur omnia et hunc quasi finem respiciunt, ut ideae igitur magnitudine gravitateque maxime insignis haec sit epopoeia; at in Odyssea niteat sapientissima argumenti dispositio et egregius rerum ordo, forma igitur totius carminis: tamen poeticae facultatis perspicitur hos esse ambos fines, utrumque quasi ejusdem Parnassi excelsum cacumen. Hanc igitur ego poeticam utriusque carminis conformationem intelligens non possum quin damnem eam Wolfii sententiam, qua dixit Iliadis postremos sex libros initio ab hoc carmine defuisse (Prolegg. p. 137.); et puto falli, qui ejusmodi conformationem ipsa mythi natura effectam esse contendant. Quam quidem tantum abest ut collectis temere singulis rhapsodiis postea demum effici potuisse crediderim, quod ne ipse quidem credidit Wolfius (Epp. ad Heyn. dat. pag. 22.), ut unius poetae animo conceptum fuisse hunc utriusque carminis ambitum mihi persuasum habeam. Illam enim nunc mitto quaestionem, num Iliadis et Odysseae idem fuerit auctor. Sed hic poeta, qui utriusque carminis quasi nervos constituit, mihi eodem modo est Homerus, quo est Nitzschio et Friderico Ritschl; nec recte censuisse puto Wolfium, qui dicat, esse quaedam vestigia, ex quibus primum utriusque carminis auctorem appareat non universum utrumque animo concepisse, sed, quae initio fecerit carmina breviora, paulatim amplificasse. Quod si

ita fuisset, patet vix exsistere potuisse eam carminum conformationem, in qua nec ultimis prima, nec primis ultima possunt egere.

Quaeritur autem, quid ex antiquiore poesi Homerus, ut utar hoc nomine, receperit. Atque dubito ego, num antiquiora carmina breviora suum in fabulae ambitum integra potuerit recipere. Nam adeo haud dubie ipse superavit epicam artem aetatis prioris, ut, quae facta essent ante eum carmina, facili negotio ita posset mutare ut nova esse viderentur. Immo necesse est eum ita fecisse nec quidquam debuisse aetati priori praeter excultum ingenium et multa fabulae argumenta et formulas quasdam dicendi et versum paulatim eruditum. Auxit ipse haec omnia, argumenta conformavit ad rationem poeticam.

Atqui multis modis haec antiquissima Homeri carmina esse mutata nemo nunc negat. Quaeritur igitur quonam modo mutata sint. Jam utriusque carminis quasi nervos ab eodem poeta esse constitutos quamvis facillime concesserim; intelligitur tamen multa inesse, quos nervos nullo modo possis dicere. Nec eo multum juvamur, quod demonstravit Nitzschius, pulchrum esse et egregium vel in Iliade rerum ordinem. Nam quod pulchrum est, ne artis quidem in operibus omnino est necessarium. Concedo item eundem fuisse Arctini temporibus utriusque carminis ambitum, id est eosdem

fines, qui nunc sunt. At intra hos fines quam multa poterant quidem aliter esse constituta!

Constat autem ex antiquitatis testimoniis sectam fuisse Homeri, quae conservarit hujus poetae carmina. Fingamus igitur ejusdem sectae principes accuratissime ab ipso Homero haec carmina esse edoctos; fingamus religiose haec carmina conservavisse. Attamen non evanescit puncto temporis facultas poetica; nec, qui post summum poetam poetae sunt recentiores, sunt repente pessimi. Jam qui hujus sectae fuerunt principes, si ipsi fuerunt poetae; nam quin fuerint vix potest dubitari: sequitur, ut ad exemplum Homeri se composuerint, nec tamen ita de sua desperaverint facultate, ut quasi caecutientes imitarentur. Concedo quidem, quod est admodum verisimile, memoria tenuisse universi carminis utriusque poeticam conformationem et quasi ideam; sed multa haud dubie addiderunt. Hoc eo facilius potuit fieri, quod Homeri illa carmina, jam initio satis longa, vix iisdem in locis et coram iisdem auditoribus sunt cantata (Hermanni sunt verba). Et hoc cum inter doctos homines nunc paene conveniat, de recentiorum poetarum ratione ex universa artium historia potest fortasse satis recte concludi. Docet enim haec historia, quibus temporibus maxime floreat ars et vigeat, his eo potissimum excellere artifices, quod et magna concipiant animo efficiantque opera et singulas eorum partes accurate tractent. Contra quae proxime se-

quitur aetas, huic ut ad magna animo juste concipienda desunt vires et nervi (nam quae magna sunt apud antiquiores et justo modo ab iis temperantur, apud recentiores saepe fiunt ingentia pulchritudinisque modum solent relinquere, cf. Od. Mülleri Archaeolog. §. 148.); ita ad minores res accuratissime pulcherrimeque tractandas paene sollertior est et magis idonea. Desinit ideae magnitudo et gravitas; insignis est artificiosa minorum rerum tractatio. Illa enim innata est hominibus; hanc, nisi pingue est ingenium, ipsa disciplina possumus paene edoceri. Mox quae bella sunt magis amantur quam quae pulchra. Jam Homerum si verum est universam carminum conformationem effecisse; possunt tamen quaedam horum carminum partes quasi in transitu fuisse tractatae, quae quin exornari potuerint et amplificari non licet dubitare. Quod quo saepius fiebat, eo magis evanuisse totius operis antiquam conformationem consentaneum est. Hac ratione vel id potuit fieri, ut et antiquissimorum carminum quaedam partes ad recentioris poesis indolem totae novarentur, et singula conficerentur carmina, quae antiquam fabulae conformationem minime respicerent. Constat apud Germanos ita accidisse.

Hoc igitur quasi orbe contineri videtur ars epica, ut initio singulis mythorum partibus tractandis delectetur, quae partes quodam mythi vinculo constringuntur; mox, ubi aucta est usu et ratione

facultas poetica, unum corpus efficiat plurium fabularum et ad poeticam rationem conformet; postremo augendis quasi singulis membris novisque addendis totum corpus rursus dissolvat.

Exactis hoc modo compluribus saeculis ubi ad finem pervenit epica aetas, quod eo potissimum accidit tempore, quo lyricae artis (nam artem intelligo) jacta sunt fundamenta; colligi solent hujus aetatis monumenta, ne intereant quibus delectati sint majores, neve, quod paene idem est, contaminentur recentissimis quibusdam conatis, quae inferiora esse antiquioribus tum facile intelligitur. Atque doctioris aetatis cum sit talis collectio et a Pisistrato carmina Homerica esse collecta consensus antiquitatis doceat: quin vere ita factum sit eo minus dubito, quo certius nuper e scholio Plautino accessit hujus rei testimonium.

Patet autem in ejusmodi collectione id magis spectari, ut conserventur quae eadem quasi obducta sunt antiquitatis robigine, quam ut unum in corpus redigantur, quae uno tempore sunt confecta. Jam si constat amplificata esse antiquissima Homeri carmina, sequitur, etiam ea esse collecta, quae paulatim addita erant ad haec carmina. Deinde cum per totam antiquitatem servatam esse quandam poeticae utriusque carminis conformationis memoriam negari non possit; qui collegerunt operam dedisse verisimile est, ut conjungerent, quae, quamvis aliqua ex parte inter se differrent, tamen eodem vinculo

continebantur. Intelligitur autem, si recte supra disputavimus, et Odysseae singulas partes eo facilius potuisse accurate conjungi, quo magis ipso rerum ordine efficiebatur hujus carminis poetica conformatio; et paulo difficiliorem fuisse eorum carminum conjunctionem, quae ad Iliadem pertinebant.

Qualem igitur ego intelligam Pisistrati collectionem, non dubito quin ex iis, quae demonstravi, lectores perspexerint. Antiquitatis enim testimoniis permotus censeo a Pisistrato ita utrumque carmen esse constitutum, uti nunc legimus. Attamen vel ante Pisistratum nonnullas horum carminum partes ita collectas fuisse, ut minora quaedam quasi carminum corpora exstarent, negari vix potest. Quare Pisistratea illa collectio mihi est ea, qua, quae supererant carmina, paene omnia primum congesta sunt in majora corpora duo. Earum autem collectionum, quibus singulae carminum Homericorum partes congerebantur, haec collectio fuit novissima. De qua si licebit unquam accuratius quaerere: primum quaerendum est, quaenam singula carmina Pisistratus acceperit; deinde quasnam carminum partes acceperit in unum vel plura corpora congestas; tum quonam modo haec omnia composuerit. Patet autem tum demum ita posse quaeri, cum constabit, primum, quasdam carminum partes tam accurate inter se cohaerere et tantopere a reliquis differre, ut unum corpus efficiant; tum, esse in his corpo-

ribus vestigia, e quibus jam ante Pisistratum eadem concrevisse appareat.

Ergo haec, quae de collectione Pisistratea erit quaestio, summa erit et ultima. De qua re si nunc constaret; patet tamen non minus fore dubium, utrum, quae corpora carminum accepit Pisistratus, ab Homero ita fuerint constituta, an paulatim e variis carminibus concreverint. Quare nunc quidem praestat in universum quaerere, quicunque collegerunt haec carmina, quomodo agere potuerint. Ita enim quaerentes quosdam fines poterimus describere, quibus, quae de compositione carminum Homericorum aliquando poterunt effici, contineantur necesse est.

Atque epicae artis naturam et historiam si recte supra demonstravi, consentaneum est horum carminum, quae nunc habemus, quasdam partes confectas esse ab ipso Homero. Insunt vero etiam in iisdem, quae ad antiquissima Homeri carmina postea accesserunt. Horum duplex potest esse genus. Aut enim ad certas quasdam antiquissimorum carminum partes eo consilio ab ipsis poetis sunt addita, ut easdem amplificarent; quod sicubi factum est, patet tam firmo vinculo plerumque cum recentiore carmine antiquum fuisse conjunctum, ut vel in majore et ultima collectione vix liceret ea separare. Aut facta sunt eo tempore, quo, antiquo corpore paene dissoluto, ambitus quidem antiquissimi servabatur quaedam memoria, sed de singulis,

quae hoc ambitu continebantur, partibus minus constabat. Quae hoc tempore facta sunt, singula magis videntur fuisse carmina, quam carminum corpora; quae si ad novissimam collectionem singula ferebantur, patet ad extremum addi potuisse quandam copulam, qua cum reliquis carminibus continerentur. Potuit etiam accidere, ut, si forte idem argumentum duo tractaverant poetae, antiquior alter, alter recentior, aut deperdito antiquo carmine servaretur recentius; aut servata ambo carmina omissis utriusque carminis quibusdam partibus in unum conflarentur. — Hactenus demonstravimus, quid post Homerum et quasi in ejus secta ad antiqua carmina addi potuerit. Patet autem fuisse etiam aequales Homero poetas, simili modo, atque ipse fuit, prioris aetatis epicae progressu eruditos. Nec minus patet ab iisdem hujus mythi Trojani quasdam partes potuisse optime tractari. Potuit igitur fieri, ut vel horum poetarum quaedam carmina usque ad finem aetatis epicae servarentur et in ultima collectione inferrentur in ambitum carminum Homericorum. — Restat ut addamus, potuisse etiam a rhapsodis nonnulla idcirco inferri in carmina antiquiora, ut aut conciliarent sibi auditorum animos, aut, cum singulas tantum carminum partes recitarent, auditoribus prospicerent. Addiderunt fortasse tum gentium locorumque quasdam laudes, tum quarundam rerum aliquas causas, quibus, si universa recitata essent carmina, vix opus fuisset. Attamen

vel ejusmodi interpolationes *) nobis nonnullae possunt esse servatae. Non Atheniensium solum intelligo mentionem interdum incommodam, sed alia etiam prava atque inutilia, qualia illa sunt, quae leguntur Iliad. σ, 168. 185. 186. 356—368; quae recentissimis temporibus hoc modo esse inserta aliquando efficiemus.

Demonstravimus quid fieri potuerit. Quid sit factum ex accuratissima carminum pervestigatione poterit fortasse intelligi. De qua re si quando constabit, hae potissimum orientur quaestiones: primum, utrum, quae carmina videantur inter se differre, tempore tantum diverso sint facta, an sint vestigia, e quibus facta esse diversis locis concludere liceat; deinde, quando et quo loco quaedam carminum partes coaluerint; tum quomodo in conjungendis universis carminibus egerint Pisistrati socii. Mitto alia, quae aut sunt leviora; aut, cum de his rebus constabit, per se intelligentur; aut nunquam poterunt demonstrari.

Hactenus ne verbo quidem attigi eam quaestionem, quo primum tempore scripta sint carmina Homerica. Quae quaestio non tanti est momenti,

*) Mirantur fortasse lectores me hac voce supra abstinuisse. Possumus quidem interpolationes nominare ea omnia, quae addita sunt carminibus antiquissimis; sed praestat fortasse in carminibus epicis dicere ea, quae non ab ipsis carminum poetis, quotquot fuerunt, sunt addita, sed aut a rhapsodis aut ab iis, qui carmina collegerunt.

quanti esse putatur. Quamvis enim negari non possit, minus facile mutari, quae scripta feruntur; possunt tamen mutari. Quare breviter de hac re dicere licet.

Constat primum horum carminum auctores literarum usum vix novisse. Mitto enim interpolationes. Sunt quidem nonnullae carminum partes, in quibus, ut multum concedam, fieri videatur quaedam literarum mentio (Iliad. ζ, 169 — πολλά); nec tamen is usus literarum illo tempore videtur fuisse, quo satis longa carmina liceret perscribere. Quare ut antiquissima carmina paene integra servarentur, eo maxime effectum esse putamus, quod valida erat illis temporibus memoria et accurata poetarum rhapsodorumque disciplina. Attamen diu ante Pisistratum scripta fuisse haec carmina, vel potius omnes carminum partes (nam universam Iliadem aut Odysseam singulis voluminibus comprehensas ante Pisistratum exstitisse non potest demonstrari), non video cur negem. Hujus rei sunt quaedam, et ea certissima, in ipsis carminibus, qualia nunc feruntur, vestigia. Nam Pisistrati quidem aetate Athenis vix scribi potuisse οὗ οἱ, οὐ ἕθεν; nec facile, in Homericis certe carminibus, ἐγὼ ἰδέειν satis patet. Quae cum ita sint, statuamus necesse est, non ex ore rhapsodorum, sed ex scriptis exemplis, quae aut minores carminum partes continerent aut plures rhapsodias in singula corpora redactas, Pisistrati tempore congestas esse Iliadem et

Odysseam, quales nunc eas habemus. Qua in re quaedam servata sunt antiquae scripturae vestigia. Postremo admodum verisimile est et Pisistrati primum tempore in describendis universis carminibus, relicto prisco scribendi usu, adhibitas esse recentiores literas Ionicas, et male interdum intellectam esse scripturam antiquiorem. Nam ἕως ὅ, ὁμοιΐον πολέμοιο, all., quin eo tempore scribendi quidem errore invecta sint, quo de dialecti Homericae natura minus constabat, non potest dubitari.

Meam dixi de his rebus sententiam. Intelligitur dubia esse permulta, et esse in his, quae nunquam possint demonstrari. Attamen de multis nunc constaret, nisi historicis potissimum in quaestionibus constitissent utrarumque partium propugnatores, Wolfius et Nitzschius. Hujus quidem rei culpam non possum quin in Wolfium conferam. Etenim, si quid ego video, longe aliter orta est ingeniosa illa Wolfii sententia, aliter demonstrata in Prolegomenis. Ea enim ingenii vi maxime insignis Wolfius erat, qua sentimus, quid differant inter se, quae simillima esse vulgo putantur. Quare maximi facio illa, quae dixit in Prolegomenis, pag. 137. 138., et quae similia multa addidit in Epp. ad Heynium datis pag. 8 sqq. 22. Quae si quis confert cum iis, quae in Prolegomenis nunc leguntur; fieri non potest quin intelligat, eo animi acumine, quod supra demonstravimus, Wolfium, quantopere inter se differrent permultae carminum

Homericorum partes, et mature sensisse et accurate. Sed quominus rem accurate demonstraret, hoc impediebatur, quod natura erat inquietior (cf. Hermann. praefat. ad Odysseam Tauchnitz.), unde fiebat, ut quaereret libentius, quam lectorum in usum rem exponeret. Ita accidit, ut, cum argumenta essent colligenda, ea potius conquireret, quae peti poterant ex narrationibus veterum; quae uti facilius inveniebantur, ita majorem veritatis speciem prae se ferebant: at singulorum carminum accurate inter se comparandorum ingentem laborem in aliud tempus differret. Nam consistere in iis, quae demonstraverat, ne ipse quidem volebat (Cf. Epp. ad Heyn. p. 16.). Quo magis est dolendum, quod, cum primo plerisque stuporem injecisset, mox ingentem tulit applausum et inimicissimum hominem suam gloriam vidit appetentem. Illo tempore si exstitisset Nitzschius, iisdem doctrinae copiis instructus, quibus nunc excellit, et praeditus eadem vi ingenii, qua, quid similitudinis intercedat inter res dissimiles, vel ibi perspicit, ubi de similitudine plerique desperant; mihi persuasum est, aliter rem fuisse casuram. Excitatus enim, natura impiger, Wolfius haud dubie multa demonstravisset, quae nunc jacent operta et jacebunt fortasse semper. Quanquam, quae humanae vitae est condicio, illo tempore multa ne poterant quidem demonstrari, quae nunc facillime intelliguntur.

Nunc totius rei summa redit ad accuratam car-

minum pervestigationem. Nam singulas carminum partes maxime inter se differre, quin rectissime Wolfius censuerit, hoc minus potest dubitari, quod in ejus partes ivit, qui est harum rerum judex sagacissimus, Godofredus Hermannus; qui quae breviter olim demonstravit (Orphic. pag. 688.), mox auxit (cf. praefat. ad hymn. Hom.), multos post annos non potuit adduci ut improbaret (cf. praefat. ad Odyss. Tauchnitz.). Indicavit idem singula totius quaestionis capita.

Sunt autem hujus disputationis quinque potissimum partes. Primum quaerendum est, num eadem per utrumque carmen servata sit idea, quam dicunt homines elegantes, et conveniant narrationis singula argumenta; deinde, num eadem sit in singulis horum carminum partibus ratio narrandi et describendi; tum, quid in rebus, quae commemorantur, geographicis, historicis, mythologicis, haec carmina differant; postea, sitne quaedam in rebus grammaticis discrepantia; postremo, quomodo differat versus.

Atque quam primam dixi quaestionem; hujus pars prior, num eadem per utrumque carmen servata sit idea, ad elegantiae judicium, quod aestheticum nominant, redit tota. Demonstrata universi carminis idea primum quaerendum est, utrum, quae in singulis libris narrantur, cum ea concinant, an videantur ab ea recedere. Tum eodem modo de singulis narrationibus agendum est, ut efficiatur, quo-

nam vinculo contineantur narrationis partes et num conveniant inter se, an discrepent. Nec minus accurate demonstretur necesse est, quomodo personas, quae insignes sunt in utroque carmine, poeta finxerit et num, quae faciunt sive loquuntur, conveniant cum earum indole et moribus. Patet hac quaestione multum profici posse, sed tam multa etiam alio modo ab aliis posse intelligi, ut summis saepe de rebus certo concludere vix liceat ideoque secundaria putanda sit haec ratio quaerendi. Non nego multum in hac re praestitisse Nitzschium et vidisse eundem ingeniosissime quarundam rerum vincula recondita: attamen, quae apta sunt et pulchra, non eadem omnia esse necessaria supra diximus; neque adeo post Homerum verisimile est repente evanuisse poeticam facultatem, ut, quae addiderint poetae recentiores, haec sua natura manca esse et inepta statuere liceat. Quare timeo, ne meliores sint architecti, quam fabri, qui ex his potissimum rebus de origine compositioneque carminum Homericorum statuunt. Ambiguum sane hoc est elegantiae judicium, quo multo facilius potest demonstrari pulchrum esse et bonum, quod est; at aliter fieri non potuisse non item facile demonstratur. Sequitur, ut subsidiaria potius sit haec quaestio, cujus quasdam partes praeter Nitzschium bene tractaverunt Düntzerus et Geppertus. — Altera autem quaestionis pars, num conveniant inter se narrationis argumenta, si caute agitur, multo faci-

lius potest tractari. Intelligo enim nunc talia, qualia leguntur Iliad. ε, 576. ν, 658.: ea igitur, quae aut fieri non possunt, aut sibi videntur obstare, aut sunt minus verisimilia. Horum nonnulla post Wolfium attulit Düntzerus. Cavendum est tamen, ne, quod eidem accidit, falso intelligamus, quae recte se habent. Ut exemplum addam, Iliad. ε, 786—791. fortasse hyperbole utitur Juno, quo magis excitet Achaeorum animos. Sed ne hac quidem explicatione omnino est opus. Patet enim non recte intellectum esse a Düntzero versum 700. Fugiunt sane Achaei (605. 701.); sed fugiunt conversi ad Trojanos, non conversi ad naves (οὔτε ποτὲ προτρέποντο μελαινάων ἐπὶ νηῶν). Cf. Düntzeri librum, qui est de carminibus Homericis et cyclic. pag. 61. Nec minus cavendum est, ne, si quae sunt in narrationibus omissa, quae per se possint intelligi, ea re nimis confidamus.

Secunda quaestio, num eadem sit in singulis horum carminum partibus ratio narrandi et describendi, partim ad elegantiae pertinet judicium, partim est quasi rhetorica et spectat ad orationis conformationem. Priorem quaestionis partem quod attinet, primum quaerendum est, quaenam multum valeant in narrationibus res, quaenam minus; deinde, quomodo utraeque in singulis carminibus sint tractatae. Qua in re id maxime est demonstrandum, quomodo describantur, quae minoris videantur esse momenti; num accuratius describantur in

quibusdam carminum partibus, brevius et quasi in transitu in aliis. Deinde argumenti habenda est ratio, ne, quae argumento a reliquis differunt, si longiorum narrationum sunt partes, eadem, cum diverso utantur colore, putemus alio tempore esse inserta. Nam quae veluti in primo Iliadis libro leguntur inde a versu 305., ipso narrationis colore differre a priore hujus libri parte; et versuum 430 —487. quietiorem esse narrationem, quam proximorum, quis mirabitur? Sequitur similia primum conferenda esse cum similibus. Atque hac ratione si agimus, paulatim ita acuitur judicium, ut vel dissimillimis in rebus quandam invenire possimus discrepantiam, quae non ex ipsorum argumentorum dissimilitudine, sed ex ingenio nascatur poetarum. Fateor difficile hoc esse in carminibus Homericis, quae constat omnia eundem habere colorem. Sed potest tamen fieri. Memini enim Carolum Odofredum Müllerum, praeceptorem dilectissimum, olim dicere, eum hymnum, qui est in Apollinem, ab Homero posse esse confectum; neque, quin recte ita statui posset, me tunc dubitavisse. Accidit autem, cum per tres annos hunc hymnum non legissem, ut perlecta saepissime Iliade ad eum reverterer. Quid multa? Intelligebam quid distarent aera lupinis. Non igitur desperaverim de hac quaestionis parte difficiliore. — Alteram partem dixi spectare ad orationis conformationem. Hac in re primum quaerendum est, quaenam videantur

esse et dicendi formulae et narrandi; deinde, num idem sit harum formularum usus in variis carminum partibus; tum, quasnam formulas ex antiquiore poesi acceperint carminum auctores, quasnam ipsi addiderint. Patet permulta huc pertinere. Agendum est de versibus, quibus ad alias res transit narratio; de epithetis, quibus eaedem, seu similes res ornantur; de vocibus iis, quarum eadem est notio (ita veluti φάεα, oculi, saepe legitur in Odyssea; nunquam in Iliade). Nec minus accurate demonstretur necesse est, quaenam sit similibus in narrationibus, veluti in pugnis, structura verborum, si idem est rerum ordo et exitus; quaenam comparationum forma ac ratio. Mitto alia. Cavendum est tamen, ne nimium tribuamus his rebus; neve illis magnopere commoveamur, quae semel leguntur.

Tertia, quam dixi, quaestione id est efficiendum, ut demonstretur poetarum quasi doctrina et scientia, non indoles. Quaerendum est igitur, quasnam regiones poetae noverint et utrum accurate an secus; quid tradatur de hominum cultu, moribus, institutis, artibus; quid de cultu deorum; quaenam fabulae commemorentur, quaenam res historicae. Qua in re quantum profici possit ex accuratissima comparationum pervestigatione, inter omnes constat. Constat item de his potissimum rebus homines doctos diligentissime quaesivisse. Sed vereor tamen, ne horum nonnulli, conjungendi componendique studio inducti, neglexerint quaedam

vestigia, ex quibus de carminum discrepantia justa fieri potest conclusio.

Quartam quaestionem, quae est de rebus grammaticis, quam maximi facio, nunc licet silentio praeterire. Quae quibus finibus contineatur nemo ignorat. Patet eo graviorem eandem esse futuram, quo magis constabit de singulis linguae Graecae dialectis.

Venio ad quintam quaestionem, quae est de versu Homerico. Hanc quanti ego faciam et qua ratione putem tractandam, ex iis lectores intelligunt, quae in hoc libello disputavi. Patet autem singulorum poetarum paene nullam rem tam esse propriam, quam est versuum forma. Atque id est hujus quaestionis robur, quod, cum multi sint vel breviorum narrationum versus, non deest facile exemplorum multitudo. Qua re commotus ita egi, ut hac quaestione tanquam reliquarum fundamento uterer; qua quidem neglecta nec de universa dialecti Homericae natura, nec de dicendi narrandique ratione constare potest. Has enim quaestiones ob eam causam censeo omnium plurimum valere, quod, quae iis possunt demonstrari, nec alio modo ab aliis possunt intelligi, nec facile omnia casu accidisse in carminibus Homericis existimanda sunt. Intelligitur autem, cum idem sit omnium carminum sonus et habitus, ita agendum esse de his rebus, quae spectant ad verborum, narrationum, versuum formas, ut, demonstrato utroque ejusdem usus fine,

primum quaeratur, quaenam carminum partes longissime distent, quaenam mediae sint inter utrasque; deinde, utrum ad finem propius accedant ea carmina, quae sunt inter utrumque; tum, quomodo differant inter se ea ipsa, quae alterum utrum finem attingunt. Qua in re postremo quaerendum est, num locis potius diversis orta sint ea carmina, quae tempore diverso facta esse vix videantur.

Demonstravimus universae quaestionis, quae est de discrepantia carminum Homericorum, summam et quasi capita, de quibus nisi adhibitis ad eam rem omnibus, quas supra diximus, quaestionibus, non potest recte disputari. Adhibebimus igitur nosmet ipsi illas quaestiones, ubi ad finem perduxerimus quaestionem metricam, cujus alteram particulam nunc edimus. Liceat igitur nunc mittere reliquas, quae huc pertinent, res, et pauca addere de nostro libello, quae plura essent, nisi melius visum fuisset in ipsas quaestiones inferre, quibus hae egere vix poterant.

Atque primum cavendum est, ne inscriptionem lectores mirentur. Inscriptus est enim libellus Quaestiones Homericae; insunt autem Iliacae potius quaestiones. Cujus rei haec est ratio, quod, quantum fieri potuit, id egi, ut de singulis rebus constaret ex Iliade. Ubi rariora fuerunt alicujus rei in Iliade exempla; ut justa fieret conclusio, Odysseam adhibui. Hac ratione ubi singulas quaestiones metricas absolverimus, addemus comparatio-

nem Odysseae, ut existimetur, utrum concinat his in rebus cum Iliade, an ab eadem differat. Ita agere utilissimum visum est. Nam si quid ego video, ex eo potissimum maximum detrimentum cepit res Homerica, quod, qui de his rebus quaesiverunt, Iliadem una cum Odyssea itemque cum hymnis et carminibus Hesiodeis tractare fere consueverunt. Qua in re cum, quo plura afferuntur exempla, eo plura sibi obstent, multo difficilius est demonstrare, quid differant inter se haec carmina. Praestat sane in praesentia abstinere et hymnis Homericis et Hesiodi carminibus, de quibus, nisi constabit antea de usu Iliadis et Odysseae, non poterit recte statui. Iliadem autem duabus de causis universae quaestionis fundamentum esse voluimus. Quarum altera est, quod minus arcto vinculo continentur hujus carminis partes, quam Odysseae; altera, quod Odyssea antiquiorem esse Iliadem ad unum omnes censuerunt. Meis igitur in quaestionibus si qui loci afferuntur non addito carminis nomine, intelligenda est Ilias.

Nec minus fortasse mirantur lectores, quod post Spitzneri librum doctissimum, qui est de versu heroico, omnino ingressus sim in has quaestiones. Attulit sane illud diligentia Spitzneriana incommodum, ut lectores doctrinae impedimentis et quasi mole obtunderet; unde factum est, ut post hunc librum, in quo, quae secernenda erant, mixta sunt multa, de his quaestionibus plerique despera-

rent. Desperavissem haud dubie ego ipse, si — horribile dictu — librum prius novissem. Maximo enim carminum Homericorum amore captus eram ex eo tempore, quo in schola Clausthaliensi prima linguae Graecae elementa edocebar a praeceptore praestantissimo, Rudolpho Steinmetz, qui, quae nativo quodam pulchritudinis sensu ductus ipse amaret, tam egregie probabat discipulis, ut idem omnes sentientes jurare in verba magistri non dubitaremus. Nec cesserat postea hic amor, auctus in dies a viris summe semper mihi reverendis, Guilielmo Elster et Henrico Niedmann. Ita evenit, ut, cum Homeri carmina mox ipse discipulis explicarem, primo meum in usum de quibusdam rebus quaerere instituerem et cum nonnulla invenissem, quae neglecta esse ab hominibus doctis viderentur, libros conquirerem, in quibus easdem res tractatas esse sciebam. Inter quos cum accepissem librum Spitznerianum et a Spitznero non solum omissa essent, quae invenisse mihi videbar, sed etiam displiceret ejusdem ratio quaerendi; cum meum in usum quaererem, seposito libro mea ratione uti constitui. Ac primum quidem quaesivi de vocalibus brevibus, quae sunt in hiatu, de digamma inde conclusurus; mox intellexi, ut magis de digamma constaret quaerendum esse de vocalibus longis diphthongisque in hiatu productis; accessit tertia quaestio, quae fuit de syllabis brevibus caesurae vi productis. Quibus quaestionibus cum am-

plissimam disputandi materiam congessissem; quo certius de his rebus statuere liceret, quaesivi de caesuris et numeris versus Homerici. Hac quoque absoluta quaestione ultro impulsus sum, ut quaererem quibusnam rebus apud Homerum caesura impediretur. His igitur quaestionibus mea ratione ad finem perductis adhibui doctorum hominum libros, ut, omissis in universum iis, quae satis ab aliis essent demonstrata, ea potius exponerem, de quibus minus constare intellexissem, aut quae ab aliis tractata addendis novis argumentis magis probare posse mihi viderer. Ea est enim causa, qua commotus Quaestiones libellum inscripsi, ut omissis nonnullis, quae huc pertinent, rebus liceret de iis tantum agere, quae ad intelligendam carminum Homericorum compositionem prae reliquis valerent. Qua in re cum id maxime esset efficiendum, quinam essent ejusdem usus fines: intelligent, qui harum rerum sunt periti, permulta demonstrata esse, si recte disputavimus, summae discrepantiae vestigia. Quae quominus nunc in unum colligerem, hoc sum impeditus, quod, quamvis diu absolverim eam quaestionem, quae est de digamma Homerico ante vocales literas initiali, quae plurimum valet ad totius rei summam; tamen hanc quaestionem multis rebus permotus hoc ipso tempore edere non potui. Inerit ea in volumine altero, quod, si ejus rei potestatem Deus Optimus Maximus fecerit, proximo anno me editurum esse spero. Quo hae contine-

buntur quaestiones: IV. De digamma ante vocales literas initiali. — V. Quaeritur, quomodo statuendum sit de locis Iliadis, in quibus neglectum esse digamma videatur. — VI. Quaeritur, quid ex quaestionibus superioribus de varia carminum Iliacorum aetate possit concludi. — VII. Additur brevis comparatio Odysseae. — VIII. De Iliadis libris γ — η non eodem tempore confectis.

Quas vero nunc editurus sum quaestiones, has multis ex partibus mancas esse me melius intelligit nemo. Ut illud mittam, sua natura mancas esse quasdam earum partes, quod cadit in prius potissimum caput quaestionis secundae: quominus melius rem gererem, multum impedivit vitae meae condicio. Quamvis enim quod otii fuit per quatuor amplius annos, quantum fieri potuit, Homero tribuerem; constat tamen in schola frequentissima et satis rara esse tempora subseciva et breviora. Saepe ut animum recrearem ad Homerum fessus accessi. Et insunt sane in hoc opusculo quaedam ejusmodi vestigia, quae difficile fuit omnia delere. Nam nec satis polita est oratio, per se admodum tenuis; nec commissurarum satis habui rationem: ideoque, si epicus essem poeta, ad priorem quam demonstravi aetatem epicam referendum esset opusculum. Sed confido tamen judicum aequitate et benevolentia, quos, quo rectius de quaestionum summa statui possit, oro atque hortor, ut, quae minus recte a me disputata esse videantur, humaniter redarguant.

Quod reliquum est, utor hac scribendi occasione ut et addam nonnulla, quae omissa sunt in quaestionibus, et veniam lectorum petam.

Atque venia petenda est, quod, cum in citandis scriptorum verbis constituissem iisdem accentibus uti, qui essent in contexta scriptorum oratione, mihi non constiti. Nam inde a pagina 79. ante interpunctionem non gravi accentu usus sum, ubi in contexta oratione gravis erat, sed acuto. Fugerat me haec differentia, cum vario tempore quaestiones conscriptae essent. Postea de ea re certior factus ab Alberto Lion, viro clarissimo, cui me multum debere libenter fateor, typographum nimia corrigendi molestia exagitare nolui. Ignoscant igitur huic rei lectores. — Contra ejus rei veniam non peto, quod numeralibus ordinalibus interdum usus sum, ubi ex Krebsii praeceptis, quae sunt in Antibarbari pag. 24., me distributivis uti oportebat; veluti in illis: elisione duae voces conjunguntur. Nam si recte Krebsius statuisset, falso diceremus, quod bene dicitur: homo duabus manibus utitur, et quae sunt similia.

Quae addam haec habeo. Egit de Odyss. *β*, 232. *ε*, 10. Benfejus in lex. radd. Graec. II. 222, statuens vocem *αἴσυλος* a digamma incepisse et suam interponens conjecturam (*ἀαίσυλα*), quae si vera esset, corriperetur *καί* particula. (cf. §. 60. pag. 75.). Non est tamen vera. Nam ut mittam, vocem *αἴσυλος* apud Homerum esse non justus, sed injustus, iniquus, neque unquam legi vocem *ἀαίσυ-*

λος; id maximi est faciendum, quod β, 230. ε, 8. non minus importuna est ejusdem particulae productio ante ἤπιος. Consisto igitur in iis, quae dixi pag. 75.

Sed commisi tamen in priore quaestionis secundae capite, quod vellem non commisissem. Cum enim intellexissem formas encliticas οἷ et τοι saepissime corripi in hiatu, produci autem rarissime; non potui quin dicerem de mala productione cogitandum esse, sicubi hae voces producerentur. Quod quin recte dixerim hucusque non dubito (cf. §. 60, 1. 2). Damno igitur nunc, quod dixi (§. 60, 2 ext.), ex producta voce τοι de digamma concludi non posse, nisi ubi haec vox esset particula affirmativa. Imo haec conficienda erat regula: molestam esse et malam vel in arsi omnium vocum encliticarum in hiatu productionem. Hae enim voces per se sunt infirmissimae, cum celeriter pronuntientur post voces superiores. Auget igitur in hiatu correptionem ipsa vocum infirmitas. Jam quod valet in οἱ (οἷ), τοι, τῳ, τευ (cf. pag. 71. annot.), necesse est valeat etiam in μοι et μευ. Cum enim τοι saepissime corripiatur (cf. Odyss. α, 1. 227. 341. β, 79. 136. 262. 305. 315. 354. γ, 208. 214. 246. 367. 420. δ, 105. 193. 319. 467. 585. 598. 634. 655. 642. 722. 736. all.), producatur rarissime (Iliad. κ, 291. φ, 360. ω, 716. Cf. §. 50, 4. — Odyss. ο, 435. κ, 425. — Mitto enim eas productiones, quae sunt in thesi, cf. pag. 77.); patet productionum paucitate maximam moveri suspicionem. Nec minor movetur suspicio productione vocis τευ, quae est tribus Odysseae lo-

cis in eodem versu: *κέκλυτε δὴ νῦν μευ, Ἰθακήσιοι, ὅ,ττι κεν εἴπω* (β, 25. 161. 229.), quamvis rarius omnino haec vox legatur. Nolo quidem de singulis locis nunc statuere, quos congessisse in praesentia satis habeo. Nam nisi absolutis omnibus his quaestionibus recte statui vix potest.

Sequitur autem, si recte disputavimus, eodem pertinere reliquas voces encliticas. Huc refero productiones particulae *πω*, quae sunt Iliad. ψ, 7. η, 433. (cf. §. 55, 2 ext.), Od. λ, 52.; quas advocanda forma *πως* (var. lect. est Od. ϑ, 538.) removere nolo. Patet denique eodem referendas esse productiones particulae *ἤτοι*: Iliad. β, 813. δ, 237. ϑ, 529. μ, 141. χ, 12. (cf. §. 55, 3.), quae, cum orta sit ex *τοι*, non minus productionis expers esse existimanda est quam *οὔτοι*. Sed de his rebus in quaestione sexta accuratius disputabo, missis nunc conjecturis etiam facillimis, qualis Iliad. μ, 141. proponi potest e scholiis (*τείως*). Restat ut lectores rogem atque orem, ne me lapsum esse in re difficillima aegre ferant. Jam, congestis omnibus locis, molestarum, quae in Iliade sunt, productionum hanc habent summam:

β, 813: *ἤτοι*. — δ, 237: *ἤτοι*. — η, 433: *πω*. — ϑ, 529: *ἤτοι*. — κ, 291: *μοι*. — μ, 141: *ἤτοι*. 320: *καί*, cf. pag. 76. — ν, 316: *καί*, cf. pag. 75.; 685: *καί*, cf. pag. 75. — ο, 290: *καί*, cf. pag. 73. — σ, 47: *καί*, cf. pag. 73. — φ, 360: *μοι*. — χ, 12: *ἤτοι*. — ψ, 7: *πω*. — ω, 570. 641: *καί*, cf. pag. 74. 75; 716: *μοι*.

Scribebam Cellis mense Sextili. MDCCCXLII.

INDEX.

Quaestio prima.

De caesuris et numeris versus Homerici.

Cap. 1. Quaeritur, quibusnam rebus caesura apud Homerum impediatur. §§. 1—9.
De vocibus encliticis. §. 2.
De *μέν*, *δέ*, *γάρ*, *οὖν*. §. 3.
De formis encliticis verborum *εἰμί* et *φημί*. §. 4.
De vocibus procliticis. §. 5.
De particula *καί*. §. 6.
De praepositionibus. §. 7.
De anastropha. §. 8.
De elisione. §. 9.

Cap. 2. De caesuris majoribus. §§. 10—12.
Caesurae pedis tertii. Quibus qui egent versus utuntur semiseptenaria. Quinam earum caesurarum sit usus in ultimis versibus narrationum comparationumque. §. 11.
Caesurae pedis quarti. §. 12.

Cap. 3. De ordinibus metricis majoribus. §§. 13—15.

Cap. 4. De caesuris minoribus. §§. 16—25.
1. Caesurae versum firmantes. §§. 17—21.
2. Caesurae versum efficientes molliorem. §§. 22. 23.
3. Caesurae versum debilitantes. §§. 24. 25.

Cap. 5. De interpunctione, quae est in versu Homerico. §§. 26—35.
Quomodo differat interpunctionis usus Homericus a poetis Latinis. §. 35.

Cap. 6. De numerorum, qui sunt in versu Homerico, ratione. §§. 36—44.
Numerus dactylicus. §. 37.
Numerus anapaesticus. §. 38.

Numerus amphibrachys. §. 39.
Numerus spondaicus. §. 40.
a. Spondaei, qui sunt pro anapaestis.
b. Spondaei, qui sunt pro dactylis.
c. De versibus, in quibus sunt quaterni spondaei.
d. De versibus spondiacis.
Numerus choriambicus. §. 41.
Quaenam ejusdem numeri per complures versus continuati sit vis. §. 42.
Pes sextus per se non multum valet ad rationem numerorum immutandam. §. 43.
Demonstrantur numeri Iliad. φ, 233—250. §. 44.

Quaestio secunda

De hiatu.

Cap. 1. De finalibus diphthongis et longis vocalibus, quae sunt in hiatu. §§. 46—60.
1. De productione nominum. §§. 47—51.
a. De thesi. §§. 47—49.
Theses infirmae, theses firmae. §. 47.
ῃ, ῳ, ου, οι. §. 48.
η, ω, ευ, ει. §. 49.
b. De arsi. §§. 50. 51.
(De correptione vocalis ῃ. §. 50.)
ῃ, ῳ, ου, οι. — η, ω, ευ, ει. §. 50.
αι, α. §. 51.
2. De productione particularum. §§. 52—55.
a. De thesi. §§. 52. 53.
ἤ, ἦ, εὖ, εἰ, μή, πρόσσω.
b. De arsi. §§. 54. 55.
ἤ, ἦ, εὖ, εἰ, μή, πρόσσω. §. 54.
Reliquae particulae. §. 55.
3. De productione verborum. §§. 56—59.
a. De thesi. §. 56.
εῖ, ει (εε), ᾶ, αι.
b. De arsi. §§. 57—59.
εῖ, ει, ᾶ, αι. §. 57.
αι, οι, ου, ευ. §. 58.
ῃ, η, ω. §. 59.

4. De vocibus οἶ, τοί, ἐπεί, καί, productis in hiatu. §. 60.
5. Appendix. Quae in thesi sunt productiones enarrantur ex ordine librorum.

Cap. 2. De brevibus vocalibus finalibus, quae sunt in hiatu. §§. 61—67.
Homerus hiatum non fugit, sed vitat. §. 61.
Quae vocales elisione non solent removeri, hiatum quovis versus loco possunt efficere. §. 62.
His opponuntur vocales quaedam infirmissimae. De κάμβαλε. §. 63.
Tertium est genus earum vocalium, quae tum elisione removentur, tum hiatum efficiunt. §. 64.
Nonnullae vocales breves esse falso putantur, cum sint longae vel ancipites. §. 65.
Excusationem e metrica versus ratione potest habere hiatus, si est in caesura trochaica pedis tertii, in fine pedis quarti, in thesi prima. §. 66.
De hiatu non excusato sive illicito. Ex antiquiore poesi eum hiatum recepit Homerus, qui solet esse in voce πότνια. §. 67.

Quaestio tertia.

De syllabis finalibus brevibus, quibus in producendis ab usu reliquorum poetarum fere recedere videtur Homerus.

Cap. 1. De syllabis finalibus brevibus, quae in consonas literas desinentes producuntur ante vocales initiales. §§. 68—76.
De thesi. §§. 69 — 72.
Etiam apud Homerum nonnullas ejusmodi syllabas esse ancipites. §. 69.
De substantivis in -ύς desinentibus. §. 70.
De πρίν, ὄρνις; de substantivis femininis desinentibus in -ις (ιδος), ις (ιος). §. 71.
Removentur malae lectiones quatuor. §. 72.
De arsi. §§. 73—76.
Syllabae breves caesurae vi productae. §§. 73—75.
Ex antiquiore poesi eam productionem recepit Homerus, quae fieri solet ante ὥς. §. 76.

Cap. 2. De litera ν paragogica productionem efficiente in thesi. §. 77.

Cap. 3. De syllabis finalibus brevibus, quae in vocales literas desinentes producuntur ante singulas consonantes initiales. §§. 78—94.

1. De terminationibus ancipitt.: αὐτονυχὶ simill., ἀντικρύ. §. 78.

2. De productis vocalibus brevibus. §§. 79—94.

De ἕως ὅ. §. 79.

Productionis possunt esse duae causae. §. 80.

a. De productionibus, quae efficiuntur natura consonae initialis. §§. 81—92.

1. De thesi. §. 81.

2. De arsi. §§. 82—92.

Arses infirmissimae. §. 82.

Multis in vocibus, quae nunc a singulis consonis incipientes scribuntur, fuisse Homeri temporibus binas consonas initiales. §. 83.

De initialibus literis Ϝϱ, γϱ, σϱ. §. 84.

De δϜ sive Ϝδ. §. 85.

De Ϝλ, γλ, σλ. §. 86.

De σν, δν seu κν, γν. §. 87.

De σμ, κμ, δμ. §. 88.

De σϜ. §. 89.

De correptis ante has literarum conjunctiones vocalibus brevibus. §. 90.

Etiam plures voces eodem pertinere. §. 91.

Agitur de σ initiali ante consonas literas posito. De literis σκ non producentibus, item de ζ. Minus recte de his literis disseruisse Jacobum Grimm. §. 92.

b. De productionibus, quae excusationem habent e natura firmiore vocalis finalis. §. 93.

c. De reliquis productionibus, quae sunt duriores. §. 94.

Cap. 4. De vocalibus brevibus in fine vocum productis ante vocales initiales. §. 95.

Cap. 5. De vocibus παραὶ, ὑπαὶ, ὑπείρ, all. §. 96.

QUAESTIO PRIMA.

DE CAESURIS ET NUMERIS VERSUS HOMERICI.

Caput primum.

Quaeritur, quibusnam rebus caesura apud Homerum impediatur.

§. 1. — Caesuram, cujus alia apud alios notio est, ibi statuo esse, ubi vocis alicujus in ipso versu est finis. Interrumpi his incisionibus atque retineri quodammodo versuum cursum satis constat, quamvis sit qui negat.

Sed priusquam de caesuris et numeris versus Homerici agam, quae summa est hujus quaestionis, necesse est quaeram, quibusnam rebus apud Homerum caesura impediatur. Quae quaestio et gravissima est et difficillima: gravissima, quod nisi ea absoluta de metrica versus ratione itemque de numeris recte agi nullo modo potest; difficillima, quod qui harum rerum sunt peritissimi, nondum effecerunt, ut de hac re inter omnes constaret.

Quaeritur autem, num caesura sit ante voces encliticas, si vere sunt encliticae; nec magis constat, utrum caesura possit esse post voces procliticas, quae hodie dicuntur, et post elisionem, an iisdem tollatur. Speramus, ut quod sentimus dicamus aperte, fore ut nostra disputatione harum quidem vocum quae sit metrica natura accuratius perspiciatur. Nec minus patebit, addendas

esse ad has, quas diximus voces et encliticas et procliticas, alias nonnullas, quae, quamvis accentu ab illis differant, eandem tamen habent naturam metricam.

Itaque primum agemus de vocibus encliticis nonnullisque harum similibus; deinde de vocibus atonis itemque de particula *καί*; tum de praepositionibus, ut quae, si vere sunt praepositiones, atonis paene adaequent; si sunt in anastropha, accedere videantur ad voces encliticas; postremo agemus de elisione.

§. 2. — Atque encliticas voces caesuram impedire uti ratione verisimile est, ita usu demonstratur. Argumenta nostrae sententiae proponimus quatuor.

a. Primum est, quod voces encliticae (quae ad superiores pertinent voces) nunquam leguntur in versuum initio. Idem cum accidat in initio secundae partis pentametri; patet eam vocis intermissionem, quae est illis locis, ante encliticas quidem voces esse non posse.

Unus est locus, quo in initio versus hucusque legebatur *τῳ* ncliticum: Odyss. *λ*, 289 (nam de verbo *φημί* cf. §. 4.). Summovit hanc lectionem aliam ob causam recte Lehrs., cf. Aristarch. p. 60., legens *τῷ*. Addo Iliad. *σ*, 508. Cf. §. 60. 1.

b. Displicet deinde trochaica quarti pedis caesura, cf. §. 25. Haec diligenter vitata a poetis saepissime invenitur ante voces encliticas. Patet his vocibus caesuram tolli. Sufficit ex solo primo Iliadis libro afferre exempla sex (insunt plures): 236. 237. 280. 354. 416. 452. Cf. praeterea §. 66. b. fin.

c. Constat eorum versuum, quorum pes sextus finitur voce monosyllaba, rariora in universum esse exempla. Horum ne duos quidem se solere excipere demonstravimus §. 20. fin. Contigit ut invenirem unum locum, quo se exciperent quatuor, nisi encliticae voces duobus in versibus caesuram tollerent. Est *π*, 60:

— *οὐδ᾽ ἄρα πως ἦν*
ἀσπερχὲς κεχολῶσθαι ἐνὶ φρεσίν· ἤτοι ἔφην γε

οὐ πρὶν μηνιθμὸν καταπαυσέμεν, ἀλλ' ὁπότ' ἂν δὴ
νῆας ἐμὰς ἀφίκηται ἀϋτή τε πτόλεμός τε.

d. Quartum est idque firmissimum argumentum, quod quae monosyllabae sunt voces encliticae nunquam producuntur in thesi tertia *). Hujus quidem rei nulla esset causa, nisi caesuram tolleret vox enclitica. Cum tollat, intelligitur eam ob causam non produci has voces, quod deleta metrica versus heroici natura efficerentur bini versus inter se similes:

— ◡ ◡ — ◡ ◡ — — || — ◡ ◡ — ◡ ◡ — ◡̄

cujus rei exemplum apud Homerum quidem nullum inveniri vix est quod moneamus. Cf. §. 24.

Sequitur ut encliticae voces eae, quae sunt monosyllabae, ita ponendae sint post arsin tertiam, ut corripiantur caesuramque efficiant trochaicam. Quare nisi ante vocales non possunt esse, quae desinunt in vocales longas seu diphthongos (veluti *ι*, 445 all.). Cf. *δ*, 300. *ι*, 19. 158. 445. 474. *κ*, 171. *ν*, 419. *ξ*, 427. Quae quidem voces quam saepe in thesi tertia corripiantur, demonstret hic versuum numerus, in quem forte incidimus: *ρ*, 100. 102. 119. 121. 122. 133. 144. 146. 153. 155. 171. 206. 216. 218. 226. 253. 273.

e. Possunt etiam aliunde meae sententiae argumenta peti, cf. §. 66. a. b. c. all. Sed mitto haec. Satis constat de hac re ex iis, quae sub literis c et d diximus. Haec enim quamvis non valeant nisi in monosyllabis vocibus encliticis; tamen non dubitamus, quin de iis vocibus, quae continentur syllabis duabus, recte hinc possit concludi. Quapropter addimus, vocem *ποτε* et hujusmodi alias tertiam arsin non solere excipere, nisi ubi insequitur caesura semiseptenaria, cf. *α*, 106, quo versu in fine pedis tertii addita altera voce enclitica tollitur caesura. — De *γ*, 205. 220. all. cf. infra §. 9.

*) Cf. §. 24.

§. 3. — Eadem argumenta valent in voces eas, quae cum in initio sententiarum nunquam legantur, paene encliticae sunt putandae: μέν, δέ, γάρ. Has encliticas dixit inter grammaticos veteres Choeroboscus, pag. 229, b. Cf. Hermann. de emend. rat. gr. Gr. pag. 77. Hae enim voces haud raro leguntur in fine pedis sexti (π, 335. 337.); nec in versuum ponuntur initio. Tollunt eaedem saepissime caesuram quarti pedis trochaicam (λ, 813. σ, 368. ω, 642. — φ, 244. 255. 274. — ε, 51. λ, 180. ω, 630.); nec in fine pedis tertii, cujus saepe efficiunt caesuram trochaicam (α, 211. ν, 405. λ, 785.), producuntur unquam, quamvis in fine pedum aliorum haud rara sit earum productio.

Addimus ad has voces quartam, οὖν. Quae cum corripi non possit, nec in Iliade nec in Odyssea legitur unquam post arsin pedis tertii.

§. 4. — Patet tamen haec omnia, quae demonstravimus, non pertinere ad quasdam voces, quae tum encliticae possunt esse, tum vero ita efferri, ut accentu non careant. Quis igitur mirabitur οἷ in initio versuum positum ι, 306. π, 47.?

Nec dubitari poterit, quin poetis licuerit vel iis in dictionibus majore quadam vi efferre verbum εἰμί, in quibus in oratione pedestri recte putatur esse encliticum.

Sed verbum φημί num sit encliticum apud Homerum, mihi quidem admodum dubium est. Demonstrari cum non possit, praestat quidem praeceptis Alexandrinorum obsequi; et videntur nonnulli loci ad encliticam rationem prope accedere, veluti ι, 400. 410. ω, 256. all. At ι, 305. ζ, 206. all. eadem fere notione legitur haec vox, qua alibi εὔχομαι (α, 91. ν, 54.); et minus recte fortasse accentu caret σ, 364. Multo majoris certe momenti est, quod legitur hoc verbum (veluti β, 350.) in ipso versuum initio. Cf. Lehrsii quaest. epp. p. 126. Nec tamen argumenta petiverim e φασ' vel φησ', productis in fine pedis tertii. Alia enim potest esse excusatio, cf. §. 9.

§. 5. — Procliticae quae hodie dicuntur voces, nunquam leguntur ita in fine versuum, ut conjungendae sint cum prima voce versus proximi. Patet igitur majorem vocis intermissionem post has voces esse non posse. Nec tamen haec causa impedivit poetam, quominus post has voces caesuram majorem efficeret in pede tertio. Cf. *υ*, 102., ubi caesura est post *εἰ*.

Sed caesuras his vocibus non impediri vel inde potest concludi, quod inter *ἐν* et *οἴκῳ* positam vides vocem *πήματα* Odyss. *λ*, 115. — Naegelsbach. annot. p. 303 sq.

Item majorem quidem caesuram non impedit interdum particula *οὐ*. Quae etsi cum nonnullis vocibus ita coalescit, ut una vox videatur effici e duabus (ita in papyro Paris. legitur *κοιδα*, nescio. Schneidewin. de pap. Paris. p. 4.); tamen et ejus est notionis, quae saepissime majore cum vi possit efferri (Herm. d. em. rat. p. 97.), nec cum omnibus vocibus potest coalescere. Facile quidem coalescit cum verbis quibusdam; qua re commotus caesuram pedis tertii vix statuo esse in hoc versu:

ὡς δ' ἐν ὀνείρῳ οὐ δύναται φεύγοντα διώκειν,

χ, 199; sed non semper hoc fieri, testimonio est ejusdem libri v. 387:

Πάτροκλος· τοῦ δ' οὐκ ἐπιλήσομαι, ὄφρ' ἂν ἔγωγε,

qui pessimus esset versus, si egeret caesura pedis tertii. Cf. §. 11. Contra cum substantivis haec particula vix potuit coalescere, ideoque bonus est versus *χ*, 159. Facilius quidem potest coalescere cum adjectivis (*ε*, 18. *δ*, 498); sed ne hoc quidem semper fieri demonstratur *χ*, 380, quo loco *οὐ‿σύμπαντες* esset nonnulli. Quae cum ita sint, caesuram post *οὐ* plerumque esse statuendum est. Id iis potissimum locis potest probari, ubi divisa est aliis interpositis vocibus haec particula ab iis vocibus, ad quas pertinet, cf. *ε*, 150. 157. 278. all.

§. 6. — Omnium quodammodo *προκλιτικώτατον* est *καί*, etsi accentu non caret. Ita recte nos statuere efficimus ex eo, quod haec particula tum tantum invenitur in

arsi tertia, cum sequitur vox monosyllaba brevis (ut efficiatur caesura trochaica: χ, 55. 265. ι, 513. τ, 315. all.) *). Quare dubito num signum interpunctionis recte posuerit Wolf. ε, 135. — Haec observatio eam ob causam est gravissima, quod, cum caesuram non efficiat haec particula, non potest caesurae vi produci ante vocales vocum proximarum, quae falsa est sententia Nitzschii ad Odyss. κ, 510. Hermanni ad Orphic. p. 728.

§. 7. — Agimus nunc de praepositionibus. Hae cum legantur quidem ante casus obliquos apud Homerum in arsi tertia, sed rarissime tamen et semper ita, ut insequatur caesura semiseptenaria (δ, 253. 376. β, 399. η, 466. λ, (234.) 817. τ, 415. all.); negari non potest caesuram esse post praepositiones ante casus ab iisdem rectos; sed infirmam esse hanc caesuram erit concedendum. Hoc demonstratur aliis nonnullis causis; primum quod nonnullae praepositiones accentu carent (εἰς, ἐξ, ἐν, ὡς); tum quod accentum projiciunt in ultimam syllabam eae quae sunt bisyllabae; deinde quod apocopen ante literas consonas patiuntur nonnullae. Hae quidem, quas posui ultimo loco, in libris m. s. non servant accentum omnes, ubi patiuntur apocopen (servat tamen πάρ — ϑ, 533. Ceterum de adverbiis ἂν δέ, κὰμ μέν all. hoc loco non agitur; haec firmantur particulis subjectis); et minus recte Wolfius cum accentu scripsit κὰπ πεδίον simill., quod ne Aristarchus quidem, qui perspicuitatis causa divisit has voces, fecisse dicitur. Cf. schol. Venet. ad ϑ, 441. At quandam esse caesuram post has voces hoc minus potest negari, quod sejunctam vidimus praepositionem a substantivo Odyss. λ, 115. Addo Il. γ, 272. λ, 831. ϑ, 115. all.

Nec tamen tanta est haec caesura, cujus vi produci

---

*) Apud Virgilium haud raro legitur conjunctio et in arsi tertia, etiam caesura semiseptenaria non insequente.

potuerit vocalis praepositionum finalis brevis ante literas consonas vocum proximarum. Vide de hac re §. 82.

Paullo aliter se habet vox ἄρ, ubi apocopen patitur ante literas consonas. Haec et accentum, quod sciam, servat semper in codicibus, et caesuram in arsi tertia aperte efficit ε, 532. all.

§. 8. — Eodem modo statuimus de praepositionibus, quae sunt in anastrophe. Hae plerumque ponuntur ita, ut praepositio in thesi quarta subjiciatur substantivo et efficiat majorem caesuram in fine pedis quarti: μάχην ἀνὰ κυδιάνειραν — δόμοις ἔνι ποιητοῖσιν — πόλεμον κάτα δακρυόεντα — θεῶν ἐκ θέσφατα ᾔδη all. Sunt tamen rarissimi quidam versus, quorum in tertia thesi legitur praepositio in anastrophe posita: ε, 66. ν, 651. ζ, 100. Quae cum ita sint, non licet quidem ex his locis dubitare de praecepto Aristarchi, ex quo anastropham dicimus, cum praepositio est post substantivum ante adjectivum; attamen in hac verborum structura majorem quidem caesuram anastropha non impediri erit statuendum. — Igitur α, 125. ob metricam rationem bene potest legi ἐξ ἐπράθομεν, nec tmesin esse statuerim δ, 384. *).

Ceterum δ, 97. σ, 191. (cf. 137.) τ, 10. 326. huc non pertinent. Constat enim anastropham tolli elisione, cf. Lehrs. quaest. epp. p. 76.

§. 9. — Haec res transitum parat ad elisionem. Qui enim impediri potest anastropha elisione? Puto quod elisione binae voces arctius conjungebantur pronuntiando; id quod intelligitur ex narratiuncula illa, quae fertur de Hegelocho histrione. Schol. ad Euripid. Orest. v. 269.

Hoc ita esse, multo apertius demonstratur metrica

---

*) His omnibus rebus comparatis patet minorem esse caesuram post praepositiones ante substantiva, quam ante praepositiones post substantiva in anastropha positas.

ratione vocum encliticarum, quae sunt bisyllabae et cadunt in vocales. Encliticas voces impedire caesuram demonstravimus supra. Ita fit, ut nunquam ita ponantur hae voces post arsin tertiam, ut excurrant in fine pedis tertii, nisi ubi excipiuntur mascula caesura pedis quarti; veluti α, 106. 179.

Attamen longe alia est ratio, si elisione minuitur vox enclitica bisyllaba. Hoc si fit, arctius videtur conjungi cum voce proxima quam cum superiore voce. Ergo caesura potest esse et est ante vocem encliticam bisyllabam, elisione deminutam. Ita fit, ut legantur in fine pedis tertii hae voces non insequente caesura semiseptenaria: γ, 205. 220. *) κ, 453. ψ, 668. Eodem modo se potest habere φησ᾽ et φασ᾽, quae saepe producuntur in thesi tertia: τ, 96. (v. l.) 416. ψ, 791. Odyss. γ, 188. ρ, 352. ψ, 125. all. Eodem pertinet ἐστ᾽ encliticum, quod apud Tyrtaeum 7, 4. Schneidewin. excipit majorem caesuram pentametri.

Utrum eodem modo statuas de encliticis monosyllabis elisione minutis, an non (quod videtur esse verius, cum monosyllabae voces multo sint infirmiores bisyllabis), ad caesuram non multum interest.

Sed haec duarum vocum conjunctio, quae elisione efficitur, nullo modo est tanta, ut omnes caesuras impediat. Etenim caesura in tertio pede non possunt egere hi versus: α, 128. 166. 428. 451. — 71. 118. 278. β, 107. 288. all. Est etiam ante interpunctionem elisio (ε, 477. χ, 94. ψ, 642.); est saepissime in majore caesura pentametri; est, quod dubitanter addo, in finibus versuum

*) Veterem vulgatam, pejorem, ζάκοτόν τινα, quae vel ob hiatum in fine pedis tertii falsa est, rejiciendam esse patet ex comparatione versuum quos addidimus. Utor hac occasione, ut semel moneam lectores, vulgatae lectionis, quae erat ante repertum cod. Venet et schol. A. (cf. Prolegomena Wolfii pag. 24 sqq.), me rationem habere non posse, nisi ubi res ipsa videtur postulare et dubia est Wolfii lectio.

apud Homerum ϑ, 206. ξ, 265. ω, 331. (Ζῆν'). Cf. Boeckh. d. metr. Pindari III. 23. p. 318. Quare statuamus necesse est majoribus caesuris (§. 10 sqq.) superari hanc vocum conjunctionem; attamen minores caesuras elisione impediri item est concedendum. Discessimus igitur ab Hermanno (Ell. doctr. metr. p. 33. 357.: elisio non officit caesurae) et in partes ivimus Kirchneri, Horat. Sat. p. XLIV.

Caput secundum.

De caesuris majoribus.

§. 10. — Majores caesuras nominamus, quae tam saepe in versu heroico inveniuntur, ut iisdem egere vix posse videatur hic versus. Sunt hae quatuor; quarum duae sunt pedis tertii, duae pedis quarti.

§. 11. — Tertii pedis aut est post arsin major caesura, quae dicitur semiquinaria; aut post trochaeum. Illa, quam nunc masculam fere consueverunt dicere, fortior est atque violenta; haec versum efficit fere molliorem. Utraque rarissime deest in versibus Homericis, id quod in primo Iliadis libro animadvertitur sexies (106. 145. 218. 307. 400. 466. 584. cf. Spitzner, de versu heroico pag. 5. — Accedunt tamen duo versus ad hunc numerum, in quibus sublata est caesura adjectis vocibus encliticis: 179. 106. cf. infra §. 24.). Sed utrâque qui egent versus, hi constanter caesuram post arsin pedis quarti habent omnes: veluti ζ, 421.:

οἳ δέ μοι ἑπτὰ κασίγνητοι | ἔσαν ἐν μεγάροισιν.

cf. α, 307. β, 494. δ, 124. 329. τ, 361.; infra §. 18. Qui hac etiam caesura egeant, restant versus paucissimi: ψ, 159. Odyss. ϑ, 175. Il. o, 18. Horum e numero recte censet Spitznerus (p. 10.) eximendos ψ, 159. Odyss. ϑ, 175.:

ὅπλεσθαι· τάδε δ' ἀμφιπονησόμεθ', οἷσι μάλιστα.
ἀλλ' οὔ οἱ χάρις ἀμφιπεριστέφεται ἐπέεσσιν.

Est enim quaedam, quamvis debilis, caesura post praepositionem ἀμφί *). — De Iliad. ο, 18 dicemus infra, §. 24.

Quae vero a multis confecta est ratio, utrum caesura semiquinaria, an ea saepius legatur, quae post tertium est trochaeum: haec aut parvi momenti est, aut nullius, nisi eorum, quae narrantur, habemus rationem. Differt quidem Homericus versus ita ab Horatiano et Virgiliano (Kirchner., §. 26.), ut apud Latinos poetas inter denos versus semiquinaria caesura distineantur noveni, multoque rarius mollior illa caesura reperiatur; contra apud Homerum utraque caesura fere pari versuum numero legatur, sed paulo saepius caesura trochaica: et apparet vel ex hac

---

*) Similem supra de voce οὐ tulimus sententiam, §. 5. Nec aliter nobis explicamus versus Horatianos a Kirchnero §. 43. allatos: Art. poet. 263. 377. (coll. Virg. Aen. 9, 288):

Non quivis videt im|modulata poemata judex.
Sic animis natum in|ventumque poema juvandis.

Atque negari non potest, quod supra leviter tetigimus (§. 7.), in nonnullis praepositionibus pleniorem adverbiorum inesse notionem. Quare cum verbis non plane coalescunt omnes. Apparet tale quid e versibus his (Horat. Sat. I. 2. 62. — Epp. II. 2. 93. — Kirchner. §. 5):

— quid inter-
Est, in matrona, ancilla peccesne togata.
— quanto molimine circum-
Spectemus vacuam Romanis vatibus aedem.

Quod ne quis putet familiari tantum sermoni, qualis est satirarum epistolarumque, licuisse; apponimus unum Virgilii versum, Aen. 7, 559.:

Cede locis. Ego si qua super fortuna laborum est.

Quae vero apud Homerum conservent praepositiones vim majorem, intelligi poterit fortasse ex iis, quae de hiatu demonstrabimus § 62. 63 64. Statuimus tamen hanc quam diximus debilem caesuram iis tantum esse in versibus, qui salvi esse sine illa non possunt. Ultimum est enim refugium. Contra ϑ, 348. Hymn. in Ven. 271. hac excusatione non egent.

versuum compositione carminum Homericorum quies et lenitas *). Attamen aliis locis alius est sermonis color. Itaque et in colloquio Hectoris Andromachesque (ξ, 390 — 502) sic valet caesura trochaica, ut e versibus centum duodecim semiquinariam habeant quadraginta duo, trochaicam sexaginta novem; et ubi pugna describitur, praevalet semiquinaria, ut λ, 575 — 596. e versibus viginti uno in versibus tredecim sit semiquinaria. Pari numero utraque caesura legitur in versibus λ, 531—574.; ita, ut semiquinaria sit in versibus viginti duobus, itemque in viginti tribus trochaica. Quanquam etiam horum versuum quaedam differentia est. Insunt enim comparationes duae, quae continentur versibus tredecim. Horum tres distinentur semiquinaria, trochaica decem (548 — 555. 557 — 562.). Atque operae pretium est afferre β, 400 — 410, quae placida est narratio; ibi undecim deinceps versus utuntur caesura trochaica.

Ita mollior fere est caesura, ubi sermo est quietior; contra vehemens illa et mascula, ubi surgit oratio. Atque dubito ego, quod animi causa addo, an ex versibus illis, qui in prooemiis Iliadis et Odysseae sunt primi, de totius carminis natura possit concludi. Quorum carminum superbius illud jam primo versu praefert semiquinariam, hoc humilius et blandum caesuram trochaicam.

Superest ut nonnulla addamus de tertii pedis caesuris versuum eorum, qui ultimi sunt narrationum et comparationum.

Etenim ad finem narrationum etiam fervidiorum minuitur plerumque orationis vigor mollliturque animus audientium, qui placide ad finem perducuntur. Itaque saepissime in fine narrationum, sive sunt longiores sive breviores, frequentior est usus caesurae trochaicae. Cf. α, 347. 348. — 429. 430. — 483. 484. 485. 487. — β, 480. 481. 483. — ε, 906. 907. 909. — η, 481. 482. —

*) Abhorret ab hac facilitate ingenium Romanum. Adde, quod disciplina eruditi fuerunt poetae Romani, Hor. Sat. I. 10. 71.

θ, 563. 564. 565. — σ, 614. 616. 617. — φ, 381. 382. 383. 384. — 511. 512. 513. Contra semiquinariae in fine narrationum rarior omnino est usus. Sunt tamen nonnullae narrationes, quarum in fine complures versus firmantur semiquinaria. Quod ubi fit, ea videtur esse hujus rei ratio, ut audientes iterum excitet quodammodo semiquinaria curiososque convertat ad proxima. Conferantur ea, quae de mascula caesura pedis sexti §. 20. sunt disputata. Ita fit α, 610. 611. μ, 470. 471. all. Jam si verum est quod diximus; patet notissimam illam narrationem, quae est de Diomede et Glauco ζ, 236., eam ob causam concludi quatuor versibus mascula caesura ornatis, ut convertamur rursus ad illam narrationem, in quam mediam insertum est hoc ἐπεισόδιον. Idem accidit in fine libri decimi: 577. 578. 579. Atque librum decimum insertum esse postea inter reliquos libros, vix est qui neget. Nec negabit facile quisquam, idem accidisse versibus ζ, 119 — 236. Attamen de hac narratione difficilius judicium est. Demonstrabimus enim infra hanc narrationem esse antiquiorem quam eam, in quam inserta est. Sequitur, ut aut recentioris aetatis sint versus 234. 235. 236.; aut alio loco Iliadis antiquiore inserta lecta sit haec narratio, id quod confirmant scholia A. ad v. 119. Minus mihi constat de fine Odysseae.

Comparationum fere eadem ratio est. Subsistit enim paululum comparationibus narratio et tum maxime, cum per complures versus eae continuantur. Hinc fit, ut in comparationibus praevaleat caesura trochaica. Nec opus est, ut fortiore versuum forma revocemur ad narrationem, quod ipsa comparationum natura satis efficitur. Ita accidit, ut molliore caesura saepissime utantur novissimi versus comparationum. Harum igitur cum in libro λ insint quatuordecim, trochaica caesura in ultimo versu utuntur undecim (λ, 63. 89. 119. 157. 176. 308. 418. 481. 495. 555. 562. — cf. β, 458. 468. 473. 475.). Multo magis ad proxima compellimur, cum in ultimo versu est semiquinaria: λ, 69. 271. 293. Frequens haec est forma in

libro χ, quo continentur comparationes novem. Hoc e numero semiquinaria utuntur in ultimo versu sex: 31. 142. 164. 192. 201. 310. *). Namque in libro altero et vigesimo eae sunt comparationes, quae paucis versibus contineantur, quarum duae tantum expleant versus quatuor. Ruunt omnia ad Hectoris mortem, quae res leniorem orationem vix fert. Nec obstat, quod (v. 318.) in ultima comparatione caesura est trochaica. Succrescit quodammodo eo loco dolor et movetur paulatim audientium misericordia, quam ob causam poeta inter gravissimas res brevi illa et blanda uti videtur comparatione.

Hactenus egimus de majoribus caesuris pedis tertii. Qua in re si nonnullis nostra disputatio longa videatur; reputent hi, ex hujus pedis caesura nasci magna ex parte Homericorum carminum colorem. Maximi enim sunt hae caesurae momenti, nec assequuntur plane vim semiquinariae ii versus, qui hac caesura egentes vel pluribus utuntur caesuris masculis.

§. 12. — Quarti pedis caesura major aut est post arsin, aut in ipso pedis fine. Illa dicitur semiseptenaria.

Semiseptenaria caesura, si in tertio pede est semiquinaria, versum efficit impetuosiorem. Quam ob causam hac versus forma utitur saepe poeta in narratione, ubi res aliqua gravior, vel quam vix exspectes, adjicitur ad ea, quae narrata sunt supra: γ, 362. 369. 385. λ, 361. 369. 480. 583. ξ, 424., cujus rei vis augetur multum, ubi duo versus tali modo compositi se excipiunt (λ, 556. 557.). In orationibus semiseptenaria saepissime accedit ad semiquinariam, cum indignantur (β, 160. ι, 231. 327. 646. ξ, 92.), cohortantur (ι, 704. 707. all.), mirantur (ξ, 54.) ii, qui loquuntur. — Multo minor hujus caesurae est vis, si in tertio pede caesura est trochaica: ξ, 57. 45. 103. ψ, 764.

*) Supersunt, quae caesura utuntur trochaica, 23. 95. 318.

Quae vero est caesura in ipso quarti pedis fine, eam pro natura heroici versus maximi esse momenti demonstrabimus infra (§. 37 sqq.). Excipit ea saepissime et caesuram semiquinariam et tertii pedis trochaicam; nec raro sequitur semiseptenariam (λ, 776. ξ, 80. ψ, 764.), cujus vim minuit. Cum est post dactylum (quae nominatur bucolica), versus est volubilior, quoniam in quinto pede plerumque item est dactylus. Si est post spondaeum, quod accidit rarius, versum efficit quietiorem (λ, 119. ι, 267. σ, 335.).

Jam ut efficiamus harum quarti pedis caesurarum quandam rationem; ex illis, quas supra demonstravimus, versibus centum duodecim (ζ, 390 — 502.) utuntur majoribus pedis quarti caesuris versus octoginta duo. Horum versuum quadraginta quatuor ea tantum utuntur caesura, quae est in pedis fine; sola semiseptenaria utuntur sedecim. Utraque caesura utuntur viginti duo. Horum e numero iterum superat semiseptenariam altera illa, quae est in pedis fine, in versibus his: 407. 412. 441. 444. 446. 447. 450. 468. 473. 474.; addi possunt fortasse 396. 425. 420. Semiseptenaria praevalet in his: 413. 421. 429. 459. 462. 464. 491. 496. 502. Apparet igitur paulo rariorem esse usum semiseptenariae. — Item libr. λ, 531 — 595. inter versus sexaginta quatuor utuntur in fine pedis quarti caesura versus quadraginta.

Hae sunt versus heroici caesurae majores, quibus raro eget is versus. Succedunt tamen, ubi desunt illae, in earum locum caesurae aliae, de quibus dicemus infra.

Caput tertium.

De ordinibus metricis versus heroici majoribus.

§. 13. — Si verum est, quod docet Hermannus (Elementt. p. 32. 2.), caesura finiri ordines metricos;

e majoribus caesuris de versus heroici ordinibus recte poterimus statuere.

Quo in versu tres potissimum ordines metricos discerni docuit C. Kirchnerus, cujus de hac re docta atque ingeniosa disputatio est. Horum ordinum primus finitur aut arsi pedis tertii, aut ejusdem pedis caesura trochaica. Inde alter ordo pertinet aut ad arsin pedis quarti, aut ad ejusdem pedis finem. Tertius ordo, a fine ordinis secundi incipiens, ad finem versus excurrit. Quare versum heroicum describimus sic:

——————1—————— ————2———— ————3————
— ◡ ◡ — ◡ ◡ — | ◡ || ◡ — | ◡ ◡ || — ◡ ◡ — ◡

Existunt igitur formae hujus versus quatuor, quas vides in his versibus (Odyss. β, 400. Iliad. ζ, 489. 411. 428):

ἐκπροκαλεσσαμένη | μεγάρων | εὐναιεταόντων.
οὐ κακόν, οὐδὲ μὲν ἐσθλόν, | ἐπὴν | ταπρῶτα γένηται.
σεῦ ἀφαμαρτούσῃ, | χθόνα δύμεναι· | οὐ γὰρ ἔτ' ἄλλη.
πατρὸς δ' ἐν μεγάροισι | βάλ' Ἄρτεμις | ἰοχέαιρα.

§. 14. — Atque hac, quam demonstravimus, ratione ordinem primum bene cum altero cohaerere facile inde intelligitur, quod illa thesis parte, quae post caesuram est, quartus pes allicitur quodammodo et cum pede conjungitur tertio. Eodem modo, cum caesura est in arsi pedis quarti, tertius ordo bene conjungitur cum altero.

Non item facile intelligitur, cur in fine pedis quarti plerumque vocabula finiantur. Hujus quidem rei ea ratio videtur esse, ut pedes quintus sextusque versui magis subjiciantur, quam ad eum attrahantur. Minus igitur valet tertius ille ordo metricus, quam qui ante eum sunt primus et secundus; est clausula versus, quae eadem subjicitur metro Sapphico. — cf. infra §§. 37 sqq.

§. 15. — Posse tamen versum heroicum etiam per plures, quam quos diximus, metricos ordines decurrere, intelligitur ex eo, quod supra posuimus: finiri ordines

metricos fine verborum. Quae prae ceteris demonstrentur, dignae sunt versus formae duae (α, 145. 81.):

———1——— ———2——— ———3———
— ◡ ◡ — || ◡ ◡ — ◡ ◡ — || ◡ ◡ — ◡ ◡ — ◡

———1——— ———2——— ———3———
— ◡ ◡ — ◡ ◡ — ◡ || ◡ — ◡ ◡ — || ◡ ◡ — ◡

ἢ Αἴας, || ἢ Ἰδομενεύς, || ἢ δῖος Ὀδυσσεύς.
εἴπερ γάρ τε χόλον γε || καὶ αὐτῆμαρ | καταπέψῃ.

Ceteros ordines metricos, ne argutior esset disputatio, placuit nunc mittere.

Caput quartum.

De caesuris minoribus.

§. 16. — Minores nominamus caesuras eas, quae inveniuntur rarius, quam quas pro natura versus heroici dicere possimus necessarias. Harum nonnullae versum firmant atque efferunt; nonnullae versum molliunt; sunt deinde, quae versum debilitent, duae. Quare de minoribus caesuris triplex disputatio erit.

1. Caesurae versum firmantes.

§. 17. — Quae versum firmant caesurae minores, masculae sunt post arsin pedis primi, secundi, quinti, sexti.

Harum, quae saepissime inveniantur, primo loco tractandae sunt duae: semiternaria, quae est post arsin pedis secundi; et seminovenaria *), quae est post arsin pedis quinti. Utramque supra attigimus (§. 15.). Harum duplex est ratio. Aut enim accedunt ad eas caesu-

*) Liceat hac voce uti.

ras, quas diximus majores; aut, ubi major caesura deest, in ejus locum succedunt. Quare ubi versus est fortis per se et vehemens, ejus vim augent; ubi lenior est et mollior, efficiunt paullo fortiorem.

§. 18. — Semiternaria effert ordinem metricum primum.

Hanc si sequitur tertii pedis caesura trochaica: non est quidem eadem primi ordinis vis, quae efficitur caesura semiquinaria; sed ea tamen, quae proxime ad illam accedat. Ubi enim in tertio pede est semiquinaria, diutius surgit versus et majore impetu fertur usque ad pedem tertium; ad semiternariam autem et minor est impetus et versu lenius deinde ad trochaicam tertii pedis caesuram decurrente iterum minuitur. Talis versus est ille

ὣς εἰπὼν ὤτρυνε μένος καὶ θυμὸν ἑκάστου.

qui vehementior est, quod additur semiseptenaria. Leniores sunt qui semiseptenaria egent: ζ, 394. 401. 402.

Multo major est primi ordinis vis, cum semiternaria additur ad semiquinariam. Interest tamen, utrum sequatur semiseptenaria, necne. Quae si deest, major est vis ordinis primi, quam reliquorum.

Succedit deinde, ubi in tertio pede non est caesura, in ejus locum saepissime semiternaria (α, 106. 145. 218. 307. 400. 466. 584.). Indigent tamen eadem haud raro hi versus, cf. §. 11., quamvis invito Spitznero (p. 10.).

§. 19. — Quae est caesura post arsin pedis quinti, quam nominavimus seminovenariam, ea ne commemorari quidem solet a veteribus rei metricae auctoribus. Sed nec raro invenitur, nec parvi est momenti.

Utitur ea saepissime poeta, ubi versui deest quarti pedis caesura major. Quare excipit saepissime trochaicam caesuram pedis tertii (ζ, 417. 424. 438. 439. 477. 481.), firmatam et ipsam haud raro semiternaria (ζ, 391. 392. 443. 480.). Est item post semiquinariam (λ, 371. π,

402. 572. σ, 592. ε, 178. υ, 207.), quamquam id rarius accidit.

Sed accedit etiam ad semiseptenariam. Ante quam si deest semiternaria et semiquinaria, major est vis in ipso versus fine, quam in priore versus parte (ψ, 796.: *ἀλλά τοι ἡμιτάλαντον ἐγὼ χρυσοῦ ἐπιθήσω* — cf. ρ, 394. μ, 335.). Habet tamen haec versuum forma aliquid acuti, ut ita dicam; eamque ob causam aptissima est dolori et rebus tristibus: ψ, 244. ω, 619. 774. Fortasse igitur libr. γ, 172. eadem praenuntiat quodammodo Helenae dolorem, qui proximis deinde versibus aperte describitur.

Vehementissimus autem est versus, ubi accedit seminovenaria ad semiternariam, semiquinariam, semiseptenariam; cujus rei duo tantum, sed ea satis apta exempla apponimus: (ξ, 467.) ψ, 777:

ἐν δ' ὄνθου βοέου πλῆτο στόμα τε ῥῖνάς τε.

Inveniri in his versibus non saepe caesuram in fine pedis quarti, vix est quod moneamus. Quod ut fiat, opus est in quinto pede voce monosyllaba, quarum exiguus numerus est. Hoc si fit, tam placide illa, quae est post finem pedis quarti, caesura subsistit versus, ut paene ubique debilitetur ea vis, quae est seminovenariae; cf. ζ, 447.

§. 20. — Sexti pedis caesura, quae nisi post arsin non potest esse, retinet vehementer versum pro natura sua ad finem leniter decurrentem, atque denuo erigit. Quod cum ei, quae epici carminis est, quieti plerumque obstet; ea in universum videtur hujus caesurae esse ratio, quae novo quodam impetu ad ea propellat quae sequuntur *). Nec sine quadam causae specie hac caesura utitur saepe poeta, ubi de Jove agitur (qualis ille est versus: *τὸν δ' ἀπαμειβόμενος προςέφη νεφεληγερέτα Ζεύς* — ε, 764. 888.), qua re summo deum rectori quaedam tribui videtur majestas. Nam antecedente voce longiore augeri

*) Vocem ὥς mitto. Haec caesuram paene tollit, ut quae in anastropha videatur esse. Cf. §. 76.

hujus vim caesurae recte censet Kirchnerus, §. 53. — cf. praeterea π, 60. 63. ζ, 139. all.

Est tamen, ubi tali versu sententia etiam finiatur. Ibi in narrationibus quidem majus momentum est eorum, quae in fine versus narrantur, quam superiorum (ζ, 192. αὐτοῦ μιν κατέρυκε, δίδου δ' ὅγε θυγατέρα ἥν. — λ, 226.). Sed vel his locis saepe aut fundamenta jaciuntur eorum, quae postea narrantur; aut nonnullis in mediam narrationem insertis, quibus ad intelligendam eam opus non est, hac versus forma ad ipsam narrationem revocamur, cf. ε, 71. λ, 741. τ, 117.; quibus locis comparatis haec nostra sententia eo videtur confirmari, quod in his versibus in medias narrationes insertis et imperfecta et plusquamperfecta reperiuntur complura. Ergo hujus versuum formae similis fere est ratio, sed vehementior tamen, atque caesurae semiquinariae in ultimis versibus comparationum, cf. §. 11 sub finem.

In orationibus haec versus forma bene convenit et iis, qui indignantes conqueruntur (α, 416. δ, 182. ε, 214. ι, 377. λ, 668. ο, 187.), et qui vetant (ν, 292. τ, 420. υ, 200. 244. 431.) sive imperant (φ, 340. 341.), et qui precibus urgent (π, 241.) vel quaestionibus (σ, 385. Odyss. α, 124.). Interrogantes enim exspectant responsionem.

Addo ne duos quidem hujusmodi versus solere sese excipere, quod nisi in rebus gravissimis accidere non potest. Ita fit in pugna deorum φ, 387. 388. Uno tantum loco vel tres se excipiunt, in narratione simillima φ, 340. 341. 342.; ita tamen, ut oratione Junonis finita v. 341. ejusdem versus clausula, ἀκάματον πῦρ, repetatur in initio narrationis insequentis v. 342., satis magna vocis intermissione interposita *).

---

*) Non possumus, quin hoc loco redarguamus falsam illam, sed eam ipsi Kirchnero (p LXX.) probatam opinionem, quae est de versu Horatiano, Art poet. 139. (nascetur ridiculus mus). Quod enim in hoc versu inest ridiculi, hoc nullo modo efficitur

§. 21. — **Primi** pedis caesuram eam, quae est post arsin, hanc ob causam loco nominamus ultimo, quod, nisi firmatur interpunctione, non magni est momenti (de qua re diximus §. 29.). Est enim post unam syllabam, qua ne pes quidem metricus, ne dicam metricus ordo, potest effici.

2. Caesurae versum efficientes molliorem.

§. 22. — Quae molliorem efficiunt versum caesurae, aut sunt trochaicae pedum primi, secundi, quinti, aut sunt in eorundem pedum fine.

Atque **trochaica** caesura satis saepe invenitur et in pede primo (ι, 176. 183. 206.), et in secundo pede (ι, 189. 203. 207. 220.); multo etiam saepius in pede quinto (ε, 725. 727. 729. 730. 732. 734.). Invenitur etiam post semiquinariam caesura trochaica pedis **tertii**, sed est nullius momenti: γ, 94. 100. 206. 429. ι, 400. cf. §. 65.

§. 23. — In ipso pedum **fine** caesura aut post dactylum potest esse, aut post spondaeum. In **quinto** pede, qui raro est spondaicus, patet multo saepius caesuram esse post dactylum. Ea invenitur saepissime (λ, 9. 14. 16. 20. 26. 29. 30. 32. 33. 39. 43. 44. 45.).

In **primo** deinde pede paulo rarior post dactylum est caesura (λ, 9. 12. 19. 34. 44. 54. 77. 84. 87.), quam post spondaeum (λ, 10. 18. 33. 35. 37. 38. 48. 55. 69. 71. 88. 90.).

A quo pede ita differt pes **secundus**, ut saepius utatur caesura post dactylum (λ, 24. 34. 43. 44. 48. 88.

---

homoeoteleuto, quod deprehendere hoc loco homines docti visi sunt sibi. Quid enim homoeoteleuti inest in ridiculŭs mûs, quod hodie falso **pronuntiant?** Nempe idem, quod inest in serio illo et gravi versu Virgiliano (Aeneid. 8, 43. — sub ilicibŭs sūs.). Haud igitur opus erat artificio Vossiano: *Ei komm doch heraus, Maus!*

59. 109. 110. 126. 131. 180. 182. 193.), quam post spondaum (λ, 17. 23. 84. 97. 142. 144. 152. 166. 191.). Poterunt haec, quae modo demonstravimus, exempla comprobare, Homerum sibi non cavere ab eo versuum initio, quo repetitur clausula versus proximi (— ◡ ◡ — —), quam video nonnullorum esse sententiam. Nullo enim modo hujus, quae est in fine pedis secundi post spondaeum, caesurae tanta est vis, quae versum pro natura sua ad caesuram pedis tertii procurrentem possit retinere, nisi post spondaeum major est interpunctio (§. 30.). Attamen firmatur quodammodo haec caesura pedis secundi tum maxime, cum deest major caesura pedis tertii. Quare his in versibus, qui surgunt ad semiseptenariam, nisi in fine versus superioris major est interpunctio, caesura post spondaeum in pede secundo non solet esse; cf. β, 494. δ, 124. χ, 199. all. — Ceterum aliam ob causam haec pedis secundi caesura plurimum potest saepe valere, de qua re cf. §. 40. b.

3. Caesurae versum debilitantes.

§. 24. — Hac sunt duae; quarum altera est in fine pedis tertii, altera trochaica pedis quarti.

In fine pedis tertii et post spondaeum et post dactylum saepissime invenitur caesura, ubi ante eam aut est caesura semiquinaria (α, 27. 37. 154. — 40. 42. 53. 76. 114. 117.), aut trochaica (ι, 76. 220. 266. 364. all.). Hujusmodi versus quis est qui vituperet? Superat minorem caesura major. Haec tam firma est tamque necessaria versui heroico, ut vel ibi valeat, ubi e vocibus duabus ipsa sententiae ratione arcte conjunctis altera, incipiens a caesura majore, ad finem pedis excurrit: veluti ι, 206.: κρεῖον | μέγα κάββαλεν. Talium versuum magnus est numerus, veluti υ, 270. ω, 565. 673. ν, 471. σ, 579. all. Nec minus valet caesura major, ubi in fine pedis est interpunctio, cf. (γ, 185.?) ε, 580. Cf. §. 31 *). —

*) Hoc moneo contra Hermannum, Ell. p. 338.

Unum addimus. Demonstravimus *καί* particulam non efficere caesuram. Itaque tam saepe legitur producta in thesi tertia (*ι*, 87. 137. 232. 294. 342. 548.), ut nulla ratione F. A. Wolf. (praefat. p. 69.) reliquerit Aristarchi lectionem *καὶ λίσσετο* libr. *α*, 15. 374. Simillimi sunt enim loci Odysseae: *δ*, 347. *θ*, 30. *ρ*, 138. — Cf. §. 81, 1, a.

At molestissimi sunt versus, qui, utraque egentes caesura majore, utuntur caesura in fine pedis tertii. Quae versuum forma eam ob causam recte vituperatur, quod eundem versum in duas easque inter se similes dividit partes. Hoc magis etiam fit, cum tertius pes efficitur voce spondaica, qua re duo exsistunt versus:

— ᴗ ᴗ — ᴗ ᴗ — — || — ᴗ ᴗ — ᴗ ᴗ — ᴗ̄

a qua versuum forma diligentissime poetam cavisse paulo antea docuimus, §. 2. d. Contra post dactylum, omissa caesura majore, haud raro invenitur caesura in fine pedis tertii, ubi excipitur semiseptenaria, quae ipsa sententiae vi ad finem pedis tertii est subjungenda. Ita recte docuit Kirchnerus, §. 36. Quare nullo modo vituperari potest *α*, 179.:

οἴκαδ' ἰὼν | σὺν νηυσί τε σῇς | καὶ σοῖς ἑτάροισιν.

Cf. Odyss. *γ*, 323. *ι*, 173. Hac excusatione qui egent versus, mali sunt, eamque ob causam lectionem editionis anni 1794 libr. Iliad. *ε*, 827.: *Ἄρεα τόνγε τι | δείδιθι* recte damnavit Wolfius. Similem rem tetigimus §. 9. not. Invenitur enim unus tantum ejusmodi versus apud Homerum, Iliad. *ο*, 18.:

ἦ οὐ μέμνῃ, ὅτε τ' ἐκρέμω ὑψόθεν, ἐκ δὲ ποδοῖιν.

ubi scribendum non esse *τε κρέμω* vel ex eo potest probari, quod v. 21. iterum legitur *ἐκρέμω*. Hic quidem versus malus omnino non est, in quo trepidantis Junonis lepidam descriptionem recte agnoscit Spitznerus ad h. l. Est enim ipse versus instabilis.

Ceterum de nonnullis aliis rebus, quae huc pertinent, supra diximus §. 2. 3. 8. 9. In *α*, 277. valet idem, quod supra §. 9. docuimus de elisione.

§. 25. — De quarti pedis caesura trochaica saepius egerunt viri docti: Hermann. Orph. p. 692. — Spitzner. d. v. h. p. 10. — Hermann. Ell. p. 338. — Düntzer. in ephemerid. Darmstad. 1837. № 77.

Hujus caesurae cum apud Homerum rarior omnino sit usus, quam tolli saepissime subjectis vocibus encliticis supra demonstravimus (§. §. 2. 3.), patet recte Wolfium Iliad. α, 5. recepisse Διὸς δ' ἐτελείετο, non Διὸς δὲ τελείετο. Nec tamen mutari oportebat ἄρ libr. ε, 205. De φ, 604. cf. §. 39, b.

Sunt enim apud Homerum permulta hujus caesurae exempla, quae corrigi non possint. Sed maxime inter se differunt.

a. Etenim primum haec caesura paene nulla est, ubi est post semiseptenariam, quae major caesura superat minorem. Tanta est enim ejusdem vis, ut retenta paululum voce altera pedis pars celerius recitetur nec alteram caesuram, trochaicam, fieri patiatur. Huc pertinent exempla longe plurima, in quibus thesis quarta plerumque incipit a praepositione monosyllaba, aut ab articulo, aut a conjunctione καί. Cf. δ, 382. 443. ε, 140. 890. ζ, 171. η, 182. 183. 186. κ, 108. 222. 478. μ, 344. ν, 56. ξ, 126. 145. π, 500. 503. υ, 142. ψ, 130. ω, 200. Odyss. κ, 287. ω, 339. all. Saepe semiseptenaria firmatur interpunctione, α, 33. ε, 404. 414. ψ, 20. — Odyss. χ, 291. 463. anastropha tollitur elisione, cf. §. 8. s. fin. — Il. ε, 205. 686. σ, 98. major caesura (post οὐ) esse potest. Cf. §. 5. — Praevalet item semiquinaria, si in trochaica caesura est elisio, cf. Iliad. ζ, 157. quo loco non opus est lectione Aristarchea; Odyss. ω, 414. Nec aliter se habet Iliad. σ, 525., ubi caesuram esse ante ἅμ' probatur comparato versu 577., qui esset pessimus, ni statuere ita liceret. Vincit item semiquinaria κ, 540. σ, 451. κ, 224.

b. Nec minus infirma est trochaica caesura insequente ea, quae est major in fine pedis quarti. Hanc, majorem, non tolli elisione credibile est, cf. §. 9. — Huc pertinet elisio, quae est in fine pedis quarti δ, 460. ζ, 10. ϑ, 163.

all. Adde π, 347. υ, 444. φ, 597. Odyss. ι, 160. — Il. ι, 245. eodem modo se habet, quo ω, 398. — Praevalet eodem modo caesura major Odyss. λ, 187. Iliad. ε, 55. π, 515. ϱ, 406. υ, 181.

c. Non magis displicent versus ii, qui majore egentes caesura pedis quarti utuntur caesura seminovenaria, quam saepe succedere in locum majoris caesurae pedis quarti supra demonstravimus, §. 19 Hoc si fit, a caesura pedis tertii ruit celeriter versus ad caesuram seminovenariam, ut omittatur caesura trochaica pedis quarti. Tum alter ordo metricus pertinet a caesura pedis tertii majore ad seminovenariam, quae usitatissima est versuum forma. Patet vero, si tertii pedis caesura est trochaica, paulo vehementius versum festinare ad caesuram seminovenariam, quam si in tertio pede est semiquinaria. Itaque multo saepius invenitur caesura quarti pedis trochaica, antecedente trochaica pedis tertii (β, 475. ε, 571. ζ, 2. κ, 549. υ, 434. χ, 509. ψ, 76. 306. ω, 423. Odyss. η, 192. ο, 277.), ante seminovenariam, quam antecedente semiquinaria (ε, 178. ψ, 76. Odyss. ϱ, 399.).

d. Restant igitur eae caesurae, quae nec e majoribus pedis quarti caesuris habeant excusationem, nec sint ante seminovenariam.

Horum quidem versuum firmiores sunt ii, qui utuntur semiquinaria: κ, 317. ϱ, 719. (etenim post καί in fine pedis quarti non est caesura). ω, 526. 753. Odyss. ε, 400. υ, 223. σ, 140. υ, 77. — Infirmiores utique, qui utuntur pedis tertii trochaica: Iliad. λ, 686. 698. ψ, 587. 760. Addo ι, 394, quo loco neminem movit lectio Aristarchi γυναῖκά γε μάσσεται. In Odyssea haec forma est ξ, 89. cf. §. 9.

e. Una praeterea est versuum forma, de qua egimus infra §. 39. b.. Ea est, ubi post trochaicam caesuram pedis tertii ter legitur amphibrachys.

Addo tamen in fine hujus disputationis, me ne ex his quidem versibus, quos ultimo loco enarravi, concludere de recentiore quarumdam partium carminum Home-

ricorum aetate (quae audacior est Düntzeri sententia), nisi alia accedunt certiora argumenta. Leguntur enim horum versuum nonnulli inter alios versus praestantissimos, veluti ψ, 760., ut metri imperitum hunc esse poetam concludi non possit. Possunt tamen nonnulli poetae, nam plures esse credo, huic formae prae reliquis indulsisse.

Caput quintum.

De interpunctione quae est in versu Homerico.

§. 26. — Interpunctio quoniam est aut in fine sententiae totius; aut ubi sententiae quaedam pars ad finem perducitur; aut ubi singulis pluribusve vocibus in mediam sententiam insertis quietus sermonis tenor fere turbatur, quod vocativis fieri solet saepe: accedente interpunctione consentaneum est multo vehementiores fieri caesuras, quam quae efficiuntur solo vocum fine. Inde fit, ut nonnullis locis trochaica caesura minuat masculam, cf. ο, 46.

τῇ ἴμεν, ἢ κεν δὴ σύ, | κελαινεφές, ἡγεμονεύῃς.

Semiseptenariam item saepissime minuit ea, quae est in pedis fine, cf. γ, 76.:

ὣς ἔφαθ᾽· Ἕκτωρ δ᾽ αὖτ᾽ ἐχάρη μέγα, μῦθον ἀκούσας.

Oritur igitur quaestio, quaenam potissimum caesurae firmentur interpunctione.

§. 27. — Sunt autem quae prae ceteris tali modo firmentur caesurae tres: s e m i q u i n a r i a; t r o c h a i c a p e d i s t e r t i i; q u a r t i p e d i s e a, q u a e e s t i n p e d i s f i n e.

Ex his quae tertii pedis sunt, quam saepe utantur interpunctione, uno exemplo possumus efficere: Iliad. ξ, 10.; ubi in sex deinceps versibus ad caesuram accedit interpunctio.

Quam vero in fine pedis quarti demonstravimus cae-

suram, haec et omnino saepissime augetur interpunctione (α, 522. 523. 524. λ, 52. 54. 58. 65. 72. 75. 76.); et est etiam, ubi longiori narrationi ad finem perductae post hujus pedis finem statim altera subjiciatur longior narratio cum priore cohaerens (α, 348. 430. π, 124.).

§. 28. — Semiseptenariae paullo rarior interpunctio est. Etenim si in tertio pede sententiae est finis, quod saepe fit; non est tantum usque ad semiseptenariam spatium, quo iterum sententiae quaedam pars finiatur in initio pedis quarti. Quare tum quidem ea saepius invenitur interpunctio, quae interruptae sententiae est signum (λ, 378. *ἐν γαίῃ κατέπηκτο· ὁ δὲ, μάλα ἡδὺ γελάσσας, — ἐκ λόχου ἀμπήδησε* *)).

Saepius eadem ab initio versus ad semiseptenariam continuatur sententia. Ibi semiseptenariae majorem esse vim, quam caesurae pedis tertii, vere judicavit Hermannus. Hoc si fit, pugnat quodammodo metrica versus heroici ratio cum sententia. Cum enim ex metrica ratione quaedam in tertio pede desideretur intermissio, sententia tantum non finita compellimur uno tenore ad pedem quartum. Quare haec versus forma utitur magna gravitate; et est suavissima, ubi legitur inter plures versus ita ornatos caesura pedis tertii, ut haec fortior sit quam semiseptenaria. Displiceret eadem maxime, si plures hujusmodi versus deinceps sese exciperent. Qua ab re tam diligenter cavit poeta, ut satis magnis plerumque intervallis tales versus recurrant (λ, 39. 43. 80. 106. 146. 191. 221. 234.), raro duo se excipiant (λ, 248. 249.).

§. 29. — Restat, ut de minoribus caesuris interpunctione firmatis breviter agamus. Qua in re commodissimum visum est sequi ordinem pedum.

---

*) Wolfius quidem, qui hoc loco nullum posuit signum, aliis locis interpunxit, ubi interpunctione non egemus: α, 611. β, 279. 446. 477. σ, 146. 455.

Primi pedis caesurae interpunctione utuntur saepissime (λ, 45. 66. 96. — 2. 11. 50. 73. 93. — 9. 12. 18. 33. 35. 44. 50. 71.), qua saepius quidem superioris versus sententia finitur. — Est tamen etiam ejus sententiae, quae incipit a versus initio, in hoc pede interpunctio (α, 26. 32. 33. 37.). Quod si fit post arsin, masculae caesurae, ut quae per se non multum valeat, satis magna est vis. Accedentibus deinde masculis caesuris secundi pedis et tertii prior versus pars efficitur vehementissimus. Itaque his caesuris in notissimo versu (Odyss. α, 170.):

τίς; πόθεν εἷς ἀνδρῶν; πόθι τοι πόλις ἠδὲ τοκῆες;

bene describitur ea, quae interrogantium est, animi curiositas *).

§. 30. — **Secundus** pes saepissime utitur interpunctione post semiternariam (λ, 4. 16. 27. 31. 42.), qua superioris etiam versus sententia, quamquam rarius, finitur. — Trochaicae autem caesurae multo rarior interpunctio est, quippe qua repetatur superioris versus clausula (— ◡ ◡ — ◡). Haec tum maxime invenitur, cum satis magna est post versum superiorem vocis intermissio. Ita in libro undecimo legitur bis: 287. 314. Omitto enim versum 148. Multo rarius in fine pedis invenitur interpunctio, quae tamen post dactylum, ut exemplum addam, legitur in Odyss. α, 1. Post spondaeum ob repetitam superioris versus clausulam non solet inveniri, nisi ubi, narratione quadam ad finem perducta interpositaque satis magna vocis intermissione, ad aliud argumentum poeta progreditur **). Ita λ, 218.:

Ἔσπετε νῦν μοι, Μοῦσαι, Ὀλύμπια δώματ' ἔχουσαι.

quem versum saepius vides repetitum. Aliter se habet Odyss. α, 214. Sed est haec ante vocativos interpunctio satis

*) Interpunctionem post τίς qui omiserunt, Atticam consuetudinem judicaverunt aptam Homero.

) Non satis accurate de hac re egit **Kirchnerus, pag. LIV.

debilis, cujus vis etiam minuitur altera interpunctione, quae caesuram majorem reddit firmiorem.

§. 31. — Item in fine pedis tertii molesta est interpunctio, quae tam raro invenitur, ut in libris longe plurimis ne unum quidem insit exemplum. Est tamen, ubi antecedit semiquinaria, post dactylum libr. ι, 134. Contra libr. λ, 154., ubi item est post dactylum, elisione conjunguntur voces; cf. ε, 580. ϱ, 459. Libr. γ, 185. dubito, num vera sit interpunctio. — Cf. §. 24.

§. 32. — Quarti pedis caesuram trochaicam interpunctione firmatam apud Homerum non vidi. Apud Virgilium Horatiumque hujus rei exempla inveniri auctor est Kirchnerus, pag. LXIII.

§. 33. — Quintus pes raro utitur interpunctione. Semel eam vides in libro undecimo post seminovenariam (397.), nec saepius in ipso pedis fine (102.); atque multis in libris ne unum quidem invenies exemplum. Attamen hoc non est tanti, ut plane deleamus debilem interpunctionem α, 86. Spitzn. *). Contra trochaica hujus pedis caesura tum maxime firmatur interpunctione, cum adduntur comparationes: λ, 72. 129. 172. Comparatione non accedente legitur δ, 58. — Saepius et post arsin et post trochaicam caesuram quaedam invenitur interpunctio, ubi duae voces conjunguntur particulis τε — τε. (ζ, 8 79. 239. 328.). Sed licet dubitare, num fuerit interpunctio in tali dictione; quae si fuit, satis debilis fuit.

§. 34. — In sexti pedis caesura multo etiam rarius invenitur interpunctio. Est tamen in Odyss. α, 62., quo

---

*) Ex Aeneidis libr. I., qui continetur versibus 755, novem exempla interpunctionis, quae est in fine pedis quinti, congessit Kirchnerus, pag. LXIX.

loco Minerva acerbissime in Jovem invehens responsum flagitat. — cf. §. 20. s. fin.

§. 35. — Quid est igitur, quo differt Homericus interpunctionis usus a poetis Latinis? Sunt duo. Primum rarior omnino interpunctio est in versibus Homericis. Ea est enim hujus poetae orationis lenitas, quae in narrrationibus vel fervidissimis saepius interrumpi sententiam vix patiatur; id quod ex temporum illorum simplicitate facile per se potest colligi. Hac etiam ex re fieri jure fortasse putamus, ut non mediocriter in legendo Homero leniatur animus et ad illam revocetur quietem, quam epicam dicere consuevimus. Sunt tamen ejusdem causae plures. — Sed quaere apud Homerum talem versum, qualis est ille Ovidianus (Met. 3, 433.):

Quod petis, est nusquam; quod amas: avertere; perdes.

Non invenies *). — Maxime autem differt interpunctionis ratio ea, quae est quinti sextique pedis. Haec enim versus pars pro epica consuetudine est quietissima. Contra apud Horatium novissimorum pedum tam saepe interpunctio est, ut lenis versuum decursus maximopere turbetur atque efficiatur dicendi quaedam, ut ita dicam, procacitas et petulantia. Equidem, ut ingenue fatear, cum tales versus lego, idem sentio, ac si audiam homines fores pulsantes aditumque postulantes. Quae versuum ratio ut aptissima est ei, qui vult ridendo dicere verum; ita multum abest ab Homerici carminis modestia, quam a Virgilio jam vides relictam. Suis locis, sed raro, etiam apud Homerum tales versus inveniri, demonstrat libr. δ, 58. coll. Odyss. α, 62.

Addo, nunquam apud Homerum in medio versu finiri orationes. Fit Virg. Aen. 9, 250. 280. 292. all. Incipit oratio recta in medio versu semel in Iliade: ψ, 855.

*) Ne in vehementissima quidem concitatione tam crebra est interpunctio, cf. χ, 450.

Caput sextum.

De numerorum, qui sunt in versu Homerico, ratione.

§. 36. — His expositis rebus superest, ut de variis agamus versus Homerici numeris. Qua ex re explicationem habebunt, quae de vi caesurarum diximus supra. Insunt enim in hoc versu numeri omnino quinque: dactylicus, anapaesticus, amphibrachys, spondaicus, choriambicus. Qui sextus ad hos accedit, trochaicus; is, quoniam e versus natura non potest deinceps continuari (— ᴗ — ᴗ — ᴗ), singulis tantum in pedibus invenitur. Hanc ob causam nisi in transitu eum non attingimus. Hic mollis est atque infirmus, quare molliunt versum caesurae trochaicae. Alia ratio est numeri iambici, qui et ipse non magni est in versu heroico momenti. Is est ubi trochaicam caesuram statim excipit mascula: — ᴗ, | ᴗ — ||. — Ceteri, quos diximus, numeri per plures pedes possunt continuari.

§. 37. — Atque dactylicus numerus, quem posuimus primum, heroici versus est fundamentum. Itaque recte docetur hunc versum quinque pedibus contineri dactylicis. Sextus autem pes, quo versus finitur, necesse est trochaeus sit; qui si dactylus esset, nulla esset numerorum intermissio.

Dactylici numeri est quaedam, sed aequa illa, celeritas, quare aptissimum praebet fundamentum quietae, quae in universum epici carminis est, narrationi. Sed nec vim habet magnam, nec per se satis est quietus. Quare ita comparatus est versus heroicus, ut quietem accipiat majorem a caesuris trochaicis, alias virtutes a numeris aliis. Numerorum ratio varia efficitur caesuris.

Ergo pessimi sunt versus, quorum caesurae nullum efficiant numerum nisi dactylicum. Talis versus est hic:

Pythie, | Delie, | te colo, | prospice | votaque | firma.

cujus similem apud Homerum non inveni. Atque vel ii versus inveniuntur rarissime, qui quaternis utuntur caesuris dactylicis, quinta trochaica, quae est in pede tertio. Ita se habet λ, 44.:

ὀξέα· | τῆλε δὲ | χαλκὸς || ἀπ' αὐτόφιν | οὐρανὸν | εἴσω.

Qui binis utantur caesuris trochaicis, inveniuntur plures; ita τ, 229.:

νηλέα | θυμὸν | ἔχοντας || ἐπ' ἤματι | δακρύσαντας.

Quare ad reliquos quos diximus numeros transeamus jam est necesse. Quod antequam fiat; hoc unum monemus, quod momenti est maximi. Etenim cum heroici versus fundamentum sit numerus dactylicus; id ante omnia erat opus, ut, aliis in hunc versum illatis numeris, ad fundamentum suum dactylicum sensim versus rediret. Hoc fit in versus fine. Qua ex re efficitur, quod non vidisse viros doctos miror, ut quartus pes decurrat tam saepe ad caesuram dactylicam, ut inter majores caesuras eam demonstraverimus supra (§. 12.).

§. 38. — Ad **anapaesticum** numerum tum maxime accedit versus heroicus, cum masculae caesurae sese excipiunt deinceps. Ita in priore versus parte usque ad semiquinariam duo possunt esse anapaesti, qui facilius cognoscuntur, si post arsin pedis primi est caesura, cf. ι, 306. (259.):

οἳ ἔμεναι Δαναῶν, οὓς ἐνθάδε νῆες ἔνεικαν.

Nec minus est anapaesticus v. κ, 251.:

ἀλλ' ἴομεν· μάλα γὰρ νὺξ ἄνεται, ἐγγύθι δ' ἠώς.

Interdum vel a secundo pede usque ad arsin pedis sexti continuatur hic numerus: γ, 40.:

αἴθ' ὄφελες ἄγονός τ' ἔμεναι, ἄγαμός τ' ἀπολέσθαι,

cujus versus impetus vehementissimus minuitur paululum eo, quod ἄγονός τ' ἔμεναι prope accedit ad numerum choriambicum.

Perraro tamen ita continuantur anapaesti in pedem sextum, ut finiantur in hoc pede caesura mascula, sequente voce monosyllaba. Talis versus est ille:

τὸν δ' ἀπαμειβόμενος προςέφη νεφεληγερέτα Ζεύς.

Multo saepius pes sextus per trochaeum vel spondaeum sine caesura decurrit, qua re domatur effervescens anapaestorum natura. — Cf. §. 40. a.

Jam si dactylici numeri aequa est celeritas, anapaestici est rapiditas et vehementissimus pro ratione epica impetus. Quare hoc numero tum utitur poeta, cum aut celerrimae describuntur agitationes aut acerrimum studium, cf. τ, 138. 187. φ, 256. χ, 307. all.

§. 39. — Numerus amphibrachys in versu heroico efficitur caesuris trochaicis deinceps sese excipientibus, non interposita caesura mascula. Hic numerus breviter surgens, statim relabens, si per totum versum continuaretur, infirmiores versus efficeret. Itaque ab hac re diligentissime cavit poeta, quamvis hoc numero, si quo alio, utatur et saepissime et clarissime. Falsa est enim nonnullorum (veluti Bothii, qui hunc numerum ex Homeri carminibus quasi furca expellere studuit, cf. ψ, 238. all., sed et ipse tamen, cum metricae rationis vocis γάρ, §. 3., esset imperitus, talium versuum numerum auxit libr. ψ, 865.) sententia, qui putent hunc numerum pro heroica ratione esse infirmiorem. Qui si cognovissent encliticarum vocum naturam metricam; tam multos reperissent ejusmodi versus, ut ad hanc opinionem nunquam essent delati.

Sunt enim eorum versuum, qui hoc numero utuntur, duo potissimum genera.

a. Alterum est, ubi duo amphibrachyes inveniuntur usque ad caesuram trochaicam pedis tertii. Haec versus forma, qua saepissime poeta utitur, decurrere solet haud raro ad quarti pedis caesuram dactylicam.

Subest fere ubique maximae festinationis notio, et efficiuntur hoc numero versus quodammodo salientes. Ita Odyss. λ, 598. describitur saxum, quod a colle decurrens subinde succutitur:

αὖτις· ἔπειτα πέδονδε κυλίνδετο λᾶας ἀναιδής.

Il. φ, 235. describitur quodammodo undarum motus:

πάντα δ' ὄρινε ῥέεθρα κυκώμενος, ὦσε δὲ νεκρούς.

σ, 421. describuntur virgines, Vulcanum sustinentes claudicantem:

αἳ μὲν ὕπαιθα ἄνακτος ἐποίπνυον, αὐτὰρ ὁ ἔῤῥων.

ψ, 116. describuntur Achaei sursum deorsum in monte errantes:

πολλὰ δ' ἄναντα, κάταντα, πάραντά τε, δόχμιά τ' ἦλθον.

Nec aliter se habent φ, 244. 407., quibus locis describuntur et arbor et Mars vehementer proruentes:

κρημνὸν ἅπαντα διῶσεν, ἐπέσχε δὲ καλὰ ῥέεθρα.
ἑπτὰ δ' ἐπέσχε πέλεθρα πεσών, ἐκόνισε δὲ χαίτας. — cf. υ, 269.

Saepe hac festinationis notione describitur indefessum studium. Ita υ, 299. Aeneae demonstratur pietas, qui semper

δῶρα θεοῖσι δίδωσι, τοὶ οὐρανὸν εὐρὺν ἔχουσιν.

Cf. ε, 36. 71. λ, 93. ψ, 238. ω, 792. Adde ζ, 314. *)
Similis ratio videtur esse notissimi versus:

γυῖα δ' ἔθηκεν ἐλαφρά, πόδας καὶ χεῖρας ὕπερθεν. — ε, 122. all.

et ρ, 110.:

ὅν ῥα | κύνες τε | καὶ ἄνδρες | ἀπὸ σταθμοῖο δίωνται.

Eadem ratione describitur eorum animus, qui sibi cavent, vel abhorrent ab aliqua re:

*) Cf. Virgil. Aen. 8, 94.:
Olli remigio noctemque | diemque | fatigant.

οὐκ ἂν ἔγωγε θεοῖσιν ἐπουρανίοισι μαχοίμην.
μή μιν ἐγὼ μὲν ἵκωμαι ἰών· ὁ δέ μ' οὐκ ἐλεήσει.
οὐκ ἂν ἔγωγε σ' ἔπειτα ἐποτρύνουσα κελοίμην.
ζ, 129. χ, 123. ω, 297.

Quae cum ita sint, egregie hoc numero describitur etiam anxietas et summus pavor, veluti Veneris vulneratae, quae Martis currum flagitat ε, 360.:

ὄφρ' ἐς Ὄλυμπον ἵκωμαι, ἵν' ἀθανάτων ἕδος ἐστίν.

et columbae accipitrem fugientis χ, 141.:

ἡ δέ θ' ὕπαιθα φοβεῖται· ὁ δ' ἐγγύθεν ὀξὺ λεληκὼς
ταρφέ' ἐπα|ΐσσει ||.

et Andromachae, cui Hectoris mortem praesagienti *ἐν στήθεσιν πάλλεται ἦτορ ἀνὰ στόμα,* **hoc versu (χ, 450.):**

Δεῦτε, δύω μοι | ἕπεσθον, ἴδωμ' ὅτιν' ἔργα τέτυκται.

Patet autem, etiam laetitiam hoc salientium versuum modo posse describi. Ita Achillis pugnam vehementer flagitantis et ipsa pugnae cogitatione gaudentis saevam laetitiam egregie demonstrat τ, 214.:

ἀλλὰ | φόνος τε | καὶ αἷμα | καὶ ἀργαλέος στόνος ἀνδρῶν.

Eodem modo in cavillatione hoc numero utitur Agamemno, Ulixem increpans δ, 339.:

καὶ σύ, κακοῖσι δόλοισι κεκασμένε, κερδαλεόφρον.

b. Alterum genus eorum est versuum, in quibus inde a tertii pedis caesura trochaica usque ad finem versus terni insunt amphibrachyes:

— ◡ ◡ — ◡ ◡ — ◡ || ◡ — ◡ | ◡ — ◡ | ◡ — ◡̄

Cf. §. 25. Hoc genere multo rarius utitur poeta. Insunt enim in Iliade quatuor tantum, quod sciam, ejusmodi versus: ε, 285. (repetitur λ, 288.) φ, 483. 575. ω, 35.

Vel hi versus, qui nullo modo possunt corrigi, festinationis notionem exhibent. Ita ε, 285.:

δηρὸν ἔτ' ἀνσχήσεσθαι· ἐμοὶ δὲ | μέγ' εὖχος | ἔδωκας.

nullo modo potest vituperari, quo versu Pandarus gravi-

ter vulneratum putans Diomedem singularem suam jactat voluptatem. Nec minus suavis est versus φ, 575, quo fera describitur intrepida, quae obviam it venatoribus, nec

ταρβεῖ, οὐδὲ φοβεῖται, ἐπεί κεν ὑλαγμὸν ἀκούσῃ.

His enim numeris laetari quasi videtur suis viribus pardalis. — Sed exsultant facile, qui saliunt, quod ipsa verborum demonstratur necessitudine. Ita fit ut haec versuum forma bis inveniatur, ubi cavillari videantur qui loquuntur. Etenim φ, 483. in Dianam, quam flagitiose postea castigat, invehitur Juno his verbis:

χαλεπή τοι ἐγὼ μένος ἀντιφέρεσθαι
τοξοφόρῳ περ ἐούσῃ· ἐπεί σε λέοντα γυναιξὶν
Ζεὺς θῆκεν.

Eodem modo lacessit Apollo deos Hectorem plangentes, sed Achilli eripere non ausos, ω, 35.:

τὸν νῦν οὐκ ἔτλητε νέκυν περ ἐόντα σαῶσαι.

Quare nescio an φ, 604. melior sit lectio Florentinae: δόλῳ γὰρ ἔθελγεν Ἀπόλλων (pro δ' ἄρ', quod scripsit Wolf.). Describeretur enim optime vana et irrita Achillis cupido, cf. χ, 8. sqq., et firmatur haec versuum forma ejusdem libri versibus vicinis 483. 575. Eandem ob causam damnanda est v. 575. altera lectio κυνυλαγμόν.

Restat, ut, quod minus frequens est hujus versuum formae usus, addamus eos locos, quibus legitur in Odyssea. Sunt ε, 272. ζ, 294. θ, 554. ν, 66. (?) σ, 150. υ, 42. χ, 186. ω, 426.*) Qui contra nostram sententiam vix faciunt.

c. Sunt tamen inter utrumque quod demonstravimus genus complures versuum formae, quas mittimus ne argutior efficiatur disputatio. Nam id tantum nobis proposuimus, ut hujus doctrinae describeremus fines.

§. 40. — Venio ad numerum spondaicum, cui quar-

---

*) Addere liceat conjecturam, ex qua ita se habebunt δ, 796. ν, 288. π, 157.: δέμας δὲ ἔικτο γυναικί.

tus tribuendus erat locus, quod ejus numeri ratio, nisi explicatis antea numeris et dactylico et anapaestico, non potest intelligi. Etenim spondaicus numerus exprimit gravitatem, quae efficitur quadam tarditate. Ita fit, ut in versu heroico, quod gravitate eget numerus dactylicus, pro quovis pede dactylico esse possit spondaeus. Rarius tamen accidit in pede quinto; puto, quod, nisi in fine versus conspicitur dactylus, ea tolli videtur ratio metrica, quae totius versus est fundamentum.

Attamen multum interest, utrum pro dactylo sit spondaeus (*sinkender Spondaeus*), an pro anapaesto (*steigender Spondaeus*).

a. Atque si pro anapaesto est spondaeus, minuitur quidem anapaestici numeri rapiditas; sed gravior efficitur versus. Ita λ, 125. describitur Antimachi studium et contentio, qui:

οὐκ εἴασχ᾽ Ἑλένην δόμεναι ξανθῷ Μενελάῳ.

Nec minus gravis est oratio Talthybii Machaonem excitantis; δ, 204.:

Ὄρσ᾽, Ἀσκληπιάδη, καλέει κρείων Ἀγαμέμνων.

Minore gravitate utitur Antilochus, victum se ab Ulixe excusans; ψ, 790.:

οὗτος δὲ προτέρης γενέης, προτέρων τ᾽ ἀνθρώπων.

Raro tamen ita poni spondaeos pro anapaesto, ut plures sese excipiant, si accurate quaeris, facile invenies. Primum enim rarissima duorum hujus generis spondaeorum usque ad semiquinariam sunt exempla, qualis est versus μ, 65.:

ἔνθ᾽ οὔπως ἔστιν καταβήμεναι, οὐδὲ μάχεσθαι ἱππεῦσιν.

et, quem minus vehementem efficit interpunctio, α, 305.:

ἀνστήτην· λῦσαν δ᾽ ἀγορὴν παρὰ νηυσὶν Ἀχαιῶν.

Haec enim versus forma tam magni est momenti, ut, nisi gravissimis in rebus, apta esse non possit. Rarius etiam post semiquinariam pro anapaestis inveniuntur spondaei duo, uti α, 305.:

— *τὼ δ' αὐτὼ μάρτυροι ἔστων*
πρός τε θεῶν μακάρων, πρός τε θνητῶν ἀνθρώπων.

Rarissime vero tres spondaei ita se excipiunt, cf. *κ*, 550.:

ἀλλ' οὔπω τοίους ἵππους ἴδον, οὐδ' ἐνόησα,

qui versus, quod ad dactylicam decurrit quarti pedis caesuram, firmatam interpunctione, minus vehemens est.

Sequitur, ut inserantur potius hi spondaei in numeros alios; cujus rei praeclarissimum, quod supra jam demonstravimus, exemplum repetimus hoc loco: *ψ*, 777.:

ἐν δ' ὄνθου βοέου πλῆτο στόμα τε ῥῖνάς τε.

Jam si addere licet ea versuum initia, quae interpositis spondaeis anapaesticis efficiuntur graviora, haec sunt potissimum:

— — –́, ◡ ◡ –́ ||
— — –́, — –́ ◡ ||
— —, — — –́ ||*)
— ◡ ◡ —, — –́ ||

cf. *α*, 80. 122. 128. 124.:

κρείσσων γὰρ βασιλεύς, ὅτε χώσεται ἀνδρὶ χέρηϊ.
Ἀτρείδη κύδιστε, φιλοκτεανώτατε πάντων.
τριπλῇ τετραπλῇ τ' ἀποτίσομεν, αἴ κέ ποθι Ζεύς.
οὐδ' ἔτι που ἴδμεν ξυνήϊα κείμενα πολλά.

In extrema hac disputatione repetimus, quod sub finem §. 38. diximus, rarissime ita in sextum pedem continuari anapaestos, ut finiantur caesura hujus pedis mascula. Hoc in spondaeis anapaesticis eo fit rarius, quod in pede quinto solet esse dactylus. Unum tamen ejusmodi versum non possumus quin addamus. Est is haud dubie omnium, qui in Iliade insunt, versuum eam ob causam longe gravissimus, quod anapaesti continuantur ad caesuram pedis sexti, quae est post spondaeum pedis quinti. Ita decet pugnam deorum, *φ*, 387.:

---

*) Haec forma media est inter anapaesticos spondaeos et dactylicos.

σὺν δ' ἔπεσον μεγάλῳ πατάγῳ, βράχε δ' εὐρεῖα χθών.

Hunc versum qui fecit et conjunxit cum proximo, qui item finitur voce monosyllaba, haud dubie malus rhapsodus non fuit

b. Alia vis est spondaeorum, qui sunt pro dactylis. Hi, multo quietiores anapaesticis, gravitate utuntur maxima. Quare ubi ab uno, qui ad hoc genus pertinet, spondaeo incipit versus, quod saepe fit, confirmari quodammodo a poeta videtur id quod narratur (φ, 236. 248.). Multo major est gravitas, ubi duos ejusmodi spondaeos excipit tertii pedis caesura trochaica (cf. γ, 229.), qua versus forma describitur saepissime labor et defatigatio. Ita Sisyphum videt Ulixes (Odyss. λ, 594):

λᾶαν βαστάζοντα πελώριον ἀμφοτέρῃσιν.

Eodem modo leonem fugit cerva (Il. λ, 119.):

σπεύδουσ', ἱδρώουσα, κραταιοῦ θηρὸς ὑφ' ὁρμῆς.

cujus versus augetur etiam gravitas spondaeo addito in pede quarto. Tales versus ubi inveniuntur in orationibus, laborare quodammodo in dicendo videntur ii qui loquuntur. Ita ρ, 444. Jovem miseret equorum:

(Ἀ δειλώ, τί σφῶϊ δόμεν Πηλῆϊ ἄνακτι)
θνητῷ; ὑμεῖς δ' ἔστον ἀγήρω τ' ἀθανάτω τε. —
Cf. χ, 423.

Quare his versibus maximam describi saepissime indignationem facile perspicitur. Tali versu utitur Achilles, Agamemnonis referens injuriam; α, 388.:

ἠπείλησεν μῦθον, ὃ δὴ τετελεσμένος ἐστίν.

Nec minus haec versuum forma egregie convenit iis, qui vehementer commoti animo cum quadam contemtione vituperant. Ita Diomedes maximopere vituperat Agamemnonem: ι, 38. 39.:

σκήπτρῳ μέν τοι δῶκε τετιμῆσθαι περὶ πάντων,
ἀλκὴν δ' οὔτοι δῶκεν, ὅ τε κράτος ἐστὶ μέγιστον.

Cf. praeterea ι, 34. 612. 633. δ, 289. χ, 38. — Odyss. α, 159. θ, 167. 169. 174. 178. — Juvat autem apponere

Iliad. τ, 24.; quo loco bis legitur talis versus, interposito alio, qui semiquinaria utens paulo fortior est:

— ἀλλὰ μάλ' αἰνῶς
δείδω, μή μοι τόφρα Μενοιτίου ἄλκιμον υἱὸν
μυῖαι, καδδῦσαι κατὰ χαλκοτύπους ὠτειλάς,
εὐλὰς ἐγγείνωνται, ἀεικίσσωσι δὲ νεκρόν.

Nec minus apte hac versuum forma utuntur, qui precibus urgent. Tales versus sunt hi:

τίμησόν μοι υἱόν, ὃς ὠκυμορώτατος ἄλλων.
νημερτὲς μὲν δή μοι ὑπόσχεο καὶ κατάνευσον.
κοίμησόν μοι Ζηνὸς ὑπ' ὀφρύσιν ὄσσε φαεινώ.
Ἕκτορ, μή μοι μίμνε, φίλον τέκος, ἀνέρα τοῦτον.

Cf. α, 505. 514. ξ, 236. χ, 38.

c. Quatuor vero spondaei (mitto enim pedem sextum) tam raro inveniuntur in eodem versu, ut nonnullis in libris ne unum quidem insit exemplum*). Cf. β, 544. 813. γ, 248. ι, 137. λ, 130. φ, 568. ψ, 221. Hac gravissima versuum forma plerumque gravissimas res describi facile intelligitur. Talis versus est α, 439.:

ἐκ δὲ Χρυσηῒς νηὸς βῆ ποντοπόροιο,

gravis ille propterea, quod ipsa res totius narrationis est summa et finis. Multo gravior est α, 11.:

οὕνεκα τὸν Χρύσην ἠτίμησ' ἀρητῆρα,

cujus pes quintus utitur spondaeo. Crimen esse quod fecit Agamemno, quamvis verbis non demonstretur, facillime colligis ex versus forma**).

d. Ceterum dictu vix opus est, saepissime apud Homerum inveniri spondaeum in pede quinto. Hac re gra-

---

*) Apud Horatium saepissime hanc formam inveniri constat, cf. Sat. I. 1. verss. 1. 3. 4. 6. all.

**) Hanc ipsam ob causam displicet lectio Veneti: ἠτίμασεν, de qua egit Lehrs. Annal. Darmst. 1834. p. 139. Nec aptum hoc loco frequentativum ἀτιμάζω.

viores fieri versus facile intelligitur. Ita vel duo ejusmodi versus se excipiunt interdum, veluti π., 647. 648.

Accuratius de hac re quaerere quamvis vix operae pretium sit, et facile, quae huc pertinent, intelligantur ex iis, quae de numeris et caesuris supra diximus; tamen non possumus quin de hac versuum forma nonnulla addamus. Movet enim C. G. Mülleri (d. cyclo epico p. 139.) excursus. Hunc cum legerem, idem accidit, quod in quaestionibus metricis saepe vidi accidere, ut primo mirarer animi sagacitatem et magnam scriptoris diligentiam; mox intelligerem speciosam esse doctrinam et inutilem. Nolo tamen refutare, quae in illa disputatione aut falso sunt dicta aut temere, quae neminem facile moveant.

Patet aut anapaesticos spondaeos esse posse in pede quinto, aut dactylicos. Itaque duplex erit de hac re disputatio.

Anapaestici spondaei possunt surgere inde a thesi tertia ad arsin quintam. Hoc fit rarius, cf. β, 123. ε, 862. λ, 592. π, 306. all. Hi versus quamvis finiantur plerumque vocibus trisyllabis; patet tamen vocem monosyllabam esse posse in thesi quinta, veluti Odyss. μ, 64. Quae quidem forma gravissima est. Vehementior est versus, cum in quarta arsi est mascula caesura et item in quinta: β, 388. τ, 268. ω, 619. — Paene eadem est vis, sed minor gravitas, ubi quarti pedis thesis est dactylica, cf. γ, 172. ψ, 244. (§. 19.) ν, 36. — Jam si in quarto pede non est caesura major, cujus in locum seminovenariam saepe succedere supra demonstravimus, patet etiam eos versus pertinere ad spondaeos anapaesticos, qui post caesuram seminovenariam in thesi habent vocem monosyllabam, veluti Odyss. δ, 604. ρ, 208. Hos quis quaeso corrigat? — Possunt etiam inde ab arsi quarta surgere ad arsin sextam per spondaicum pedem quintum hi spondaei, veluti φ, 387. Haec versuum forma et rarissima est et vehementissima, cf. supra lit. a. sub fin.

Saepius quidem dactylici sunt spondaei, ubi spondaicus est pes quintus. Decet enim versum heroicum haec quieta, ut ita dicam, in fine gravitas, ut qui leniter decurrere soleat. Possunt ita cadere spondaei inde ab thesi tertia: cf. π, 647. Odyss. β, 130. 325. α, 102. φ, 113. 149. ull. — Saepius quidem cadunt post caesuram bucolicam, cf. α, 330. β, 268. π, 218. 257. 329. 333. Qui versus etsi desinunt in voces, quae quaternis syllabis continentur, patet tamen post pedem quintum esse posse caesuram: cf.. ϑ, 565. ι, 240. κ, 238. 574. Odyss. ξ, 239. Num igitur corrigendi sunt hi versus? —. Eodem pertinent ii versus, qui post majorem cam, quae solet esse in fine pedis quarti, caesuram voces habent monosyllabas. Hoc eam ob causam raro accidit, quod paucae in universum sunt voces monosyllabae. Quod cum ita sit, quis ausit corrigere Odyss. ρ, 388. Iliad. κ, 438. ψ, 743.? praevalet ibidem major illa in fine pedis quarti caesura, §. 19. fin., eodem modo, quo praevalet ante voces procliticas δ, 149. λ, 266. Odyss. γ, 174. (legere voluit Müllerus 'Εὔβοιαν!) ε, 264. Eadem est res, ubi in arsi quinta est vox bisyllaba elisione deminuta, τ, 131. all. Odyss. δ, 607.

Inter utrumque genus ii sunt versus, in quibus post quartam diaeresin incipiunt spondaei, cadentes per pedem quintum, surgentes deinde in arsin sextam: ϑ, 150. 238. τ, 117. λ, 741. all.

§. 41. — Spondaei et dactyli ubi ex ordine sese excipiunt, efficitur fere numerus choriambicus, qui ultra arsin pedis quarti continuari non solet. Sed ut magis perspiciatur hic numerus in versu heroico, opus est his potissimum rebus. Primum non potest esse in primo pede interpunctio; deinde opus est caesura semiternaria; tum, si est caesura major in pede tertio: tamen aut ipsa sententiae vi tertia arsis arctius necesse est cohaereat cum iis vocibus, quae sunt usque ad semiseptenariam; aut

tertii pedis caesura major debilitetur interpunctione, quae est post semiseptenariam (§. 28.). Haec si fiunt, maximus est versuum vigor et clara magnificentia. Ita se habet Agamemnonis versus α, 106.:

Μάντι κακῶν, οὔ πώποτέ μοι τὸ κρήγυον εἶπες.

cf. δ, 358. (λ, 220. 249. sunt simillimi):

Διογενὲς Λαερτιάδη, πολυμήχαν' Ὀδυσσεῦ.

λ, 191. (similis est ξ, 33.):

αὐτὰρ ἐπεί κ', ἢ δουρὶ τυπεὶς, ἢ βλήμενος ἰῷ.

Rarissime in sextum pedem continuatur hic numerus, qualis est versus α, 179.:

οἴκαδ' ἰὼν σὺν νηυσί τε σῇς καὶ σοῖς ἑτάροισιν.

Patet hac choriambica versuum forma evanescere fere eam vim, quae solet esse majoris caesurae pedis tertii. Quare rarius omnino tales versus inveniuntur apud Homerum *). Saepius leguntur apud Virgilium.

Possunt tamen ad hanc choriambici numeri rationem vel ii accedere versus, qui utuntur solis dactylis; quibus in versibus minuitur multum vis choriamborum. Ita poeta utitur duobus versibus, qui ad choriambicum numerum accedunt, libr. α, 440. Hoc enim loco usque ad versum 438. quieta narratio est. Inde multo major incipit orationis gravitas versibus his:

ἐκ δὲ Χρυσηῒς νηὸς βῆ ποντοπόροιο.
τὴν μὲν ἔπειτ' ἐπὶ βωμὸν ἄγων πολύμητις Ὀδυσσεὺς
πατρὶ φίλῳ ἐν χερσὶ τίθει, καί μιν προςέειπεν.

Saepissime autem in versuum initio poeta utitur uno choriambo, quem excipit spondaeus ad semiquinariam surgens. Tum magnificus quodammodo exsistit versuum impetus, cf. κ, 100.:

δυσμενέες δ' ἄνδρες σχεδὸν εἴαται· οὐδέ τι ἴδμεν.

---

*) Satis multi insunt in libr. α, 439—471.

cf. φ, 234. 250. all. Saepe etiam antecedente spondaeo seu dactylo choriambus procedit ad semiquinariam: α, 460. ν, 41.

§. 42. — Hactenus de singulis numeris egimus, nonnulla tamen, ubi aptum videbatur, addentes de varia horum numerorum conjunctione. Consentaneum est enim hos numeros vario modo inter se conjungi. Qua in re argutissima esset disputatio, si rationem haberemus numerorum eorum, qui inter alios numeros semel leguntur. Ita enim et iambus saepe est ante anapaestum, quem praeparat quodammodo; et trochaeus excipit saepe dactylum. Quae huc pertinent tractavimus supra, cum de singulis caesuris ageremus. Majorem autem vim inesse in singulis choriambis, inde facile probatur, quod ultra unum pedem extenduntur. — Sed haec facile possunt intelligi omnia, si accurate perpenduntur, quae disputavimus. Quare id unum hoc loco repetimus: in posteriore versus parte praevalere omnino numerum dactylicum.

Apparebit deinde ex iis, quae disputavimus, numerum aut ea describere, quae sensibus possumus percipere, aut affectus animi. Ita enim solet fere fieri ut, quae ad sensus pertinent proprie, ad animum deinde transferantur. Atque per complures versus si idem continuatur numerus, non singulas quasque exprimit totius sententiae partes; sed similis ratio est atque melodiae, quam dicunt, quae, ubi eadem est stropharum plurium, exprimit eum omnino animi sensum, qui toti carmini subest. Rarissime enim cum singulis carminis verbis melodia convenit. Quare, ut unum proferamus exemplum, cum libr. φ, 235. celerrimo versu describatur fluvius surgens, eadem celeritas inest in versu proximo, cujus versus sententia non desiderat hanc celeritatem. Hujus rei si aliunde petere licet argumentum, haud alia ratio est versuum σ, 402. 403., ubi, ut magis illustretur vox μορμύρων, aliae advocantur voces utentes litera ρ:

ἐν σπῆϊ γλαφυρῷ· περὶ δὲ ῥόος Ὠκεανοῖο
ἀφρῷ μορμύρων ῥέεν ἄσπετος.

§. 43. — Superest ut de sexto pede nonnulla faciamus verba. Quem pedem ut diceremus effici trochaeo, movit nos metrica ratio, cf. §. 37. Efficit tamen ea, quae in fine versuum est, vocis intermissio, ut pro trochaeo esse possit spondaeus, quo diutius vox retinetur. Ita fit, ut apud Homerum multo saepius versus decurrat per vocem spondaicam. Eandem ob causam, ubi potest fieri, in fine versuum addiderunt docti homines literam ν paragogicam, quam ipsa vocis intermissio videtur postulare. Cf. Herm. Orph. praef. — Ephem. lit. Jen. 1809. № 243. — Solet autem, si in sexto pede est caesura, versus concludi syllaba longa.

Ceterum patet, solum sextum pedem non multum valere ad rationem numerorum immutandam, si deest caesura mascula; quare non magni putamus esse momenti, utrum excipiat dactylum (–́ ◡ ◡ | –́ ◡̄), an sit in amphibracho (–́ ◡ | ◡ –́ ◡̄). Utrumque invenitur saepissime et est mollissimum; quietius illud et gravius, hoc mobilius; molestissimum tamen utrumque, si eadem deinceps est multorum versuum clausula.

§. 44. — Juvat autem, quo melius intelligantur, quae de ratione diximus numerorum, in fine disputationis nostrae accuratius agere de metrica unius loci ratione, qui maxima et verborum vi et versuum inter omnes excellit. Is est φ, 233 — 250.; quae summa est versuum duodeviginti. His continetur fervida illa narratio, quae est de impetu Scamandri in Achillem facto.

Subest toti huic narrationi, quae per plures, quam quos diximus, continuatur versus, numerus dactylicus, qui in hac quam demonstravimus narrationis parte saepissime ad alia numerorum genera prope accedit. Spondaicus numerus uno tantum in versu praevalet (239.), qui

versus spondaeis utitur tribus. Sextum enim pedem omittimus, qui num trochaeus sit, an spondaeus, non multum interesse supra diximus. Quare satis habeo dicere, horum versuum duodecim decurrere per trochaeum, per spondaeum sex. Apparet igitur versuum celeritas.

a. Prior horum versuum periodus, si hoc nomine satis apto licet uti cum Thierschio, finitur versu 239.; quae complectitur versus inter se dissimiles septem. Nec minus v. 239. finitur sententia, cujus duae potissimum sunt partes: Achilles in fluvium insiliens, fluvius surgens. Itaque his versibus jaciuntur totius narrationis quasi fundamenta. Quare post v. 239. opus est interpunctionis signo majore, quod post Clarkium recte posuit Ernesti.

Jam ut de versibus hujus periodi dicamus singulis, primi quidem versus pars prior accedit ad numerum anapaesticum. Quod probatur et interpunctione, quae est post ἤ; et voce μέν proxime accedente ad Ἀχιλλεύς, quae voces dirimi non possunt; et caesura semiquinaria. Utitur autem hac anapaestorum vi poeta, ut demonstret nihil intercessisse temporis inter fluminis orationem et Achillis saltum. Hinc altera versus pars decurrit celeriter per dactylos, qui caesura inter se distinentur. — Alterius versus prior quidem pars continet choriambum, quem excipit spondaeus anapaesticus. Choriambum enim esse eam ob causam statuimus, quod verba κρημνοῦ ἀπαΐξας ipsius sententiae vinculo arcte conjunguntur. Demonstratur quodammodo hoc numero Achilles magna virium contentione de ripa in flumen nitens. Sequuntur dactyli, qui fluvium demonstrant celeriter proruentem, item caesuris disjuncti. — Hunc versum excipit tertius, cujus priores pedes, ad amphibrachyn accedentes numerum, fluctuum et surgentium celeriter et labentium repraesentant motum. Altera versus pars item decurrit per dactylos. — Qui sequuntur versus quatuor, his non multum procedit narratio. Mira igitur arte ita sunt compositi, ut spondaeis

paulatim adhibitis impetus residat, qui versuum erat priorum. Quare versus 236. utitur uno spondaeo, vv. 237. 238. binis, versus 239. tribus. Tali modo aucta deinceps versuum gravitate audientes ad finem sententiae sensim adducuntur. Ultimi versus spondaei duo, a quibus incipit versus, sunt pro dactylis; graves ii et quieti, quibus laborem describi supra diximus.

b. Hinc altera ad versum 250. pertinet versuum periodus, qua undecim versus continentur. Urgent undae Achillem, qui vix evadens atque sibi timens per apertum campum citato cursu fertur; ripas relinquit fluvius.

Jam cum proximae periodi quietior fuerit finis, hujus periodi primus versus (240.), a spondaeo incipiens celerius deinde decurrit per dactylos. Alter versus (241.) duobus utitur spondaeis, sed augent ejus vim caesurae semiquinaria et semiseptenaria. Hunc excipit tertius, incipiens a duobus spondaeis, qui sunt pro dactylis; sequitur tertii pedis caesura trochaica, quae sententiam ad finem perducit. — Itaque etiam horum versuum magna est gravitas, quae efficitur spondaeis. Describitur Achillis periculum auctum. Sed multum inter se differunt hi versus. Etenim primo quidem versu circum Achillem undae celeriter surgunt; alter versus, usque ad semiseptenariam impetuosior, describit fluvium magna mole in Achillem irruentem; tertii versus initium laborem demonstrat et summas angustias, in quibus versatur vir ille fortissimus.

Hinc multo vehementior narratio est. Tertii enim versus pars posterior et qui sequitur versus quartus, qui anapaestico feruntur numero, Achillis demonstrant vim impetuosam, qua auxilium sibi quaerens magnam arborem radicitus evellit. Ea celeri motu in terram proruens describitur quinto versu (224.); sed ut arborem videas quodammodo se moventem rursusque e terra resilientem efficiunt fere amphibrachyes duo. — Sexto versu (245.) subsistit paululum narratio, quare cum dactylis mixti spondaei leguntur duo. Insequentis versus (246.)

initium repetit quasi cadentis magna mole arboris imaginem, quare ad spondaeum dactylicum addit choriambum *). Altera versus pars, anapaestica, Achillem demonstrat magna virium contentione e fluvio enitentem. Octavus qui sequitur versus, mixtis utitur numeris; sed in fine accedit paululum ad numerum amphibrachyn, quem salientem paene videri supra demonstravimus. Celeriter persequitur fluvius versu nono (248.), maximam partem dactylico, quem excipit decimus, qui eodem motu una eademque voce fertur ad semiquinariam. Inde accedentibus in fine periodi spondaeis sedantur versuum fluctus; celebrat tamen, ut ita dicam, in ipso fine periodi Achillem choriambus, ex quo incipit versus 250. —

Elegimus hoc potissimum e tota Iliade exemplum, quod hi versus numeris utuntur maxime variis, iisque ita continuatis, ut quaevis numerorum genera facillime possint internosci. Nec obscurum plerumque est, quid his numeris exprimatur. Attamen hac in re fieri vix potest, quin, qui omnia verbis accurate velit describere, argutari videatur saepissime. Ita enim comparatae sunt res et metrica et musica, ut sensibus bene percipiantur atque animo deinde sentiantur, at verborum effugiant acumen et dilabi videantur, ubi propius accessimus. Quare si hujus doctrinae fines modo haud falso videar descripsisse, mihi quidem satisfecero; cetera relinquens hominibus quam ego sum et doctioribus et ingeniosioribus.

Esse tamen operae pretium accuratius perspicere divinam Homericorum versuum vim et rationem, facile concedes, si paulo accuratius inspexeris interpretationem Vossianam. Qui quidem vir uti erat natura strenuus atque severus ideoque maxime idoneus, qui verteret plerosque poetas Latinos; ita abhorrebat a facilitate Homerica. Quo poeta vertendo etsi magnam sibi paravit gloriam et de

*) Similis et ratio et notio erat versus 234, cujus initio describitur Achilles de ripa desiliens.

studio antiquitatis ita est meritus, ut multos superet, qui amplos conscripserunt commentarios; tamen multis locis et iis saepe praeclarissimis ita immutavit Homericorum versuum rationem, ut virtutum illarum, quae insunt in his versibus, satis magna pars desideretur. Cujus rei qui quaerit exempla, facile inveniet comparandis cum conversione Vossiana iis versibus, quos satis multos attulimus §§. 38—42. Attamen tantum abest ut Vossium vituperem, cujus praeclarum est opus atque mirabile, ut a puero ipse eum admiratus sim maximopere. Quem qui Homerum vertens olim superabit, utetur lingua vernacula docili et post Rückertum ad omnia exprimenda habili, cujus renitentem, quae fuit, naturam Vossius inter primos domuit.

QUAESTIO SECUNDA.

DE HIATU.

§. 45. — **H**iatus est, ubi vocem, quae finitur vocali, excipit altera vox a vocali incipiens *). Ita enim definire hiatum visum est commodissimum. Hinc fit, ut totius disputationis, quae de hiatu est, duae sint partes. Aut enim in longam vocalem desinit vox prior, seu in diphthongum; aut finitur vocali brevi.

Caput prius.

De finalibus diphthongis et longis vocalibus, quae sunt in hiatu.

§. 46. — Ubi in hiatu prioris vocis ultima syllaba finitur longa vocali seu diphthongo; ea in universum valet lex, ut corripiatur. Sed cum paene nulla sit ejusmodi syllaba, quin in arsi apud Homerum possit produci; nec omnes ejusdem sint momenti, sed nonnullae leviores, ut ita dicam, nonnullae ita graviores ut correptionem vix patiantur (ῃ enim gravius est quam η; ῳ gravius quam ω seu οι; all.): quaestio oritur difficillima, quaenam syllabae in longam vocalem seu in diphthongum desinentes, et quibusnam versus sedibus pos-

*) *Das Zusammentreffen vocalisches Auslautes mit vocalischem Anlaute.*

sint produci. Differt quidem, ut hoc quasi in transitu addam, in ea re Homericus usus maximopere ab usu poetarum, qui recentioris sunt aetatis, veluti Theocriti, apud quem rarissima est earum syllabarum in hiatu productio. Attamen hoc uti levioris est momenti; ita eam ob causam haec tota quaestio est gravissima, quod, nisi ea absoluta, de literae digammi, quae dicitur, usu Homerico nullo modo poterimus statuere.

Sed hujus etiam quaestionis partes sunt tres. Interest enim, utrum ultima syllaba sit nominum, an particularum, an verborum.

1. De productione nominum.

a. De productione, quae fit in thesi.

§. 47. — Quae in thesi fit harum syllabarum productio, ea totius doctrinae in universum putanda est fundamentum. Hinc de terminationum varia natura recte possumus concludere. Nam cum theseos nulla sit vis, sed infirmitas; eae vocales longae sive diphthongi, quae in ipsa thesi in hiatu productae inveniuntur, reliquis longe graviores videntur esse, ut quae versu non firmentur, sed contra versus rationem sua natura nitantur.

Sed cujusvis thesis non est eadem ratio, sunt et infirmiores et firmiores: illae correptioni magis favent, hae juvant productionem.

Atque infirmae hae sunt theses. Omnium infirmissima est thesis tertia, quae est post caesuram majorem; quae, quo diutius caesura majore recitantis vox retinetur, eo celerius recitatur. Itaque rarissima est in hac thesi harum syllabarum in hiatu productio; cf. §. 65. — Ad hujus thesis infirmitatem prope accedit thesis quinta, quae per se velocissima correptioni maxime favet, cf. §. 167. s. fin. Haec cum in universum raro sit spondaica, nostrae huic disputationi materiam non praebet. Nam quod legitur κ, 238. αἰδοῖ εἴκων, efficitur digamma, cf. §. 116. — Nec minus infirma est thesis altera, quae est infirmis-

sima, si in pedis primi thesi valet caesura aut in arsi secunda, veluti δ, 412. — Mitto thesin quartam, quam post caesuram semiseptenariam, majorem, patet esse infirmissimam, cf. §. 66. b.

Firmae sunt theses duae. Altera est thesis quarta, si post eam est caesura major, quam supra demonstravimus. Ad hanc versus regionem pertinent permultae productiones. — Hac etiam firmiorem esse thesin primam diu miratus sum. Sed negari non potest, nam ad hanc thesin productionum pertinent exempla longe plurima, quae mox afferam. Unam tantum hujus rei video causam, quod incipiens versus lentius quodammodo incedit initio. Sed ut firma sit haec thesis, necesse est caesura non debilitetur, quod potest fieri (ago nunc de thesi spondaica; de dactylica cf. §. 66. c.), si post arsin est major interpunctio, cf. §. 21. *). Cf. etiam §. 81. — Utraque thesi, et quarta et prima, utique infirmior est ea thesis tertiae pars, quae est ante caesuram trochaicam; licet haec etiam versus regio firmior sit iis regionibus, quas infirmas esse supra demonstravimus. Cf. §. 50. 1. 2. 66. a. 167. sub fin.

Interpunctione hoc ex numero saepe firmantur et quarta thesis et prima. Sed non multum valet ad producendas has syllabas interpunctio; cf. quae de hac re dixi sub finem §. 67.

Ita fit, ut quae syllabae in thesibus tertia et secunda in hiatu leguntur productae, videantur sua natura esse gravissimae. Non sunt tamen graviores omnes, sed producuntur interdum vel his sedibus syllabae satis leves, veluti α, 505. Sed de hac re, in qua maxime inter se differunt nonnulli Iliadis libri et nonnullorum librorum quaedam partes, agemus in quaestione sexta, ubi absolverimus eam quaestionem, quam de digamma habebimus. Nunc quidem de hac via decedere periculosum est.

---

*) Discant ex hac disputatione nostrates, quibusnam versus heroici sedibus trochaeo pro spondaeo uti liceat.

§. 48. — Hanc ob causam primo loco nominandae sunt longae vocales duae, itemque duae diphthongi: ῃ, ῳ, ου, οι.

1. Atque ῃ in thesi pedis secundi legitur δ, 412.: τέττα, σιωπῇ ἧσο. Item in thesi pedis primi sine interpunctione π, 734.: σκαιῇ ἔγχος ἔχων; ante interpunctionem β, 209.: ἠχῇ, ὡς ὅτε κῦμα. In thesi pedis quarti sine interpunctione δ, 410.: ὁμοίῃ ἔνθεο τιμῇ.

2. ῳ in thesi pedis secundi productum legitur λ, 484.: ἀΐσσων ᾧ ἔγχει et χ, 199.: ὡς δ' ἐν ὀνείρῳ οὐ δύναται. Item in tertia thesi χ, 286.: χάλκεον! ὡς δή μιν σῷ ἐν χροΐ. — In thesi prima legitur ρ, 40.: Πάνθῳ ἐν χείρεσσι βάλω; ante interpunctionem ρ, 444.: θνητῷ, ὑμεῖς δ' ἐστον. In quarta thesi sine interpunctione ε, 215.: φαεινῷ ἐν πυρὶ θείην.

3. ου producitur in thesi secunda ρ, 9.: οὐδ' ἄρα Πάνθου υἱός; item ρ, 23. 59. ο, 522.*). Majoris in hac thesi momenti sunt ψ, 431.: ὅσσα δὲ δίσκου οὖρα (nam huic voci digamma non concedimus ob compositum δίσκουρα, quod esset δισκόουρα) — et ω, 578.: κὰδ δ' ἐπὶ δίφρου εἷσεν; quam ob causam non egemus Wolfii lectione libr. β, 198.: ὃν δ' αὖ δήμου τ' ἄνδρα pro δήμου ἄνδρα, quod per se bene stat. — Item in tertia thesi legitur productum ω, 122.: ἷξεν δ' ἐς κλισίην οὗ υἱέος. — In prima thesi sine interpunctione productum est ε, 666.: μηροῦ ἐξερύσαι; κ, 505.: ῥυμοῦ ἐξερύοι. At libr. β, 145. est fortasse digamma, cf. §. 127. 4. Ante interpunctionem producitur β, 332.: αὐτοῦ, εἰςόκεν ἄστυ. — In quarta thesi producitur ψ, 441.: ἄτερ ὅρκου οἴσῃ ἄεθλον; π, 226.: ἀπ' αὐτοῦ αἴθοπα οἶνον; ante interpunctionem ο, 23.: ἀπὸ βηλοῦ, ὄφρ' ἂν ἵκηται. De libr. θ, 120. licet dubitare, cf. infra §. 119. 3. — Omisi lectionem scholiorum libr.

---

*) Contractum esse Πάνθου, nec aliter se habere Πάνθῳ non ignoro. Itaque haec vox fortasse non tanti est momenti, quanti sunt reliquae.

γ, 87.: Ἀλεξάνδρου, τοῦ; quae recurrit η, 388. Non sunt enim scholia A.

4. οι in altera thesi producitur semel, α, 505.: τίμησόν μοι υἱόν, ubi legi non potest τίμησον ἐμοί. cf. ξ, 236. — In prima thesi productum invenies ε, 270.: τῶν οἱ ἐξ ἐγένοντο; ante interpunctionem λ, 35.: λευκοί, ἐν δὲ et ψ, 578.: ἵπποι, αὐτὸς δέ. Item in quarta thesi invenitur ante interpunctionem ε, 484.: Ἀχαιοὶ, ἤ κεν ἄγοιεν.

§. 49. — Quae aliae huc pertinent syllabae per longas vocales sive diphthongos decurrentes, hae, quod rarius omnino inveniuntur nec in altera seu tertia leguntur thesi, primo adspectu omnes videntur leviores. Sunt autem hae: η, ω, ευ, ει.

1. η bis producitur in thesi; semel in thesi quarta ante interpunctionem, φ, 111.: ἔσσεται ἢ ἠώς, ἢ δείλη, ἢ μέσον ἦμαρ; semel in thesi prima, ϑ, 209.: Ἥρη ἀπτοεπές, ubi est vocativus, vehementior ille et fortior quam nominativus. Quae hoc loco varia est lectio, ἀπτοεπές, digamma non utitur, cf. §. 141. 2.

2. ω in prima thesi legitur sine interpunctione ο, 146.: Ζεὺς σφὼ εἰς Ἴδην; in quarta thesi sine interpunctione β, 262.: αἰδῶ ἀμφικαλύπτει.

3. ευ semel producitur, quod fit in thesi prima, α, 39.: Σμινθεῦ, εἴποτε. Cum sit vocativus et in prima legatur thesi interpunctione firmatum; non possumus, quin hanc diphthongum habeamus satis levem.

4. Nec aliter se habet ει, quod semel producitur in thesi prima ante interpunctionem, ω, 61.: Πηλεῖ, ὅς. Ita enim cum libris recte Spitznerus, quamvis stare possit Πηλέϊ. cf. §. 64. 66. c. Contra ει, ubi est substantivorum neutrorum in ος desinentium, non producitur in thesi et est levissimum.

b. De productione, quae fit in arsi.

§. 50. — Hac in disputatione ordinem servabimus eundem, qui in superioribus ultro nobis se obtulit. Quare

vocum fines ita se excipient: ῃ, ῳ, ου, οι, η, ω, ευ, εῖ.

1. Atque ῃ, quod diximus primum, tam grave est, ut rarissime per totam Iliadem corripiatur. Hoc fit locis triginta octo: α, 519.: Ἥρῃ, ὅτ᾽. — β, 307.: καλῇ ὑπὸ. 395.: ἀκτῇ ἐφ᾽. 452.: καρδίῃ, ἄλληκτον. 471.: ὥρῃ ἐν. — ζ, 397.: Θήβῃ Ὑποπλακίῃ. — η, 195.: σιγῇ ἐφ᾽. — ι, 654.: τῇ ἐμῇ. — κ, 30.: ποικίλῃ, αὐτὰρ. 75.: εὐνῇ ἔνι. 542.: δεξίῃ ἠσπάζοντο. 568.: φάτνῃ ἐφ᾽. — λ, 12.: καρδίῃ, ἄλληκτον. 627.: βουλῇ ἀριστεύεσκεν. — ν, 453.: Κρήτῃ ἐν. 590.: πνοιῇ ὕπο. 687.: σπουδῇ ἐπαΐσσοντα. 600.: σφενδόνῃ, ἣν. — ξ, 78.: ἣν καὶ τῇ ἀπόσχωνται. — ο, 340.: πρώτῃ ἐν. 626.: ἄχνῃ ὑπεκρύφθη. — π, 407.: πέτρῃ ἔπι. 429.: πέτρῃ ἐφ᾽. 643.: ὥρῃ ἐν. — ρ, 243.: καὶ σῇ· ἐπεὶ. 266.: τόσσῃ ἄρα. — τ, 321.: σῇ ποθῇ. οὐ μὲν. — υ, 395.: πρώτῃ ἐν. 439.: πνοιῇ Ἀχιλλῆος. — φ, 168.: γαίῃ ἐνεστήρικτο. 483.: ἐούσῃ· ἐπεί σε. — χ, 61.: αἴσῃ ἐν ἀργαλέῃ. 64.: προτὶ γαίῃ ἐν αἰνῇ δηϊότητι. 93.: ἐπὶ χειῇ ὀρέστερος. — ψ, 215.: πνοιῇ ὕπο. — ω, 256.: Τροίῃ ἐν εὐρείῃ. 272.: πέζῃ ἔπι πρώτῃ. 494.: Τροίῃ ἐν *). Hoc in numero desunt libri γ, δ, ε, ϑ, μ, σ; fortasse etiam α, Aristarchus enim versu 519. legit Ἥρη ὅτ᾽. Numerus locorum est satis exiguus.

Fateor mihi in tanta hujus terminationis frequentia (quae quam saepe producatur infra dicam) maximam hoc exiguo numero moveri dubitationem. Haec augetur eo, quod in thesi prima, quam patientissimam lentissimamque esse diximus, correptiones leguntur plurimae. Est igitur operae pretium accuratius de hac re quaerere.

Patet primum, hujus correptionis, quae saepissime in thesi prima inveniatur, singularem quandam esse causam, qua ea vocis intermissio, quae efficitur caesura in thesi pedis primi, tollatur necesse est. Jam si exempla accurate perlustraveris, facile intelliges, saepissime prae-

---

*) Ceterum non mirabor, si qui locus in tanta versuum multitudine oculos meos effugerit. Quod hic semel moneo.

positiones per anastropham subjici substantivis ex iisdem pendentibus. Atqui cum supra (§. 8.) docuerimus admodum debilem esse eam caesuram, sequitur hac re effici correptionem. Hinc correptionem non miror his locis: β, 471. κ, 75. ν, 453. 590. π, 407. 643. χ, 61. ψ, 215. ω, 256. 272. 494. Eodem pertinent β, 395. π, 429., quibus locis etsi elisione minuta est anastropha, patet tamen satis celeriter per se conjungi ternas voces. Hoc modo tertiam quidem partem correptionum satis excusavimus.

Ad hoc genus proxime accedunt quaedam binarum vocum structurae, quae utramque vocem ipso sententiae vinculo constringunt. Ita commodam explicationem correptionis inveniunt hae structurae: *καλῇ ὑπὸ πλατανίστῳ* libr. β, 307. cf. simill. ο, 340. υ, 395. — *ἄχνῃ ὑπεκρύφθη:* ο, 626. et simil. φ, 168. — postremo substantivum cum adjectivo junctum: ζ, 397.

Ad crasin (sic) possumus fortasse confugere in explicando ι, 654. (est thesis secunda): *τῇ ἐμῇ*. Haec est enim doctissimi Apollonii sententia (cf. Lehrs. quaest. epp. p. 112.), quae firmari videtur libro ψ, 724. (*ἀνάειρ'*, quod nonnulli legunt, abhorrere videtur a consuetudine Homeri) et crasi, quae in eadem voce est θ, 360.

Jam qui restant loci excusatione justa videntur egere. Vix enim de synizesi cogitaverim in vocibus *καρδίῃ:* β, 452. λ, 12. *δεξίῃ:* κ, 542., quamvis sit *δηΐοισι* libr. ζ, 82. η, 241. all. *πόλιος:* φ, 567. (contra *σχετλίη:* γ, 414. huc non retulerim). Potest tamen ita statui. — Multo magis dubito de aphaeresi libr. ρ, 243. 266., cujus rei apud Homerum certa exempla non inveniuntur. Cf. Thiersch. pag. 210. — Restant enim loci complures non excusati: η, 195. κ, 30. λ, 627. ν, 600. 687. τ, 321. υ, 439. et in tertia thesi: ξ, 78. φ, 483. χ, 64. 93. *),

---

*) Id offendit, quod non sunt in fine pedis tertii, sed in caesura trochaica. Quod enim post caesuram majorem restat in pede tertio; id, cum recitetur celerius, facillime corripitur. Quare non

qui quasi fines sunt hujus correptionis. Ex his vel ante interpunctionem sunt κ, 30. ν, 600. τ, 321. φ, 483. — Hac igitur in re maxime differunt ex altera parte libri α, γ, δ, ε, θ, μ, σ; ex altera ii, quos modo demonstravi. Eadem ex re si liceret de varia carminum aetate concludere, recentiores dicerem eos libros, qui praebent correptionem. Patet enim ex iis, quae dixi quasi transiens §. 46., recentiora tempora in universum favere terminationum correptioni, antiquiora productioni. Temere tamen agerem.

Contra ᾳ correptum λ, 385.: κέρᾳ ἀγλαέ, non potest offendere. Est enim duarum morarum ᾰῐ, cum trium sit ηι.

Producitur vero apud Homerum ῃ quavis arsi saepissime. Quod cum sola quinta arsi in Iliade fiat locis triginta tribus; longum est exempla enumerare, quae in quavis pagina ultro se offerunt.

2. Multo levior est ῳ vocalis, quae usque ad librum ν corripitur locis centum quinque, producitur locis centum tredecim. Corripitur quavis thesi, producitur quavis arsi *). Gravissimum est correptionis exemplum Iliad. α, 15.; quae correptio est in synizesi.

3. Non minus saepe et corripitur et producitur diphthongus ου.

4. Utraque harum vocalium multo levior est diphthongus οι; sed ejus tamen firmitatis, ut quavis arsi producatur. Quod cum in arsibus tertia, quarta, secunda, plu-

---

opus est crasi in τῷ ἐμῷ κεχαρισμένε θυμῷ. Contra caesura trochaica tantam efficit vocis intermissionem, ut facillime ferat hiatum, §. 66. a. Patet igitur, quamvis festinet ad caesuram versus, tamen id in hac caesura deesse, quo maxime efficitur correptio, h. e. non celeriter addi vocem insequentem a vocali incipientem.

*) Verum esse quod diximus, raro in caesura trochaica majore pedis tertii corripi firmiores vocales longas, eo etiam demonstratur, quod ῳ in libris α, β, ε, κ, λ, μ tribus tantum locis in hac sede corripitur: α, 299. β, 307. ε, 137.; in aliis sedibus saepissime. — De τῳ (τινι) cf. §. 60. 1.

rimis fiat locis; restat, ut reliquas arses demonstremus. Ita in quinta producuntur κ, 420. φ, 459.; deest tamen semiseptenaria. In sexta sunt ante ὥς: δ, 471. λ, 72. ν, 292. π, 156. υ, 244. Hac re demonstratur fortasse (sed cf. §. 76.) vocalis firmitas; nam ubi subjicitur ὥς, est quasi quoddam genus anastrophae, quod efficitur sententiae arcto vinculo. Sequitur ut caesura sit admodum debilis. — Addimus productum μοι (quod, quoniam est encliticum, putaverimus esse levissimum): κ, 291. ϙ, 360. ω, 716. — De οἱ, οἶ, τοι pronominibus cf. infra §. 60. *).

5. Item η quavis arsi potest produci, quod quamvis in prima arsi in Iliade non viderim, fit tamen in quinta arsi librr. γ, 141. ζ, 388. η, 340. 439. ξ, 175. ϱ, 136.; in sexta ante ὥς libr. ν, 178. Rarius omnino legitur haec vocalis, quae quavis thesi potest corripi **).

6. ω, quod item legitur raro, in voce δύω producitur in tertia arsi ϑ, 290.; in quarta β, 822. ε, 554. ϑ, 332. μ, 99. ν, 201. — σφώ, quod in thesi productum legimus supra, producitur arsi secunda α, 574. ***). — Dualem in ω desinentem, nisi in tertia arsi, productum non inveni: ante interpunctionem legitur ε, 153. τ, 49. χ, 91. ω, 509.; sine interpunctione ε, 244. — Superest Βορέω, in quarta arsi productum ψ, 692.; in quinta ξ, 395. Haec autem genitivi forma cum saepissime patiatur synizesin, qua έω redditur longum; vix dubium est, quin his etiam locis pronuntiandum sit Βοῤῥέω, ita ut prope accedamus ad formam Atticam Βοῤῥᾶς. Nititur haec nostra sententia eo, quod in initio versuum prior hujus vocis

---

*) Addimus rariorem unam productionem ex Odyss. χ, 252, ubi οἱ paene est articulus; servat tamen vim demonstrativam vel hoc loco.

**) Vocativum in η desinentem correptum me legisse non memini. Magna est enim in vocativo vis.

***) ἐγώ corripitur saepissime: α, 29. 180. γ, 207. ε, 652. ϑ, 286. 477. — Item ἄμφω: α, 196. 209.

syllaba producitur, cf. ψ, 195. ι, 5. *). — Eodem modo ε, 534. praetulerim Αἰνειέω.

7. ευ, ubi est substantivorum in -εύς, producitur in quarta arsi ω, 503. — Praeterea ἐμεῦ in quarta arsi producitur ι, 426. τ, 62. υ, 349.; in secunda τ, 273. — σεῦ producitur in prima arsi γ, 206. ζ, 409. 411. σ, 77. χ, 432. ω, 371. Quo e numero si eximas γ, 206., ubi Zenodotus legit σῆς, supersunt exempla satis multa. Quae si contuleris cum locis iis, quibus legitur ἐμεῦ, fieri non potest, quin ζ, 454. cum Spitznero non necessariam ducas lectionem Wolfii σεῖ', quae quidem codicibus firmatur.

8. ει tam raro producitur, ut quatuor tantum inveniatur locis. In tertia arsi legitur ante interpunctionem χ, 299.: ἀλλ' ὁ μὲν ἐν τείχει, ἐμέ; in secunda ζ, 126.: σῷ θάρσει, ὅτ'. Qui supersunt loci duo, hi praebent Ἄρει, in quarta arsi φ, 112.; in secunda φ, 431., interpunctione utroque loco non firmatum. Quae forma quoniam raro invenitur, fortasse cum codicibus et scholiastis legendum erit Ἄρῃ (Thiersch., §. 194. 46.).

§. 51. — Restant diphthongus αι et vocalis α, utraque non producta in thesi.

1. αι, quae diphthongus est levissima (cf. §. 60. 4.), producitur locis undecim. Quo ex numero ad tertiam arsin pertinent loci septem: ε, 54. θ, 229. 261. σ, 53. 113., qui omnes interpunctione firmantur. Eadem egent υ, 225. 253. — In secunda arsi producuntur ι, 341. λ, 598., qui loci magna, quae ad versum superiorem pertinet, utuntur interpunctione. — Quarta arsi productum legitur αι in eodem versu: β, 809. θ, 58.; qui et ipse utitur satis magna interpunctione.

---

*) Etiam contracta in ω corripi posse ut demonstremus, apponimus λ, 621. 624. — Patet tamen in voce Βορέω jam inesse synizesin (Βορείω), cf. ε, 524. 697. Tyrtaei 9, 4.; ubi aperte est ◡ ◡ —, Βορέης.

2. α idem valet atque η in voce θεά, cf. κ, 290. α, 401. Praeterea in Iliade non vidi productum. — Dualis in α desinens corripitur θ, 378. ubi varia lectio antiquitus est προφανέντε, cf. §. 66. a.

Patebit ex iis, quae disputavimus, levissimas esse terminationes αι et ει; paulo graviores esse ευ et ω, sed easdem, exceptis nonnullis vocibus, per se esse satis leves.

2. De productione particularum.

a. De productione, quae fit in thesi.

§. 52. — Primo loco ponendae sunt particulae ἤ, ἦ, εὖ, εἰ, quae fere ubique producuntur.

1. ἤ in altera thesi producitur χ, 310., quo loco (cf. §. 141. 1.) non est digamma (ἢ ἄρν'). — In tertia thesi producitur θ, 514. κ, 505. σ, 511. χ, 135. 152. ψ, 382. ω, 769.; in quarta γ, 24. ο, 161. 177. 271. — Firmissima est igitur haec particula, nec putamus his locis contra codicum auctoritatem legendum esse ἠ', elisa litera ε (ἠέ).

Corripitur haec particula quinque tantum locis: κ, 451.: ἢ ἐναντίβιον. π, 515.: ἢ ἐνί. φ, 113.: ἢ ἀπό. φ, 576.: ἢ οὐτάσῃ. ψ, 724.: ἢ ἐγὼ σέ. Patet, cum tam firma sit haec particula *), ut corripiatur opus esse thesi infirmiore. In tertia sunt post semiquinariam κ, 451. φ, 113. φ, 576. Firmior est thesis secunda ψ, 724. et prima π, 515., quamvis sit post interpunctionem.

2. ἦ in altera thesi producitur τ, 56. Correptum non inveni.

---

*) Eandem ob causam crasin (sic) esse statuimus ψ, 724. ἢ ἔμ' ἀνάειρ', ubi vulgo statuunt synizesin vocis ἀνάειρ'. — Sequitur, ut in ἢ οὐχ praevaleat ἤ; non οὐ, quod in οὐκ οἶδα scriptum fuisse κοἶδα supra vidimus. cf. §. 5.

3. εὖ in tertia thesi productum legitur ξ, 162. π, 191. ω, 269. In prima thesi β, 253. Correptum non vidi.

4. εἰ in secunda thesi productum libr. ο, 16. a Thierschio (§. 329. 2. b.), qui legere vult εἴ κ' αὖτε, defendunt libri omnes. cf. Spitzner. Odyss. ξ, 67. — Corripitur uno tantum loco, ζ, 367. Addo Odyss. λ, 317. Altero, qui invenitur, loco, χ, 410. ex codicibus bene stat ὡσεὶ, cf. β, 780. Thiersch. §. 328. 4. Omittimus enim ἴ, quod rejicitur a scholiis.

§. 53. — Supersunt μή, πρόσσω, καί.

1. μή in prima thesi legitur productum σ, 193.: εἰ μὴ Αἴαντος; in altera φ, 536. (digamma non est in voce οὖλος, ubi significat perniciosus. Cf. §. 139. 6.).

2. πρόσσω item in prima thesi producitur ρ, 734. πρόσσω ἀΐξας.

3. De καί confer infra §. 60. 4.

b. De productione, quae fit in arsi.

§. 54. — Primum dicimus de particulis iis, quas in thesi legimus productas.

1. ἤ quavis arsi posse produci vix opus est ut demonstremus. De quinta arsi conferantur ο, 502. 605. π, 12. 590. ρ, 227. all.

2. ἦ, quod saepe confunditur cum ἤ, in prima arsi vidi productum ο, 105. 504. ρ, 445. σ, 287. ω, 241. ε, 800. all., in altera σ, 429.

3. εὖ in quinta arsi legitur η, 438. κ, 438. ψ, 743. Aliis locis non vidi.

4. εἰ in prima arsi producitur ε, 717.; in quinta ε, 104. ϑ, 423. ν, 153. (εἰ ἐτεόν). Aliis locis non vidi, eget tamen digamma vox ἐτεός, cf. Odyss. ψ, 107. Iliad. υ, 255. all.

5. μή in prima arsi legitur μ, 216. π, 30. 545. ψ, 83. ω, 53. 584.; in altera κ, 39.; in quarta ν, 319. ξ, 248. ρ, 686. σ, 19. In quinta arsi non vidi. — Corri-

pitur saepissime: α, 578. β, 261. 491. γ, 374. ε, 215. 680. η, 105. ϑ, 218. all.

6. πρόσω in quarta arsi producitur σ, 388., ubi varia lectio apta non est. — Uno tantum loco apud Homerum vidi correptum, μ, 274., ubi et codices et Eustathius praebent ἀλλὰ πρόσω ἴεσϑε. Qua in lectione si quid veri inest, recte fecit Heynius, legere volens ἀλλὰ πρόσω ἴεσϑε. Assentitur Ahrens, conj. in μι, p. 24. — Cf. σ, 388.

7. De καί cf. infra §. 60. 4.

§. 55. — Restant particulae eae, quae in thesi non producuntur.

1. Quae particulae desinunt in η, harum in Iliade producuntur:

πῇ interrogativum, in arsi prima: ζ, 377. ϑ, 229.
δή in arsi secunda: ζ, 306. κ, 536. λ, 171. ν, 633.
ἤδη in arsi secunda: π, 438.
τίη in arsi secunda: κ, 432. υ, 251. — in quarta: φ, 106.

Hoc e numero corripitur saepissime δή, cf. α, 61. δ, 180. ζ, 98. η, 172. ι, 245. λ, 524. 733. all. Praeterea ἤδη: β, 699. ϑ, 236. — Correpta semper leguntur: πη encliticum, cf. ζ, 267. 378. λάϑρη: η, 243. ω, 72. πάντη: α, 384. ζ, 81. κ, 167. π, 496. 533. *)

2. Particulae in ω desinentes producuntur in Iliade hae:

ὦ ante vocativos in arsi prima: α, 74. λ, 430. ψ, 531.
ἀνέω in arsi secunda: β, 323. ι, 30. 695.
εἴσω in arsi quarta: φ, 125.
προτέρω in arsi quarta: ι, 199. in tertia: ι, 192. σ, 387. ψ, 490.

---

*) πάντῃ non scripserim. Haec enim forma cum sit masculini; quomodo uti possit terminatione η, quae est feminini, ego non video. Hujus quidem vocis femininum, ut participiorum activi, efficitur adjecta litera σ.

ὀπίσω (ἐξοπίσω) in arsi tertia: γ, 218. μ, 205. λ, 461. ϱ, 108. χ, 467. ψ, 727.

πω encliticum semel producitur in arsi secunda: ψ, 7.; semel in tertia: η, 433.

Corripiuntur autem hae: πω: λ, 497. οὔπω: κ, 293. οὕτω: γ, 169. ἑκαστάτω: κ, 113. ἐπισχερώ: λ, 668. Addere liceat ὀκτώ: β, 313. all.

3. Particulae in diphthongos desinentes producuntur multo rarius. Ita

ἤτοι in arsi secunda: β, 813. δ, 237. ϑ, 529. μ, 141. χ, 12. Spitzner.

αἰεί in arsi secunda: ϱ, 752. φ, 263.

ἀνεύ legitur in arsi secunda ο, 213. Potest tamen fuisse ἄνευϑ', cf. π, 89. ε, 185.

Corripiuntur saepe: που: β, 136. γ, 450. δ, 88. ε, 168. 473. κ, 70. ὑψοῦ: α, 486. all. τηλοῦ: λ, 712. — αὖ: κ, 292. — ἐπεί locis sexcentis. — χαμαί: ε, 442. πάλαι: ι, 105. 527. — οἴκοι: α, 113. οὗτοι: ζ, 335. ι, 70. — τοι ubique, quare χ, 12. Spitzner. recte legit δ' ἤτοι.

ἤτοι corripitur saepissime: ζ, 201. 404. η, 188. 354. 365. ϑ, 323. 459. alibi. — αἰεί correptum est αἰέν; uti ἐγώ productum ἐγών. Addo tamen in Odyssea corripi hanc formam αἰεί — cf. κ, 464. μ, 64.

Producuntur igitur in arsi quinta particulae ἤ, εὖ, εἰ.

3. De productione verborum.

1. De productione, quae fit in thesi.

§. 56. — Multo rarius, quam particulae, in thesi producuntur terminationes verborum.

1. Atque primo loco nominamus εἶ, quod contractum est ex έει. Legitur ita in thesi secunda ζεῖ: φ, 362. sine interpunctione; in quarta thesi legitur τρεῖ, utroque loco interpunctione firmatum, λ, 554. et ϱ, 663.; in prima

thesi ταρβεῖ, item firmatum interpunctione, μ, 46. φ, 575. — Corripitur δοκεῖ: ι, 103. 314. μ, 215. ν, 735. ταρβεῖ, ἐπειδὰν in prima thesi ν, 285.; itemque γηθεῖ ἐνὶ: ξ, 140. Huc adde futura secunda, uti κτενεῖ: ο, 65. 68. ψ, 412. cf. τ, 104.

2. Levius est ει, ubi ortum est ex εε. Producitur ita in thesi prima ante interpunctionem ζώγρει: ζ, 46. λ, 131. — Huc adde ἠνώγει in quarta thesi productum sine interpunctione ε, 899.; ἤσκει libr. γ, 388. in prima. Nam de litera ν, quae ab Aristarcho quidem addebatur ζ, 170., ubi ob digamma inutilis est, non satis constat. cf. Thiersch. §. 211. 32. — Corripitur ε, 698. ζώγρει ἐπιπνείουσα in thesi prima; ν, 440. ἤρκει in quinta; ν, 740. κάλει in tertia; σ, 557. ἑστήκει in tertia, all.

3. At levissimum est ει non contractum. Duobus locis producitur in prima thesi: ξ, 240. τεύξει ἀσκήσας et ω, 52.: ἕλκει· οὐ μήν οἱ. — Corripitur usque ad finem libri duodecimi locis triginta sex.

4. Restat ᾳ in prima thesi productum ξ, 199. δαμνᾷ ἀθανάτους et φ, 459.: πειρᾷ, ὡς. De his formis post Hermannum (hymn. in Cererem 115.) non dubitaverim. Priori quidem loco auxilium fert quod sub numero 3. attulimus: τεύξει ἀσκήσας (ξ, 240.). — Correptum praeter ω, 390. 433. (πειρᾷ ἐμεῖο) non vidi. Legitur enim rarius *).

5. Praeterea αι producitur ante interpunctionem in thesi prima ε, 685.: κεῖσθαι, ἀλλ' ἐπάμυνον. — Corripitur locis innumeris, nec raro patitur elisionem.

b. De productione, quae fit in arsi.

§. 57. — Ponimus item primo loco terminationes eas, quas productas legimus in thesi.

1. ει, contractum ex εε (nam εῖ, quod contractum est

*) Hi loci, qui fugerunt Ahrensium (conjugation. in μι, p. 11.), defendunt libri ξ versum 199 ab ejusdem correctione δάμνασαι. Etenim πείρασαι ἐμεῖο legi non posse facile intelligitur.

ex *ἔει*, in arsi productum non legitur), producitur in quarta arsi. Ita *τίθει*: *α*, 446. *κ*, 529. *ψ*, 565. 624. 797. 850. *ἀφίει*: *λ*, 702.; legitur autem et ante interpunctionem, et sine interpunctione. — Huc addimus *ἑστήκει* productum in arsi secunda: *ρ*, 133. *χ*, 36. Libro *ψ*, 691. additur *ν ἐφελκυστικόν*; nec aliter se habent *ε*, 662. *ϑ*, 270. all. Cf. Spitzner. ad *γ*, 388., ubi in prima thesi scribitur *ἤσκειν*.

2. *ει*, ubi est praesentis vel futuri, producitur in tertia arsi *η*, 282. 293. *ι*, 62. *ο*, 635. *χ*, 142. *ω*, 156. 185. 293. — In arsi secunda producitur ante interpunctionem *ι*, 237. *κ*, 105. *υ*, 102. *ω*, 154. 183.; sine interpunctione producitur *ω*, 289.: *ὀτρύνει ἐπὶ νῆας*. — At in quarta arsi semel tantum legitur productum *ε*, 499.; nunquam in quinta, quae satis infirma est, ubi est post caesuram semiquinariam. Hujusmodi igitur exemplo cum plane egeamus, rejicienda est lectio Spitzneri *ι*, 386.: *πείσει Ἀγαμέμνων*. Tuentur enim antiquam lectionem *πείσει'*, cujus diphthongus *ει* ante elisionem semper producitur, codices omnes; cf. *δ*, 178., ubi eundem vides versus exitum (*τελέσει' Ἀγαμέμνων*).

3. *ᾳ* producitur in arsi tertia *λ*, 187.: *ὄφρ' ἂν μέν κεν ὁρᾷ Ἀγαμέμνονα* — *α*, ortum ex *αε*, item in tertia arsi producitur *ψ*, 386.

4. *αι* infinitivorum, qui desinunt in *σϑαι*, producitur in tertia arsi *α*, 230. *ι*, 402. *τ*, 129. 183. *χ*, 118. *ω*, 369. et ante interpunctionem et sine interpunctione. In secunda arsi producitur sine interpunctione: *φ*, 501. *β*, 590.

§. 58. — Jam de terminationibus agentes iis, quae in thesi productae non leguntur, primum dicimus:

1. de *αι*, quod est infinitivorum activi. Producitur in tertia arsi his locis: *α*, 151. *ν*, 319. 464. 559. 585. *π*, 359. *σ*, 465. *υ*, 335. *φ*, 411. *χ*, 127. 366. — in secunda: *β*, 554. *γ*, 120. *ν*, 369. *ρ*, 28. *φ*, 397. *ω*, 199. — in quarta: *γ*, 40. 119. *ψ*, 719. Hoc omni ex numero interpunctione non firmantur *β*, 554. *ρ*, 28. *ω*, 199. In

quinta arsi non producitur praeter ν, 356., quo in versu deest caesura pedis quarti.

2. αι, quod est tertiae personae singularis passivi, producitur in secunda arsi: λ, 758. ρ, 112. interpunctione firmatum. — Ubi est tertiae personae pluralis passivi, producitur in tertia arsi λ, 525.; in secunda λ, 415. — Ubi est primae personae passivi seu medii, productum legitur in tertia arsi ϑ, 40. χ, 184. 114. — Praeterea μέμνηαι libr. φ, 442. producitur in arsi secunda.

Corripiuntur hae terminationes saepissime. De μέμνηαι conferatur βέβληαι, λ, 380. all.

3. οι, quod est optativi, producitur tribus tantum locis; in tertia arsi sine interpunctione ω, 654., ante interpunctionem κ, 505.; in secunda ante interpunctionem α, 64. — Corripitur saepissime, cf. κ, 505. all.

4. ου producitur bis in quarta arsi: ρ, 596. 627. — Correptum non vidi. At

5. ευ non vidi productum, correptum saepissime legitur: γ, 162. ε, 897. ζ, 280. η, 115. ι, 54. 251. alibi.

§. 59. — Progredimur ad longas vocales.

1. η, quod est tertiae personae conjunctivi activi, producitur ante interpunctionem in tertia arsi υ, 378. — in secunda β, 4., ubi varia lectio est; η, 335. π, 264. υ, 168. — in quarta ψ, 857. ω, 76. 116. Mitto enim ξ, 44. ρ, 230.

Ubi est secundae personae conjunctivi medii, productum legitur ἴδῃ ante interpunctionem in tertia arsi: α, 203. — in secunda ν, 449. ο, 32. Est tamen varia lectio aut ἴδῃς, aut ἴδῃ'. Aristarchi quidem fuit ἴδῃ.

Praeterea μέμνῃ producitur in altera arsi ο, 18. υ, 188. φ, 396.

Corripitur autem ῃ, quod est activi, saepissime, cf. ζ, 364. λ, 155. ρ, 62. σ, 281. τ, 122. φ, 576. — Nec aliter se habet ῃ, quod est secundae personae passivi seu medii; cf. α, 160. β, 365. γ, 138. ε, 757. 872., alibi. — ἴδῃ correptum non legitur.

2. η, quod est aoristi I vel II passivi, producitur in tertia arsi ante interpunctionem ν, 754. π, 339. 612. ρ, 528. χ, 276. — in altera ζ, 468. ψ, 598.; sine interpunctione β, 860. 874. — Ubi est optativi, producitur in tertia arsi sine interpunctione ν, 815.; in secunda ante interpunctionem γ, 102. ξ, 107. ω, 139. — Utrumque saepe corripitur.

3. Superest vocalis ω. Quae ubi est indicativi primae personae, producitur et ante interpunctionem et sine interpunctione in tertia arsi γ, 177. ϑ, 13. 286. 483. ι, 103. 105. 149. 314. 388. κ, 55. μ, 73. ν, 735. τ, 187. φ, 399.; in secunda sine interp. ι, 120. τ, 138.; ante interp. λ, 389. 651. In quarta arsi non legitur. Corripitur rarius: α, 184. κ, 115. χ, 256. all. — Ubi est primae personae conjunctivi, producitur in tertia arsi ante interp. γ, 415.; item in altera δ, 41. ρ, 17. et in quarta α, 119. β, 231. Correptam me vidisse non memini. — Ubi est imperativi activi (huc refero etiam imperativum aoristorum passivorum), ante interp. producitur in tertia arsi δ, 305. ι, 160. 345. λ, 796. ξ, 377. ρ, 228.; in altera ι, 158. ψ, 667. Corripitur autem saepissime: β, 805. 383. ζ, 69. η, 75. 286. 411. alibi. — Ubi est imperativi passivi (σϑω) vel medii, producitur in tertia arsi δ, 307.; in altera υ, 122.; in quarta β, 382. ϑ, 429. Correptam in Iliade non notavi. — Ubi est secundae personae aoristi I medii, orta ex αο, corripitur ο, 18. 21. φ, 410. In Iliade non producitur.

4. De vocibus οἵ, τοί, ἐπεί, καί, productis in hiatu.

§. 60. — His peractis superest, ut agamus de nonnullarum vocum productione perquam singulari, quae aut certa quidem egeat excusatione, aut videatur esse mala et longius recedere a consuetudine Homerica, quam qua non moveatur suspicio.

1. Hac primum refero pronominis personae tertiae encliticum dativum *οἷ*.

Is enim vel in arsi ante eas tantum voces solet produci, quas digamma ornatas fuisse alias etiam ob causas verisimile est. Hanc productionem nunc mittimus.

Praeterea in Iliade duobus tantum locis producitur in initio versuum *ι*, 306. *π*, 47. Patet (§. 4.) vel ex versus sede, his locis de enclitico pronomine non esse cogitandum. Igitur firmius est hoc loco pronomen et pertinet haec productio ad productionem diphthongi *οι*, quam quavis arsi produci posse, si est in fine nominum, demonstravimus §. 50. 4. — Contra ubi encliticum est pronomen, multo infirmius est, nec producitur unquam in Iliade *). Quare bene cavit Hermannus ab ea emendatione, quam Frankius ad hymn. in Apoll. 46. dicit eum proposuisse: *εἴ τίς οἱ ἐθέλοι*. Proposuit enim *εἴ τίς οἱ γαιέων ἐθέλοι υἷϊ οἰκία θέσθαι*, quod omnibus numeris est absolutum. — Sunt tamen, qui eo magis offendant, in Odyssea duo loci, quibus producatur encliticum. Sed vel hic numerus exiguus movet suspicionem. Alter est *ν*, 343.: *χωόμενος ὅτι οἱ υἱὸν φίλον ἐξελάωσας*. Hunc spurium judico; non est enim necesse causam irae addi, cf. Odyss. *α*, 20. Possunt tamen vel tres versus (341—343.) additi esse. — Alter est *ξ*, 460.: *εἴ πώς οἱ ἐκδὺς χλαῖναν πόροι*. Possit suspicari quispiam versus 460. 461. additos esse eo tempore, quo Homerica corripiendi producendique ratio latuerit, et sententiam concludi voce *πειρητίζων*, coll. Odyss. *ω*, 221. Attamen et digamma vocis *ἕο* servatum esse 461. probatur fortasse producta particula *ἐπεί* (cf. infra s. n. 3.), quare recentissimis temporibus confecti vix sunt hi versus; et simillimo modo continuatur sententia Odyss. *ο*, 305. Confugiendum igitur ad verborum transpositionem. Legi potest aut *εἴ πως ἐκδὺς*

---

*) Addo rem simillimam, pronomen encliticum *τῳ*, *τευ* productum in Iliade in hiatu non legi. Esset sane in Odyss. *λ*, 289.; si vera esset haec lectio, cf. §. 2. a.

οἱ χλαῖναν, aut εἴ πώς οἱ χλαῖναν (producta brevi syllaba in arsi tertia, §. 73.).

2. Eodem modo se habet encliticum τοι, quod, quamvis saepissime legatur, nunquam producitur in Iliade nisi ante digamma, veluti ι, 71. all. Nam de χ, 12. supra diximus. Idem est usus Odysseae. Eo magis offendit unus Odysseae locus: μ, 57., quo haec vox producitur in arsi secunda. Nec concesserim facile ego, si quis contenderit, hoc loco productionis veniam ex eo posse peti, quod τοι ad certam quandam et unam pertineat personam. Imo fateor mihi hunc Odysseae librum esse admodum suspectum, quippe qui aut multis interpolationibus sit mutatus, aut recentiore demum aetate confectus. Conferantur, quae de hac Odysseae regione infra sub numero 4. demonstrabimus. Hanc sententiam ut dicam, movent me certissima quaedam neglecti digammi indicia, de quibus aliquando agam accuratius. — Sed utut est, tamen id efficit hic locus, ut ex voce τοι in arsi producta ante vocales initiales digammi argumenta petere vix liceat, nisi ubi haec vox est particula affirmativa. cf. §. 151.

3. Tertiam ponimus ἐπεί particulam, productionis jam eam ob causam impatientissimam, quod levissima utitur diphthongo finali. In Iliade nisi ante digamma productam hanc vocem non vidimus. Accedit quod coalescit fere cum nonnullis vocibus: ita enim ortum est ἐπήν, et similiter se habet ἐπεὶ οὔτε, Odyss. υ, 227. (Thiersch. §. 149. *).

Sunt tamen, quibus producatur in arsi ἐπεί, Odysseae loci duo: ε, 364. ϑ, 585. Horum prior facillime emendari potest ex Homeri consuetudine dicendi, ut sit: νήξομαι· οὐ μὲν γάρ τι, cf. Il. ε, 402. Odyss. η, 73.

---

*) Hac enim in re ob infirmitatem hujus particulae aliter est legendum atque de ἤ diximus §. 52. 1. Sic enim statuimus: post firmas vocales evanescit οὐ, cf. Odyss. ω, 247.; infirmae vocales evanescunt ante οὐ.

π, 310. 27. 59. 224. all. — Alter sanari potest ex Iliad. ϱ, 446. ut sit: *ἐσθλός; ἐπεὶ οὐ μέν πού τι.*

4. Postremo agimus de productione particulae *καί*. Quam quominus dicamus produci posse, impediunt quatuor potissimum causae. Primum enim omnium diphthongorum levissima est -*αι*; quippe quae et in infinitivis saepissime afficiatur elisione, et vel in nominibus, cf. Iliad. *λ*, 272. (licet hoc unum sit exemplum). Deinde post *καί* non esse caesuram (hac enim posset firmari) supra demonstravimus §. 6. Tum particulae, quae desinunt in -*αι*, in Iliade nunquam producuntur, cf. §. 55, 3. Quarta causa est ipsa productionum hujus particulae (ut quae saepissime recurrat) paucitas. Corripitur enim saepissime, veluti *ε*, 128. 144. 167. 192. 199. 207. 212. 213. 223. 226. 236. 280. all.

Producitur autem in arsi Iliad. *ο*, 290. *ω*, 570. Odyss. *μ*, 140. *χ*, 372. *λ*, 113. 161. Ex his locis idem praebent Iliad. *ο*, 290. Odyss. *χ*, 372.: *καὶ ἐσάωσεν*. De loco Iliad. *ο*, 290. egit Gerhardus (conject. lect. Apollon. 168. — Doleo me in tanta et mea et hujus urbis penuria librorum non vidisse hunc librum) et elegantem sane proposuit conjecturam: *καί ἕ σάωσεν*, quae est verissima. Confero Iliad. *κ*, 291. *γ*, 408. *σ*, 405. Odyss. *δ*, 364. At non recepit hanc lectionem Spitznerus: melius enim abesse pronomen addito nomine (*Ἕκτορα*, v. 291.). Ejiciendus igitur fortasse versus 291.? Minime vero. Etenim non raro additur pronomen ad nomen. Confer Odyss. *π*, 78.: *τὸν ξεῖνον — ἕσσω μιν*. Ita legitur Iliad. *ν*, 53.: *ὅγ' ὁ λυσσώδης, Ἕκτωρ*. *σ*, 164.: *τὸν — Ἕκτορα*. *π*, 143.: *μιν — Πηλιάδα μελίην*, cf. *τ*, 389. *ν*, 316. His omnibus locis Wolfii interpunctio vix placet. — Restat igitur Odyss. *χ*, 372. Legendum utique similiter *καί σ' ἐσάωσεν*, ut bis positum sit pronomen *σε*. Ne hoc quidem abhorret ab Homeri oratione. Cf. Iliad. *ϱ*, 25.: *ὅτε μ' ὤνατο καί μ' ὑπέμεινεν*. all. — Ita nos statuimus de his locis. Alii

fortasse medicinam parant ex Iliad. *κ*, 44.: *ἐρύσσεται ἠδὲ σαώσῃ*. collat. 61.

Iliad. *ω*, 570. minus vere dixit Gerhardus legendum esse *καί ῥ' ἱκέτην*. Invenitur enim, quod sciam, nunquam *καί ῥα — περ* ita, ut sit quamvis, cf. *ε*, 803. Immo postea additus videtur esse hic versus; cf. 557. qui idem est finis sententiae atque 569. Ejusdem auctoris manum olere videtur vers. 572. ob neglectum digamma.

Restant Odysseae loci tres: *λ*, 113. 161. *μ*, 140., quibus omnibus legitur *νηΐ τε καὶ ἑτάροις*. Correxit Nitzschius *λ*, 161.: *νηΐ τε σύν θ' ἑτάροις*, quae elegans est Doederleini conjectura. Attamen cum antiquitus suspectus fuerit hic locus (tradunt enim scholia Harlej., quorum summa est auctoritas, Aristophanem spurios dixisse versus 161. 162.), nescio an damnandi sint hi versus. Id enim et hoc loco profiteor et ubique, me libentius sequi Aristophanem, si potest fieri, et Aristarchum, quam meam interponere conjecturam. Et accedit hoc loco, quod versu 162. corrigi non potest *εἶδον*, quae forma nisi amisso digamma non potuit exsistere. — Quae cum ita sint, patet librum undecimum eodem modo interpolatoris manum sensisse, quo hoc factum esse in libro Iliadis extremo supra demonstravimus. Eandem manum prodere videtur versus 113., qui repetitur *μ*, 140. Qui cum, uti nunc legitur, stare non possit, opus est correctione. Atqui *νηΐ τε καί θ' ἑτάροις*, quod scribendum esse ex Naegelsbachii verbis, quae sunt ad Iliadem *α*, 521., quispiam possit forsitan conjicere, non potest legi. Nam *καί τε* sine verbo non potest esse, nisi ubi sola copula omittitur, veluti Iliad. *ι*, 159. Nec omitti potest versus 113.; nam *ὄλεθρος* semper est interitus et intereunt socii cum nave, non ipse Ulixes. Ergo ego adhibeo Iliadem (*θ*, 162. *μ*, 311.), scribens: *νηΐ θ' ἑταίροισίν τ'*. Dicat tamen quispiam, totam Necyiam maximopere esse interpolatam. Recte ille quidem; sed non minus interpolati sunt libri *ι*, *μ*, *ν*, *ο*. Nec tamen hanc ob causam damnandi sunt ii loci, qui facili conjectura possunt sanari.

Nam his demum, quantum fieri poterit, sanatis omnibus, videndum est, quid restet, quod sanari non possit; hoc ubi deprehenderimus, denuo tractandi sunt ii loci, quos conjecturis mutavimus. Haec una est accurate quaerendi ratio. Et est sane difficillima haec ratio, et interdum molesta; sed ea tamen, qua neglecta detrimentum capiat res Homerica, de qua qui elegantia sua freti voluerunt disserere, fere nihil effecerunt.

Magis etiam offendunt eae productiones, quae sunt in thesi.

Ex Iliade huc pertinent vix duo loci. Mitto enim *ν*, 685.: *καὶ Ἴονες*, quae solius Hippocratis est lectio. Sed vel *ν*, 316. omittitur in codice Veneto; si Homericus est versus, etiam contra Spitzneri sententiam legendum est *εἰ καὶ*. Superest unus locus *ω*, 641.; quem quominus corrigam, impedit cum ipsa sententiae pravitas, nam multo aptius oratio finitur versu 640.; tum molestissimum illud *καί* — *καί* (et — et), quod apud Homerum non legitur.

Transeo ad Odysseam. In thesi sunt *β*, 230. 232. *ε*, 8. 10. — *τ*, 174.

Atque *τ*, 174. est in thesi tertia, productionis impatientissima. Movit quidem suspicionem, quod alia hoc loco narrat Ulixes; alia *ξ*, 185.; alia *ρ*, 425. (Nitzsch. II. LVIII.); sed bene de hac re dixit Nitzsch. Attamen versus 175. 176. 177. non ab Homero, qui praeter hunc locum Doriensium nomen nescit, esse factos facile patet. Hi si postea additi sunt, patet ejusdem auctoris esse posse illud *καί*. Jam remotis his versibus nihil verisimilius est, quam legendum esse *πολλοὶ, ἀπειρέσιοι· ἐν δ' ἐννήκοντα πόληες*. Remotum est illud *ἐν δ'*, cum additi essent hi versus, ne saepius legeretur *ἐν δέ* (Simillimo modo in Iliad. *λ*, 34. leguntur *ἐν δέ* — *ἐν δέ* — *τῇ δ' ἐπί*.); fortasse excidit ob soni (*ἐν δ' ἐνν.*) similitudinem.

Reliqui loci idem praebent: *β*, 230. *ε*, 8.: *καὶ ἤπιος* (digamma non est, cf. Iliad. *ζ*, 251. all.) — *β*, 232. *ε*, 10. *καὶ αἴσυλα ῥέζοι*. Alterum altero firmatur, sunt enim vicina; quare neutrum tentaverim, nec arcessiverim Iliad.

φ, 214. — Atqui in initio libri ε offendit sane Minervae oratio post ea, quae α, 84. leguntur; videtur postea addita esse, ut revocarentur in memoriam, quae libr. α narrata sunt. Sed eadem suspicio movetur etiam altero loco. Cohaerent enim 230—234. et 239—241.; quae totius orationis est quasi summa, ut nunc legitur. Sed vix respondet Leocritus: ἡμέας ὀτρύνων καταπαυέμεν. Jam pergit ad alia (nam de solo Ulixe intelligenda sunt verba ἀργαλέον δὲ sqq., id quod intelligitur ex verbis εἴπερ γάρ.), quae referuntur ad 235—238. Equidem haec omnia antiquitus eodem modo fuisse lecta ut putem, non possum adduci. Mutata est Mentoris oratio eo tempore, quo de producendi ratione Homerica nihil certi constabat. Eo enim tempore cum saepissime vidissent, qui haec carmina didicerant, productam hanc particulam esse ante voces a vocali incipientes, quae antiquum digamma amiserant, quidni putarent tales productiones ante omnes vocales esse justas? Cf. §. 110, 3, a. —

Non possum quin in extrema hac disputatione ex Iliade addam duos locos, qui productum demonstrant καί et in quinta arsi et in sexta. Alter est μ, 320.: καὶ ἴς. Est quidem apud Latinos haec vox vis et utebatur haud dubie antiquioribus temporibus digamma apud Graecos; sed accurate quaerentes nos nec in Iliade nec in Odyssea invenimus digammi certa testimonia, licet ἰνίον, ἶφι, ἶνες (nervi) digamma utantur apud Homerum. Cf. infra §. 127. Praestat utique de mala productione cogitare particulae καί. — Alter est σ, 47.: καὶ Ἰάνασσα. Haec vox ab ἴς ne potest quidem deduci, cum utatur vocali ι brevi. Addo jam dudum ob characterem Hesiodeum suspectam esse hanc Iliadis regionem. cf. Lehrs. Aristarch. p. 358. Cf. §. 127. 3.

Quae cum ita sint, patet ex productione harum vocum: οἱ, τοι, τῳ, τεῳ, ἐπεί, καί de digamma posse concludi, itemque ex productis illis particulis, quae desinunt

in *αι*. Demonstravimus tamen nosmet ipsi, vel hac in re caute esse agendum, et accedere oportere alia etiam argumenta, ut justa fiat conclusio. Eodem modo de aliis productionibus erit statuendum.

At vocis *οἷ* videmur neglexisse unam productionem, quam in thesi prima inveniri Iliad. *ε*, 270. demonstravimus §. 48, 4. Neglexinus sane, sed nostro jure. Haec enim productio quamvis sit in thesi, tamen explicationem habet et ex firmitate thesis primae et ex metrica libri quinti ratione, qui liber illicitos hiatus praebet permultos. Haec est licentia, ex qua de natura vocis *οἷ* nullo modo potest concludi. Sed de hac re agemus in quaestione sexta. Contra in voce *καί*, cujus quae sunt in thesi productiones omnes damnavimus, non potest esse productionis licentia. Etenim licentia illa, quam diximus, nititur caesuris, quae validae sunt in thesi prima et quarta. Atqui post vocem *καί* cum caesura non sit, patet licentiae nullum esse locum; cf. §. 6. — Jam *τοι* si productum inveniretur in thesi prima seu quarta, eodem modo diceremus esse licentiam. *Ἐπεί* in thesi non potest produci.

Patet autem, nisi accurate omnia contuleris, quae huc pertinent, recte de his rebus statui non posse. Quare liceat nobis profiteri, nos satis diu de his rebus cogitavisse et quantum fieri potuit accurate inter se contulisse et singulos libros et singula exempla.

---

5. A p p e n d i x.

Juvat nunc, quo melius suum in usum hanc disputationem lectores possint convertere, secundum ordinem librorum componere eas productiones, quas in thesi in Iliade invenimus. Quas productiones si quis dicere velit hiatus, dicunt enim permulti, ego non obsto. Abstineo tamen ipse hoc nomine, ne confundantur hae productiones cum hiatu eo, qui est in vocalibus brevibus, cf. §§. 61 sqq.

Omitto autem hac in enarratione eas productiones, de quibus egi §. 60.; quas eo demum tempore in Iliadem irrepsisse credibile est, quo de producendi corripiendique usu Homerico non constabat. Itaque reliquae sunt hae productiones:

α, 39.: *Σμινθεῦ, εἴποτε* (est thesis prima) — 505.: *μοι υἱόν* (2).

β, 149.: *πόντου Ἰκαρίοιο* (1. — cf. §§. 48, 2. 127, 4.) — 198.: *δήμου ἄνδρα* (2. — v. 1.) — 209.: *ἠχῇ, ὡς.* (1.) — 262.: *αἰδῶ ἀμφικαλύπτει* (4.) — 332.: *αὐτοῦ, εἰςόκεν* (1.).

γ, 87.: *τοῦ εἵνεκα* (3. Est lectio scholiorum).

δ, 410.: *ὁμοίῃ ἔνθεο.* (4.). — 412.: *σιωπῇ ἧσο* (2.).

ε, 215.: *φαεινῷ ἐν* (4.). — 270.: *τῶν οἱ ἓξ* (1.). — 484.: *Ἀχαιοί, ἤ* (4.). — 666.: *μηροῦ ἐξερύσαι* (1.). — 685.: *κεῖσθαι, ἀλλ'* (1.).

ζ, 46.: *ζώγρει, Ἀτρέος.* (1.).

η, 388.: *τοῦ εἵνεκα,* cf. *γ,* 87.

θ, 209.: *Ἥρη ἀπτοεπές* (1.).

κ, 505.: *ῥυμοῦ ἐξερύοι* (1.).

λ, 35.: *λευκοί, ἐν δέ* (1.). — 131.: *ζώγρει, Ἀτρέος* (1.). — 484.: *ἀΐσσων ᾧ ἔγχει* (2.). — 554.: *τάς τε τρεῖ, ἐσσύμενος* (4.).

μ, 46.: *ταρβεῖ, οὐδέ* (1.).

ξ, 199.: *δαμνᾷ ἀθανάτους* (1.). — 240.: *τεύξει ἀσκήσας* (1.).

ο, 23.: *βηλοῦ, ὄφρ'.* (4.). — 146.: *Ζεὺς σφὼ εἰς.* (1.). — 522.: *Πάνθου υἱόν.* (2.).

π, 226.: *αὐτοῦ αἴθοπα* (4.). — 734.: *σκαιῇ ἔγχος* (1.).

ρ, 9.: *Πάνθου υἱός* (2.). — 23. 59. id. — 40.: *Πάνθῳ ἐν* (1.). — 444.: *θνητῷ, ὑμεῖς* (1.). — 663.: *τάς τε τρεῖ, ἐσσύμενος* (4.). — 734.: *πρόσσω ἀΐξας.*

σ, 193.: *εἰ μὴ Αἴαντος* (1.).

φ, 111.: *δείλη, ἤ* (4.). — 362.: *ζεῖ ἔνδον* (2.). — 459.: *πειρᾷ, ὡς* (1.). — 536.: *γάρ, μὴ οὖλος* (2.). — 575.: *ταρβεῖ, οὐδέ.*

χ, 199.: *ὀνείρῳ οὐ* (2.). — 286.: *σῷ ἐν* (3.).

ψ, 431.: δίσκου οὖρα (2.). — 441.: ὅρκον οἴσῃ (4.). — 493.: Αἴα, Ἰδομενεῦ (1.), ex mea conjectura, cf. §. 72, 3. — 578.: ἵπποι, αὐτός (1.).

ω, 52.: ἕλκει, οὐ (1.). — 61.: Πηλεῖ, ὅς (1.). — 122.: κλισίην οὗ υἱέος (3.). — 578.: δίφρου εἷσεν (2.).

De his locis accuratius agemus in quaestione sexta. Omisimus particulas ἤ, ἦ, εἰ, εὖ (cf. §. 52.) et plusquamperfecta duo: ἠνώγει, ε, 899.; ᾔσκει, γ, 388. (§. 56, 2.), in quibus potest esse litera ν paragogica.

Caput alterum.

De brevibus vocalibus finalibus, quae sunt in hiatu *).

§. 61. — Sectatur quodammodo hunc hiatum Herodotus, Isocrates fugit, vitat Homerus.

Valet enim apud Homerum ea in universum lex, ut vocalis finalis, quae est in hiatu, elisione removeatur. Jam si ante elisionem in fine vocum restat vocalis brevis, patet, cum elisione duae voces arctius conjungantur, hunc non esse justum hiatum. Est enim quasi in media voce, ubi vituperari non potest. Hunc mittimus.

Nec tamen semper est apud Homerum elisio, cujus certi quidam sunt fines; et invenitur tam saepe hiatus, ut difficillimum sit invenire eas leges, quibus in hiatu et ferendo et vitando poeta usus sit. Quare accidit Spitznero, ut incautius de hac re agens omnia videatur confudisse.

Patet tamen justi hiatus duplicem esse excusationem: alteram metricam; alteram, quae efficiatur ipsa vocalium, quae sunt in hiatu, natura. Illam tractabimus infra, de hac nunc agimus.

---

*) Nos ubi simpliciter dicimus hiatum; hoc genus intelligimus, non productionem vocalium longarum diphthongorumve.

§. 62. — Atque hac in re primum locum sibi vindicant vocales eae, quae elisione nunquam removentur apud Homerum. Hac igitur per se sunt firmissimae. Jam cum certum sit Homerum non anxie fugere hiatum (id ea re demonstratur, quod in quibusdam versus regionibus saepissime legitur hiatus vel in iis vocalibus, quae plerumque afficiuntur elisione), sed vitare tantum; patet harum vocalium hiatum satis excusationis habere. Sunt tamen earundem duo genera.

a. Ad alterum genus pertinent vocales eae, quae nec elisionem patiuntur, nec crasin. Ita se habet pronomen interrogativum τί; et τι, cf. ε, 465. Odyss. ο, 83. — praepositio περί, cf. compositum περιΐσταθ' libr. σ, 603., quod, cum duplex sit ι, instar omnium addimus — tum vocalis υ, quae saepissime efficit hiatum. Ita legitur σύ librr. ζ, 123. λ, 787. ο, 247. 365. υ, 205. ω, 387. ἄστυ: η, 310. κ, 348. ω, 696. αἰπύ: ο, 71. ὠκύ: ξ, 407. χ, 292.

Pertinet eodem ὅ, demonstrativum, quod rectius accentu ornatur. Hoc crasin nunquam patitur. Ita hiatus excusationem habet, qui est in αὐτὰρ ὃ ἔγνω: α, 333. θ, 446. — αὐτὰρ ὃ ἄψ: γ, 379. φ, 33. — αὐτὰρ ὃ ἐμμεμαώς: ε, 142. — αὐτὰρ ὃ αὖτις: θ, 271. Nec aliter se habet relativum ὅ: ε, 303. ν, 100. υ, 286.; quod positum pro ὅτι item in hiatu legitur υ, 466.

De crasi vocis τό recte dubitatur, cf. Spitzner. ad γ, 235. Igitur ψ, 585. τὸ ἐμόν non potest offendere; addo ζ, 201.: τὸ 'Αλήϊον.

b. Crasin quidem patiuntur articuli ὁ, τά, praepositio πρό (cf. Thiersch. Gr. p. 210. §. 165.); sed quibusdam tantum in dictionibus, ubi arctissimo notionis vinculo duae voces conjunguntur. Jam cum ne omnibus quidem in compositis crasis sit in praepositione πρό (cf. προήκης, προαλής, προϊάπτω, προϊάλλω; et, quod majoris est momenti, προερέσσω. — Spitzn. ad α, 435. — collato προὔχων); patet has voces omnes, quippe quae elisione nunquam afficiantur, hiatum posse efficere eumque satis

excusationis e natura vocalium habere. Ita in hiatu legitur *πρό:* *κ*, 224. 286. *δ*, 156. 382. — *Τά* in Iliade in hiatu non legitur; est tamen in Odyssea, quamvis locum olim notatum nunc invenire non possim.

§. 63. — Viam ut nobis muniamus ad reliquas voces, quae et ipsae ex sua natura excusationem hiatus videntur habere, paululum alio digrediamur necesse est.

Uti enim iis in vocibus, quas modo demonstravimus, firmissimae sunt vocales finales; ita non desunt voces nonnullae, quarum infirmissimae sint eaedem vocales. Intelligunt, qui harum rerum sunt periti, eas voces me dicere, quae vel ante initiales vocis insequentis literas consonas haud raro abjiciunt vocales finales, quam apocopen nominare consuevimus.

Sunt hae voces *ἀνά, κατά, παρά, ἄρα.* cf. Thiersch. Gr. p. 210. Has igitur, cum infirmissima utantur vocali finali, patet, ubi sunt in hiatu, aut metrica tantum uti excusatione (quod potest esse in voce *ἄρα* posita in thesi prima seu quarta; in prioribus tribus tum tantum, cum sunt in iisdem thesibus in anastropha positae — nam de *πάρα*, h. e. *πάρεστι*, et simm. infra dicemus §. 64. c.), aut hiatum efficere non excusatum sive illicitum. Hoc ita esse demonstratur eo, quod in vocibus compositis ante vocales nunquam servantur harum praepositionum vocales finales. Id enim duobus tantum fit locis: *ω*, 455. *ἀναοίγω*. Odyss. *ι*, 122. *καταΐσχεται*, quorum hic quidem interpolationis movet suspicionem, cf. Nitzsch. De priore loco cf. §. 67.

Noluimus addere ad has voces praepositiones *ἀπό* et *ὑπό*. Etenim *ὑπό* uno tantum loco (Iliad. *τ*, 80.: *ὑββάλλειν*) patitur apocopen, nec saepius *ἀπό* (Odyss. *ο*, 83.: *ἀππέμψει*, quod pronuntiandum est *ἀμπέμψει*, cf. schol. Harlej. *)). Utrumque fit in compositis, nunquam

---

*) Ignorant hucusque grammatici hujus rei causam. Scimus in lingua Graeca rarissimam esse duplicationem literae *π* (veluti

ante substantiva; et firmiorem fuisse harum praepositionum vocalem finalem, ex eo facile intelligitur, quod *ἀπό* vel in composito *ἀποαιρεῖσθαι*, Iliad. *α*, 230. 275. (cf. contra 182.) servat vocalem finalem. — Cautius igitur agimus, si utrique praepositioni, ubi vere est praepositio, nam haec vel accentu paululum firmatur, hiatus excusationem concedimus, nec inde de digamma concludimus.

Haec nostra sententia etiam magis firmatur, si reputamus illas praepositiones, quae apocopen saepe patiuntur, finiri vocali *α*; quae infirmior videtur esse in praepositionibus, quam vocalis *ο*.

Itaque nunc eo pervenimus, ut de praepositionibus *διά* et *μετά* agamus. Hae finiuntur eadem vocali infirmissima, nec servant unquam eandem in compositis ante vocales initiales. Patet igitur *διαείσεται* ubique deducendum esse ab *εἴδομαι*; cf. §. 124, 1, 6.

Quae cum ita sint, constat vocales finales vocum *ἀνά*, *κατά*, *παρά*, *διά*, *μετά*, *ἄρα* tam infirmas esse, ut hiatum per se excusatum nunquam possint efficere.

§. 64. — Revertimur. Duo genera sibi opposuimus; alterum infirmissimum, alterum firmissimum. Patet tertium esse posse, quod sit inter utrumque. Et est ita.

a. Huc primum refero *ἀπό* et *ὑπό* ob compositum *ἀποαιρεῖσθαι*. Repeto, quod dixi, me harum vocum rarissima apocope nihil moveri.

---

in voce *ἵππος*). Jam cum forte incidissem in variam lectionem *κάμβαλε* (Iliad. *μ*, 206. cf. Ernesti praefat. ad Iliadem, pag. VI.), diu miratus mihi persuadere non potui hanc lectionem ex scribendi errore esse ortam. Tum saepius cogitanti in mentem venit vox *στρόμβος*, et patebat tota res. Haec enim vox uti haud dubie deducenda est a *στρέφω* (*στρόφ-βος*), ita demonstrat literas *β*, *π*, *φ* ante *β*, *π*, *φ* mutari in *μ*. Ita *θάμβος* est a *τάφ-*, *κόρυμβα* a *κορυφή*; *ῥίμφα* a *ῥίπ-τω*, *κόμπος* a *κόπ-τω*, *Ἔρεμβοι* (Od. *δ*, 84.) fortasse ab *ἔρεβος* (nigri? caliginosi?). Patet oculorum causa scriptum esse *κάββαλε*, et simill. — Cave tamen putes fuisse *ἀναπέμπω* illo Odysseae loco, quae vox non est Homerica.

b. Eodem refero vocalem finalem ι.

Ita se habent praepositiones ἀντί, ἀμφί, προτί, ποτί, ἐπί. Constat has omnes elisionem saepissime pati. Servant tamen in compositis eaedem saepissime vocalem finalem, cf. ἀντιάνειρα (ἀνήρ apud Homerum digamma non utitur); ἀμφίαλος, ἀμφιέπω (ω, 804. ε, 667. Nec raro legitur ἄμφεπον); προτιόσσομαι, προτιάπτω (ω, 110.); ἐπίορκος, ἐπιορκέω, ἐπιόσσομαι, ἐπιείσομαι ibo (λ, 367. υ, 454. φ, 424. — Contra α, 29. ν, 477. all.) *). — Addo ad has voces vel praepositionem ἐνί ob compositum ἐνιαυτός. Non addidissem, si alia vocali finali uteretur; sed ι ceteris vocalibus multo est firmius. Cf. finem hujus §.

Eodem spectat ὅτι, quod rarissime omnino elisione affici satis constat. — Spitzner. d. v. h. p. 172.

Quaenam hujus rei est causa? Est haud dubie ipsa hujus vocalis firmitas, quae aliis etiam atque his certissimis argumentis demonstratur. Sunt autem haec. Primum vox τί; nunquam patitur elisionem. Tum saepissime ante unam literam consonam producitur haec vocalis (cf. §. 93.), quod vel in praepositione ἐνί haud raro accidit, cf. Odyss. κ, 3. all. Adde quod vel ante digamma invenitur haec productio, cf. §. 170. Gravissimum tamen est argumentum, quod haec vocalis in ipso hiatu producitur, §. 95.

Quae cum ita sint, apparet hanc hiatus excusationem multo etiam latius patere. Videtur autem valere omnibus in vocibus; exceptis tamen iis, quae ad vocalem ι finalem addere possunt literam ν paragogicam. In his enim ipsa hujus vocalis firmitas evanuit, cum pronuntiatio facta esset nasalis. Haec enim Lepsii mei (Palaeograph. p. 71.) verissima est de origine literae ν paragogicae sententia.

Ergo omnes voces, quae utuntur litera ι finali (nam quae addunt literam ν, aut elisionem patiuntur, aut addita hac litera tollunt hiatum), hiatum efficiunt satis excusatum, nec metrica excusatione indigent.

---

*) Hinc excusationem habent χ, 206. ψ, 274.

Huc igitur pertinent primum praeter voces supra allatas multae particulae. Ita enim ὅτι, quod supra diximus, legitur in fine pedis tertii (qui locus hiatûs est impatientissimus, cf. §§. 65. 47.) in hiatu ω, 593.; itemque in eadem versus sede ὄθι, Odyss. π, 471. Addimus ἔτι, Iliad. η, 217. *) ρ, 354. ξ, 358.

Pertinet eodem tertiae dativus singularis (de cujus elisione cf. Lehrs. quaest. epp. p. 47.): γ, 244. ε, 723. π, 522. ρ, 196. φ, 21. ω, 371. Addo υ, 22., qui locus ob caesuram semiseptenariam (cf. §. 66. b.) metrica excusatione non utitur. In pede primo sunt μ, 117. π, 309. 583. ρ, 583. ψ, 278. ω, 335.; in fine pedis quarti α, 578. β, 6. ζ, 422. ι, 238. λ, 791. ξ, 130.; praeterea ἔγχεϊ ὀξυόεντι: ε, 50. η, 11. ϑ, 514. ν, 584. ο, 536. 742. E caesura trochaica pedis tertii huc pertinent: δ, 134. ϑ, 283. κ, 285. λ, 256. ν, 821. τ, 179. υ, 322. 385. ψ, 278.

Hoc igitur modo ea, quae de hiatu dativi tertiae erat, lite diremta, ad meam rem nihil interest, utrum η, 272. ρ, 45. legatur ἀσπίδι ἐγχριμφϑείς, an, quae verior est lectio (Lehrs. p. 47.), ἀσπίδ' ἐνιχριμφϑείς. Id certum est, ρ, 324. oculorum causa scriptum esse κήρυκι; pronuntiandum esse κήρυκ'. Patet etiam ζ, 456. recte legi posse Ἄργεϊ οὖσα.

Eodem pertinet νωϊ, ϑ, 428.

Eodem pertinet fortasse imperativus, veluti ἴϑι: β, 8. — κλῦϑι: π, 514., quo ex loco vel ob metricam excusationem (§. 66. c.) de digamma concludi non potest. — Adde ἐσσί: ε, 896. ι, 57. ἀνέσαιμι: ξ, 209. — Ceterum de his verborum terminationibus mihi minus constat. Metrica excusatione (§. 66.) utuntur omnes.

c. Postremo eodem refero ἄνα, πάρα, simill., ubi sunt pro ἀνάστηϑι, πάρεστι, rell. Hae enim voces vel apud Atticos in hiatu leguntur, cf. Sophocl. Ajac. 192. — Cf. Iliad. ι, 247. ε, 603. υ, 98. — Hae voces pos-

---

*) Hoc in libro nullus invenitur hiatus illicitus.

sunt fortasse pertinere ad primum, quod posuimus, genus, §. 62. *).

d. Possunt fortasse ad idem genus primum referri genitivi, qui sunt in -οιο (cf. Thiersch. §. 164. 11.), et quae sunt similia. Huc pertinent β, 332. ψ, 73. ω, 349. et ex caesura trochaica pedis tertii librr. β, 625. ε, 854. η, 63. ϑ, 479. λ, 732. ξ, 154. π, 512. ρ, 667. τ, 73. υ, 235. ψ, 224. 252. ω, 318. 717. — Addo genitivum primae, qui est in -αο: ρ, 610. ψ, 76.; postremo ἐμεῖο: φ, 112. σεῖο: χ, 253.

§. 65. — Sunt etiam quaedam voces, quarum vocalis finalis falso putetur brevis esse, cum sit aut anceps, aut longa. Hae igitur hiatus non minus commodam habent excusationem. Has ut cognoscamus de fine pedis tertii hoc loco agamus necesse est. Adhibemus hac in re Odysseam **).

Is versus locus hiatûs est impatientissimus. Tanta est enim post caesuram pedis tertii majorem intermissio vocis, ut reliqua hujus pedis pars multo celerius recitetur. Hoc cum impediatur hiatu, patet omnium minime in hac sede hiatum ferri posse. Quod probatur exiguo hiatuum numero.

Nam sex tantum locis in Iliade legitur in hac sede hiatus, nec paene saepius in Odyssea. Eorum locorum, qui sunt in Iliade, quatuor supra sunt excusati: 1. ὅτι: ω, 593. — 2. ἐπί: χ, 206. — 3. ὅ: ε, 303. υ, 466. — Supersunt duo tantum loci: δ, 345. χ, 347., sed utroque loco hiatus est in voce κρέα ***). Hoc mirum esset, nisi

---

*) Apocopen tum tantum patiuntur, cum firmatur earum notio subjectis vocibus μέν, δέ, γάρ, all. veluti ἂν μέν, ἂν δέ, πάρ τοι libr. ι, 43.

**) Eadem quidem ratio est caesurae trochaicae post semiquinariam. Huc pertinent ζ, 201. ψ, 585. δ, 156. κ, 286., quae jam excusavimus.

***) Omisi ξ, 8.; non ob lectionem Eustathii ταχύ, quod adverbium non est Homericum, sed quod εἴσομαι est videbo, non ibo.

in hac voce quaedam esset et haec optima hiatus excusatio.

Patet igitur hujus vocis vocalem finalem sua natura esse firmiorem. Sequitur κρέα non ortum esse per apocopen ex κρέατα, quam video esse sententiam Buttmanni et Spitzneri. Immo contractio videtur esse ex κρέαα. Patet igitur illud α initio longum fuisse. Sed Homeri quidem temporibus longum fuisse vix contenderim, patitur enim elisionem in Odysseae libr. ι, 297. γ, 65. 470. Praestat ancipitem dicere hanc vocalem; ita tamen, ut magis faveat productioni, quam correptioni. Hinc fit, ut ante consonas literas legendum sit κρέα, ut una sit syllaba (cf. Schol. V. ad Iliad. χ, 347.: κατὰ συστολὴν τὸ κρέα ἀνεγνώσθη); etenim uno tantum loco legitur in pede quinto, Odyss. ρ, 331., et aperte una est syllaba in fine versus Odyss. ι, 347. Sed cave putes unam syllabam fuisse in hiatu, ubi ante vocalem insequentem juste corripitur α. Qui enim fieret, ut κέρα, σφέλα monosyllabos apud Homerum pronuntiarentur, quae voces in eadem versus sede leguntur in Odyssea? — Ceterum non nego, si quis faveat huic sententiae, κρέα posse ortum esse non ex κρέαα (quod antiquitus haud dubie ita fuit), sed ex κρέεα, debilitata litera α priore. Potest quidem ita concludi ex genitivo κρειῶν (λ, 551.); sed recte concludi quis demonstret? Hic enim genitivus et ipse potest oriri (accentum non curo) ex producta, post ejectam literam α, vocali ε syllabae prioris.

Stabat haec sententia, antequam ad eam rem contulissem Odysseam, ad quam nunc pergo. Bis in eodem pede legitur in hiatu κρέα: γ, 33. υ, 348. Addo voces simillimas κέρα: τ, 211. σφέλα: ρ, 231. Jam cum constet γέρα Iliad. β, 237. ι, 334. ante consonam literam corripi, praestat utique harum formarum vocalem finalem dicere ancipitem. Paulo aliter Spitzner. d. v. h. pag.

Utitur igitur digamma. Cf. v. 13.: τάχα δ' εἴσιδεν. Conjungenda sunt ἐλθὼν ἐς περιωπήν, uti φ, 534.: ἐς τεῖχος ἀλέντες.

139. — Superest π, 471., qui hiatus excusationem habet ex litera ι (ὄθι; et π, 142.: σύγε ὤχεο, unum hiatus non excusati in hac versus sede exemplum; quo quidem loco quin legendum sit σὺ μὲν, equidem non dubito, cf. Naegelsbach. Annot. ad Iliad. p. 170. — Mitto γ, 146. 275.

Quae cum ita sint, hiatus, qui est in pede primo δ, 109. (κέρα ἐκ-), justa excusatione non eget.

Pertinent tamen huc voces plures, quae harum sunt simillimae. Talis est ῥέα, collata altera forma ῥεῖα (cf. κρειῶν — κρέα), quae vox ante consonas literas ubique legenda est ῥεα, uti fit in fine versus μ, 381. υ, 101. (nom. propr. ο, 187.) et in principio: ρ, 461. υ, 263. ν, 144. In pede quinto non animadverti (ε, 304. θ, 179. υ, 287.). Ergo μ, 58.: ῥέα ἵππος recte se habet, nec legi oportet, quod in promtu est, ῥεῖ'. — Eodem refero κλέα ἀνδρῶν, libr. ι, 189. 524., qui liber nullum praebet hiatum illicitum. Cum ortum sit ex κλέεα, patet initio longam fuisse vocalem finalem. Eodem modo se habet δυςκλέα: β, 115. ι, 22.; collat. ἐϋκλεῖας libr. κ, 281. (Spitzner. excurs. 22.), quod praestat huc referre, quamvis metrica excusatione utatur, cf. infra §. 66, c.

Vocem κόνι, libr. ω, 18. nunc mitto, quam constat longa vocali uti, cf. ψ, 315. 316. 318. Cf. infra §. 71. 4.

§. 66. — His igitur vocibus, quae ex sua natura justam habent excusationem, quae in quovis versus pede in hiatu possunt legi, remotis, restat, ut ad alteram transeamus excusationem, quae efficitur metrica versus heroici ratione. Sunt autem, quae hiatum optime possint ferre, versus regiones tres: caesura trochaica pedis tertii, finis pedis quarti, thesis pedis primi. Sunt tamen etiam hujus licentiae quidam et certi ii fines. Res ipsa demonstratur exemplorum multitudine.

a. Atque in caesura trochaica pedis tertii bene ferri posse hiatum, ipse Heynius (Vol. VII. p. 135. 6.) concessit, quamvis aliis locis suas saepissime interponens conjecturas. Cf. Spitzner. d. v. h. pag. 142

sqq. Nec aliter statues, si perpenderis exemplorum multitudinem. Hujus licentiae ea est causa, quod in hac caesura majore ultimus primi ordinis metrici est finis. Qua re satis magnam vocis intermissionem effici facile intelligitur.

Ea igitur vocis intermissio ubi non est in hac caesura, patet hiatum, ex vocalium natura non excusatum, ferri non posse. Deest vero haec intermissio tum si in pede tertio caesura est mascula, tum si in pede quarto post arsin ejusdem sententiae est interpunctio major. Quae cum ita sint, in caesura trochaica non potest ferri hiatus post caesuram semiquinariam. Quare minus recte huc retulit Spitznerus librr. *ζ*, 201. *ψ*, 585., qui hiatus eandem habent excusationem, quam habet *πρό* librr. *δ*, 156. *κ*, 286. At bene se habet in hac caesura hiatus, ubi est in vocibus encliticis (§. 2. 3.), veluti *α*, 4. *β*, 216. 528. *ω*, 784. *ε*, 684.; quas tollere caesuram masculam supra demonstravimus. — Non invenitur hoc versus loco hiatus ante ejusdem sententiae interpunctionem majorem, quae est in arsi quarta (§. 28.). At bene se habet *λ*, 378.

Restat ut enumeremus locos. Sunt hi:

α, 4.: *αὐτοὺς δὲ ἑλώρια* — 565.: *κάθησο, ἐμῷ* — 569.: *κάθηστο, ἐπιγνάμψασα.*

β, 211.: *ἕζοντο, ἐρήτυθεν.* — 216.: *αἴσχιστος δὲ ἀνήρ.* — 315.: *ἀμφεποτᾶτο ὀδυρομένη.* — 528.: *τόσοςγε ὅσος.* — 571.: *ἐνέμοντο, Ἀραιθυρέην.*

γ, 376.: *τρυφάλεια ἅμ'.* — 442.: *ὧδε ἔρως.*

δ, 91.: *ἕποντο ἀπ'.* — 96.: *μάλιστα Ἀλεξάνδρῳ.* — 295.: *Πελάγοντα, Ἀλάστορα.* — 412.: *ἧσο, ἐμῷ.*

ε, 3.: *γένοιτο, ἰδέ.* — 12.: *ἀποκρινθέντε ἐναντίω.* — 270.: *ἐγένοντο ἐνί.* — 343.: *ἰάχουσα ἀπό.* — 388.: *ἀπόλοιτο Ἄρης.* — 424.: *καῤῥέζουσα Ἀχαϊάδων.* — 637.: *ἐξεγένοντο ἐπί.* — 684.: *δή με ἕλωρ.* — 857.: *κενεῶνα, ὅθι.* — 898.: *ἦσθα ἐνέρτερος.*

ζ, 501.: *ἔφαντο ὑπότροπον.*

η, 306.: *διακρινθέντε, ὁ μέν.*

θ, 285.: ἐόντα, ἐϋκλείης. — 503.: ἐφοπλισάμεσθα, ἀτάρ.

ι, 127.: ἠνείκαντο ἀέθλια. — 426.: ἐφράσσαντο, ἐμεῦ.

κ, 573.: κνήμας τε ἰδέ.

λ, 47.: ἔπειτα ἑῷ (digamma non utitur haec vox. Cf. §. 143. 2.). — 88.: μακρά, ἄδος. — 373.: θώρηκα Ἀγαστρόφου. — 378.: κατέπηκτο, ὁ δέ.

μ, 84.: ἔπειτα ἑῷ.

ξ, 6.: λοετρὰ ἐϋπλόκαμος. — 223.: ἔπειτα ἑῷ. — 348.: ἐρσήεντα ἰδέ.

ο, 402.: Ἀχιλῆα, ἵν'. — 447.: ἔχοντα, ὁ μέν.

π, 848.: ὄλοντο ἐμῷ.

σ, 48.: Ὠρείθυια, ἐϋπλόκαμος. — 385.: τανύπεπλε, ἱκάνεις. — 434.: ἐθέλουσα, ὁ μέν.

τ, 133.: ἔχοντα ὑπ'. — 277.: ἐσκίδναντο (,?) ἑήν.

υ, 20.: Ἐννοσίγαιε, ἐμόν. — 148.: σεύαιτο ἀπό.

φ, 142.: Περίβοια, Ἀκεσσαμένοιο. — 421.: κυνάμυια ἄγει. — 426.: κεῖντο ἐπί.

χ, 125.: γυναῖκα, ἐπεί.

ψ, 3.: ἐσκίδναντο (,?) ἑήν. — 233.: Ἀτρείωνα ἀολλέες. — 332.: τέτυκτο ἐπί. — 360.: Φοίνικα, ὀπάονα. — 533.: καλὰ ἐλαύνων.

ω, 264.: ἐπιθεῖτε, ἵνα. — 297.: ἔπειτα ἐποτρύνουσα. — 637.: ὄσσε ὑπό. — 733.: ἔργα ἀεικέα. — 784. τοίγε ἀγίνεον.

Wolfii recensionem secuti sumus. Restat ut dicamus de variis lectionibus, omiss. θ, 387.

Primum sunt loci nonnulli, quibus offeratur hiatus ante ἰδέ, ubi deleto hiatu Wolfius scripsit ἠδέ: β, 697. δ, 147. 382. ζ, 469. θ, 162. μ, 311. φ, 351. χ, 469. Intactos tamen reliquit ε, 3. κ, 573. ζ, 348. Patet utrosque locos eadem ratione uti. Nec tamen certi quidquam de hac re possum statuere; hiatum praebent optimi libri. Cf. Spitzner. — Tum θ, 420. non contemnenda est lectio Veneti: γλαυκῶπι, cf. §. 71. 3., qui liber hac in forma sibi constat. — γ, 442. immerito recepit ex eodem Veneto Spitznerus particulam γ', qua non egemus, cf.

ξ, 315. — ε, 898. malam lectionem ἦσθας recepit Spitzner., quae forma recentioribus demum temporibus in usu fuit. Cf. Ahrens. de conjugat. in -μι apud Homerum, pag. 30. — Item φ, 426. mala est lectio ποτί.

Omisimus omnes locos, quibus de digamma potest esse dubitatio. Contra afferre ἔλωρ et simm. non dubitavimus. Nunquam enim ἑλεῖν apud Homerum illa litera utitur; nec aliunde potest deduci haec vox, quamvis intercedat Heynius.

b. Pergimus ad finem pedis quarti, in quo licet rarius legatur hiatus, tamen justissima est metrica excusatio. Est enim plerumque in hac versus sede ultimus finis ordinis metrici secundi; caesura igitur major et admodum valida. Eadem causa est, qua de causa hoc versus loco non eadem vi corripiuntur vocales longae sive diphthongi, qua corripi solent in thesi tertia, quinta, secunda (cf. §. 47 sqq.). Sed nisi praevalet in hoc pede ea caesura, quae est in ipso pedis fine; excusari hiatus non potest. Quare necesse est aut plane omissa sit semiseptenaria; aut, si est semiseptenaria, caesura bucolica majoris sit momenti, quam quod est semiseptenariae. Hoc efficitur aut interpunctione addita post caesuram bucolicam; aut ipsa vi sententiae, qua voci superiori altera vox accuratius subjungenda est. Illud fit veluti (α, 578.) ο, 232. Patet igitur υ, 22., quo loco neutra est excusatio, ex natura vocalis habere excusationem; cf. §. 64. b. *) — Ecce locos:

α, 157.: θάλασσά τε ἠχήεσσα.

β, 3.: κατὰ φρένα, ὡς. — 218.: συνοχωκότε, αὐτάρ.

ε, 221.: ἐπιβήσεο, ὄφρα. — 542.: Κρήθωνά τε, Ὀρσίλοχον. — 568.: ἔγχεα ὀξυόεντα.

θ, 66.: ἀέξετο ἱερόν. — 105.: ἐπιβήσεο, ὄφρα.

ι, 690.: κατελέξατο, ὡς.

κ, 70.: πονεώμεθα, ὧδε. — 93.: περιδείδια, οὐδέ. — 472.: κέκλιτο, εὖ.

---

*) Eodem modo se habent δ, 382. κ, 224. (πρό) —

λ, 84.: ἀέξετο ἱερόν. — 76.: καθείατο, ἦχι. — 461.: ἀνεχάζετο, αὖε.

μ, 320.: μελιηδέα, ἀλλ'.

ο, 232.: μένος μέγα, ὄφρα (v. l. τόφρα).

υ, 170.: ἴσχια ἀμφοτέρωθεν.

φ, 234.: ἐπέσσυτο, οἴδματι.

ψ, 195.: ὑπέσχετο ἱερά. — 224.: ὀδύρετο ὀστέα. — 465.: ἡνία, οὐδέ.

ω, 508.: ἀπώσατο ἦκα.

Non addimus ρ, 368., quod ex vocali ι justam habet excusationem.

Encliticis vocibus tolli caesuras patet denuo ex librr. α, 157. ε, 542.

c. Venio nunc ad thesin pedis primi. Hanc lentiorem quodammodo esse et tenaciorem quam reliquas, intelligitur ex iis, quae de productione vocalium longarum diphthongorumque supra §. 47 sqq. docuimus. Itaque huic quidem thesi si majorem concedimus in ferendo hiatu licentiam, haud fallemur. Attamen celerius utique pronuntianda est haec thesis, si post arsin est interpunctio; quod si fit, tollitur haec hiatus licentia. Sequitur ut hiatum in fine pedis ferre non possimus (h. e. illicitum dicamus), ubi caesura trochaica aut ob sententiae rationem praevalet, aut ob interpunctionem. Caesurae ejus, quae est post arsin, non magnam putamus esse vim, nisi firmatur interpunctione, cf. §. 21. 29. Una enim syllaba longa est minor versûs pars, quam qua diutius possit retineri in recitando vox.

Loci sunt hi:

α, 203.: ἦ ἵνα ὕβριν. — 532.: εἰς ἅλα ἆλτο.

ε, 90.: οὐδ' ἄρα ἕρκεα. — 723.: χάλκεα, ὀκτάκνημα, ubi in promtu fuit ponere χάλκει'.

λ, 767.: νῶϊ δὲ ἔνδον. cod. Venct.

ν, 300.: ἕσπετο, ὅςτ'.

ο, 227.: ἔπλετο, ὅττι.

π, 404.: ἡνία, ἠΐχθησαν.

υ, 152.: ἀμφὶ σέ, ἤϊε. Hanc vocem digamma non utentem recte deduxit Lehrs. Arist. p. 345.

χ, 266.: ὅρκια ἔσσονται.

ψ, 71.: θάπτε με ὅττι.

In caesura trochaica leguntur:

α, 533.: Ζεὺς δὲ ἑόν.

β, 165. 181.: μηδὲ ἔα.

ι, 420. 687.: χεῖρα ἑήν. 319.: ἐν δὲ ἵῃ. (v. l. 260, παῦε, omitto).

ρ, 16.: τῷ με ἔα.

τ, 194.: δῶρα ἐμῆς, quae antiquior videtur fuisse lectio.

χ, 339.: μή με ἔα.

Confirmantur duae meae sententiae his locis: altera, tolli caesuras vocibus encliticis (quod ni esset, excusationem metricam non haberent ψ, 71. α, 533.); altera, fere nullam esse post praepositiones caesuram (illicitus enim esset hiatus υ, 152.).

§. 67. — Jam qui restant hiatus in Iliade, nec ex natura vocalium habentes excusationem, nec ex metrica versus ratione, hos merito possumus dicere non excusatos sive illicitos. Excedere enim videntur licentiae modum.

Sed vel ex his unum tantum corrigendum esse censeo: α, 344. μαχέοιντο Ἀχαιοί. Displicet enim optativus (Thiersch. Gr. §. 347. 1. a.); nec in optativo legitur unquam -ντο, quod semper est -ατο. Cf. Ahrens. de conjug. in -μι, pag. 12. Quare aut Homericus non est hic versus, et finiebatur fortasse sententia antiquitus verbo θύει, cf. λ, 180. π, 699. χ, 272. — aut scribendum est μαχεοίατ'. Cf. Odyss. σ, 190. all.

Reliqui loci sunt hi:

β, 8.: οὖλε Ὄνειρε. — 87.: ἔθνεα εἶσι. — 90.: αἵ δέ τε ἔνθα. — (in pedibus 2. 2. 5.)

γ, 46.: τοιόςδε ἐών. (2.).

δ, 2.: πότνια Ἥβη. — 75.: ἀστέρα ἧκε. — 486.: ὄφρα ἴτυν. — (5. 2. 5. 2.)

ε, 90.: *ἔρκεα ἴσχει.* — 118.: *ἄνδρα ἑλεῖν.* — 181.: *πάντα ἐΐσκω.* — 310.: *ἀμφὶ δὲ ὄσσε.* — 748.: *ἐπεμαίετο ἵππους*, quae lectio Eustathii ob ipsum hiatum recte visa est antiquior. — (2. 2. 5. 2. 5.).

λ, 24.: *δέκα οἶμοι.* — 108.: *παρὰ οὖς.* — 356.: *ἀμφὶ δὲ ὄσσε.* — 678.: *πώεα οἰῶν.* — (2. 2. 2. 5.).

ν, 22.: *ἄφθιτα αἰεί.* — (5.).

ξ, 183.: *ἕρματα ἧκεν.* — 285.: *σείετο ὕλη.* — (2. 5.).

ϱ, 392.: *ἄφαρ δέ τε ἰκμάς.* — (2.).

σ, 4.: *τετελεσμένα ἦεν.* Mitto lectionem variam. — (5.).

τ, 93.: *ἀλλ' ἄρα ἦγε.* — 288.: *σε ἔλειπον.* — Admodum dubius est locus 384.: *δ' ἕο αὐτοῦ*, qui tamen eandem habet excusationem, quam habent *ἐμεῖο*, *σεῖο*, cf. §. 64. d. Sed fortasse legendum est *ἕο δ' αὐτοῦ.* — (2. 2. 2.).

ψ, 263.: *γυναῖκα ἄγεσθαι.* — (2.).

ω, 124.: *ἐντύνοντο ἄριστον.* — 455.: *ἀναοίγω.* — 528.: *δὲ ἐάων.* — (5. 5.).

Accedere videntur ad hunc numerum hiatus nonnulli ex ea quaestione, quam de digamma instituimus. Hi infra addentur, cf. §§. 141.

Omisi hac in enarratione unum hiatum: *πότνια Ἥρη.* Hic cum eodem semper versus loco et vel iis legatur in libris, qui aliis hiatibus plane egent; ex antiquiore poesi ad Homerum pervenisse jure existimandus est. Legitur α, 551. 568. δ, 50. ϑ, 198. 218. ο, 83. π, 439. σ, 361. Hujus ad similitudinem factum est *πότνια Ἥβη* libr. δ, 2. Elisionem patitur haec vox (de qua egerunt Buttmann. Gr. I. p. 261. Voss. hymn. in Cer. 118. 202.) ε, 592., nisi fuit *πότνι᾽ Ἐνυώ*. — Eodem modo se potest habere ε, 310. λ, 356., qui idem est versus. — Aliqua deinde excusatione utuntur ν, 22. σ, 4. ob usitatissimas clausulas *ἄφθιτος* sive *ἄφθιτον αἰεί*; *τετελεσμένον ἐστί* sive *ἔσται.* Constat enim epicam poesin rarissime recedere a talibus formulis.

Postremo addo, nonnullas terminationes vel in his hiatibus, quos aut ex metrica ratione excusationem accipere aut illicitos esse diximus, prae reliquis bene ferri posse videri. Huc refero terminationem verborum -το. Sed utut hoc est, summa est licentia. Quare abstinemus argutiore distinctione. — Interpunctionem non multum valere ad excusandum hiatum, omnes locos qui accurate contulerit facile concedet. Si opus esse videbitur tali distinctione, infra fortasse periculum faciemus.

QUAESTIO TERTIA.

DE SYLLABIS FINALIBUS BREVIBUS, QUIBUS IN PRODUCENDIS AB USU RELIQUORUM POETARUM FERE RECEDERE VIDETUR HOMERUS.

Caput primum.

De syllabis finalibus brevibus, quae in consonas literas desinentes producuntur ante vocales initiales vocum insequentium.

§. 68. — Non rara est apud Homerum harum syllabarum productio, quam constat satis late patere. Nec minus differt hac in re Homericus usus ab usu poetarum recentiorum (imitatores Homeri non dico), quam in productione vocalium longarum diphthongorumve ea, quae est in hiatu; quam supra demonstravimus. Etenim recentiores quidem poetae et rarius omnino producunt tales syllabas, et firmissimis tantum in arsibus. Contra Homerus producit multo saepius et plures ad arses pertinet haec licentia.

Priusquam tamen agamus de hac licentia, exponendum est de nonnullis terminationibus, quae aut longae sunt aut ancipites videntur fuisse Homeri temporibus. Hae quaenam sint, intelligitur ex

Productione, quae fit in thesi.

Nec deerunt tamen paucae quaedam malae lectiones, quae emendatione indigebunt, cf. §. 72.

§. 69. — Quae igitur vel in thesi producuntur terminationes, hae, si vera est lectio, aut longae sint necesse est, aut ancipites. Quae enim nunquam corripiuntur, eas patet longas esse; et hoc ita esse facile quisque concedit. At multo difficiliores videntur esse docti homines in agnoscendis syllabis ancipitibus. Nescio quo jure. Nam qui dicunt βλοσυρῶπις (accentum non curo) libr. λ, 36. ultima uti brevi; nonne idem est ac si dicant Homerum aut metri esse imperitum (sed σπανίως Ὅμηρος κακομέτρους ποιεῖ — schol. A. ad χ, 379.); aut terminationes ancipites non novisse, quibus nulla eget lingua? Attamen fere omnes ita dixerunt. Unum miror, Hermannum (Elementt. p. 41.), qui hac opinione inductus Odyss. γ, 293. legere voluerit αἰπεῖά τ'. Sed et hiatus recte se habet (§. 66. b.), nec unquam ante τ producuntur vocales breves in thesi. Cf. §. 81.

§. 70. — Atque longa quae semper sit et huc pertineat, unam tantum novimus terminationem. Nominativus est et accusativus singularis numeri eorum substantivorum, quae in -υς desinentia sunt oxytona (de contractis, ἰχθῦς et rell., non agimus), et corripiunt vocalem υ in genitivo (Φόρκυς: β, 862. huc non pertinet, ut quod longa utatur vocali υ vel in genitivo. Cf. ρ, 318.). Cf. Buttmann. Gr. Gr. §. 42. not. 2. Horum substantivorum quos dixi casus, in thesi nunquam corripiuntur; at producuntur in thesi prima ἰχθύς: φ, 127. πληθύν: λ, 305. — in quarta ἀχλύς: υ, 421. ἰθύν: φ, 303. — in secunda, infirmiore, ἰθύν: ζ, 79. In arsi producuntur talia oxytona β, 143. ο, 305. ν, 730. ρ, 32. τ, 205. υ, 197. ψ, 622. *).

*) Non ad certas quasdam voces pertinere hanc productionem intelligimus ex productione correptioneque vocalium longarum, quae sunt in hiatu. Quae simillima est res. Ita producuntur θυμῷ: ζ, 524. ἰῷ: θ, 514. κακῷ: β, 724. ε, 650. ὁδῷ: ζ, 15. η, 143. μ, 168. ἑοῦ: α, 496. Corripiuntur eaedem voces η, 192. — λ, 476. — β, 380. — κ, 394. 204. all.

§. 71. — **Pergimus ad syllabas ancipites. Huc pertinet 1. particula πρίν, contracta fortasse ex προϊόν. Quae producitur in thesibus infirmioribus, secunda et tertia: ζ, 81. ι, 403. π, 322. 840. all. Corripitur haud raro, veluti β, 344.; et τοπρίν libr. ι, 403. φ, 476. all. — Quae cum ita sint; patet licentiam non esse, ubi producitur in arsi, veluti η, 390. π, 839. φ, 179. ω, 245. 764. all.**

2. Ὄρνις in thesi legitur μ, 218., ubi Wolfius scripsit ὄρνις ἐπῆλθε. Corripitur ω, 221. cf. Spitzner. — Quin corripi possit non dubito. Attamen in thesi μ, 218. recte produci ex eo concludimus, quod vocali ι utitur longa in casibus obliquis. Sequitur, ut quavis arsi recte producatur; huc pertinet ι, 323.

3. Βλοσυρῶπις (ιδος) cum producatur in quarta thesi λ, 36. (quod exemplum nullo modo removeri potest); patet hanc terminationem ις (ιδος) in femininis quidem esse ancipitem. Corripitur enim saepissime γλαυκῶπις. Ergo suo jure producuntur Ἔρις: δ, 440. Κισσηΐς: ζ, 299.

Sed nominativo cum etiam firmior sit vocativus (cf. §. 50. 5. not.); non dubito, quin ferri possit Veneti lectio βοῶπι: σ, 357. (est thesis quarta). Recurrit eadem lectio θ, 471. (cf. Spitzner.) ο, 49. et γλαυκῶπι: θ, 420.; ubi, cum anceps sit ι, hiatum esse vix statuerim, cf. §. 66. a. — Quae cum ita sint, vocativus Θέτι: σ, 385. 424. ω, 88. suo jure producitur, nec curo lectionem faciliorem Θέτις.

Concinunt vero fere ubique nominativus, vocativus, accusativus. Unde patet etiam accusativum harum vocum, qui est in -ιν, quavis arsi produci posse. Huc pertinent θοῦριν: η, 325. σ, 157. ἵππουριν: ζ, 495.

Hactenus certa sunt quae diximus. Pertinebant ad feminina desinentia in -ις, ιδος. Num ad masculina (Πάρις all.) pertineant, potest dubitari. Attamen παΐς, cum sit generis utriusque, eodem puto esse referendum. Producitur in arsi quarta χ, 492. 499.

His omnibus multo firmius est κληΐς, quod, cum longa utatur vocali ι, nunquam corripitur in Iliade. Pro-

ducitur ϑ, 325. μ, 456. ω, 318. Hanc vocem si confers cum voce ὄρνις, quae item longa vocali utens corripitur in thesi ω, 221.; patet terminationis firmitatem effici litera δ; correptioni igitur magis favere eas terminationes, quae habent literas ϑ vel τ. Quare licentia est χάριν, product. ε, 874.

4. Verum esse quod dixi, accusativum ϑοῦριν, all., suo jure produci, probatur collat. κ, 292. Odyss. γ, 382. Utroque loco producitur ἦνιν in thesi quarta. Iterum est femininum *).

Utitur autem haec terminatio eodem jure, quo utitur -ις, ιδος. Quae terminationes arctissime antiquitus inter se cohaerent. Ita μῆτις genitivis utitur duobus: μήτιδος, μήτιος; ita vocis Θέτις dativus erat Θέτϊ, qui postea contractus, Θέτι (uti μήτι, κόνι), utitur longa vocali ι, cf. σ, 407. Quae cum ita sint; patet femininorum, quae desinunt in -ις, ιος, nominativos et accusativos singular. (vocativos adderemus, si legerentur in Iliade) ultimam syllabam habere ancipitem. Ideo quavis vel infirmissima arsi possunt produci. Hujus generis sunt μῆτιν: β, 169. 407. 636. η, 47. κ, 137. λ, 611. 200. ψ, 313. — πόλις: ζ, 152. λ, 711. π, 57. 69.

§. 72. — Possunt etiam plures fuisse Homeri temporibus terminationes ancipites. Collata voce πρίν pertinet fortasse eodem πάλιν. Non constat tamen de hac voce, quae in thesi non potest produci. Praestat igitur hanc quaestionem nunc mittere.

Attamen sunt malae lectiones quatuor, quae, cum terminationes producant haud dubie breves, quin sint emendandae, non potest dubitari. Sunt hae:

1. Libr. ξ, 90. in thesi legitur μή τις. Sed recte e codd. et ex Odyss. τ, 486. altera lectio est arcessita μήτις τ'. Cf. Spitzn. annot.

---

*) ἦνις relinquimus, est enim contractum (ἤνιας). Producitur ζ, 94. 275. 309.; nec magis eget excusatione, quam ἰχϑῦς.

2. Libr. δ, 392. non minus molesta est lectio ἂψ ἀνερχομένῳ. Subsidio est Odyss. α, 317.: αὖτις ἀνερχομένῳ. Talia si quis ex primae thesis firmitate ea, quam tetigimus §. 47 sqq. 66. c., vellet excusari, falleretur egregie. Aliud est enim syllabas longas relinquere longas, aliud breves facere longas. Nam de ea productione, quae est in mediis vocibus (veluti Ἰλῖου), hoc loco non agitur; hanc longe aliter esse explicandam gravissimis argumentis demonstrabit aliquando Ahrensii sagacitas, cui quae invenit non decet praeripere.

3. Libr. ψ, 493. legitur item in prima thesi Αἶαν, Ἰδομενεῦ τε. Corripitur semper hic vocativus, cf. ν, 68. 222. 824.; nec ex digamma, quo nunquam utitur Ἰδομενεύς, cf. §. 105., excusari potest productio. — Succurrit Buttmann. Gr. Gr. §. 45. 3. Notum est nomina propria, quae desinunt in -ας, αντος, saepissime uti vocativo, qui fit in ᾰ. Ita Πουλυδάμα legitur μ, 231. all. Et ne quis putet certarum nonnullarum vocum hanc esse formam, addimus vocem Κάλχας. Haec enim, uti nunc habemus Iliadem, semper utitur vocativo Κάλχαν. Attamen Zenodoti quidem lectio α, 86. cum fuerit Κάλχα; nullum est dubium, quin etiam ψ, 493. scribendum sit Αἶα, ut producatur in thesi prima in hiatu longum illud α. Nam hoc in libro ψ offendere non potest talis productio.

4. Restat Od. ω, 299.: ποῦ δὲ νηῦς. Collat. 308. α, 185. lege ποῦ τοι νηῦς asyndetos. Cf. Od. δ, 463. ϑ, 208. 352.

Hoc modo remotis omnibus, quae ex sua natura productionis habeant excusationem, restat ut de syllabis, quae recte breves esse putantur, quae producuntur ex licentia metrica, breviter agamus. Sunt eae, quae in thesi non producuntur. Itaque pergimus ad

Productionem, quae fit in arsi.

§. 73. — Haec productio efficitur vi caesurarum, quarum nonnullae sunt vehementiores, nonnullae infirmae.

Atque cum firmissimus sit in versu heroico ordo metricus primus, de hoc ordine primum agimus.

ducitur ϑ, 325. μ, 456. ω, 318. Hanc vocem si confers cum voce ὄρνις, quae item longa vocali utens corripitur in thesi ω, 221.; patet terminationis firmitatem effici litera δ; correptioni igitur magis favere eas terminationes, quae habent literas ϑ vel τ. Quare licentia est χάριν, product. ε, 874.

4. Verum esse quod dixi, accusativum ϑοῦριν, all., suo jure produci, probatur collat. κ, 292. Odyss. γ, 382. Utroque loco producitur ἦνιν in thesi quarta. Iterum est femininum *).

Utitur autem haec terminatio eodem jure, quo utitur -ις, ιδος. Quae terminationes arctissime antiquitus inter se cohaerent. Ita μῆτις genitivis utitur duobus: μήτιδος, μήτιος; ita vocis Θέτις dativus erat Θέτϊϊ, qui postea contractus, Θέτι (uti μήτι, κόνι), utitur longa vocali ι, cf. σ, 407. Quae cum ita sint; patet femininorum, quae desinunt in -ις, ιος, nominativos et accusativos singular. (vocativos adderemus, si legerentur in Iliade) ultimam syllabam habere ancipitem. Ideo quavis vel infirmissima arsi possunt produci. Hujus generis sunt μῆτιν: β, 169. 407. 636. η, 47. κ, 137. λ, 611. 200. ψ, 313. — πόλις: ζ, 152. λ, 711. π, 57. 69.

§. 72. — Possunt etiam plures fuisse Homeri temporibus terminationes ancipites. Collata voce πρίν pertinet fortasse eodem πάλιν. Non constat tamen de hac voce, quae in thesi non potest produci. Praestat igitur hanc quaestionem nunc mittere.

Attamen sunt malae lectiones quatuor, quae, cum terminationes producant haud dubie breves, quin sint emendandae, non potest dubitari. Sunt hae:

1. Libr. ξ, 90. in thesi legitur μή τις. Sed recte e codd. et ex Odyss. τ, 486. altera lectio est arcessita μήτις τ'. Cf. Spitzn. annot.

---

*) ἦνις relinquimus, est enim contractum (ἤνιας). Producitur ζ, 94. 275. 309.; nec magis eget excusatione, quam ἰχθῦς.

2. Libr. δ, 392. non minus molesta est lectio ἂψ ἀνερχομένῳ. Subsidio est Odyss. α, 317.: αὖτις ἀνερχομένῳ. Talia si quis ex primae thesis firmitate ea, quam tetigimus §. 47 sqq. 66. c., vellet excusari, falleretur egregie. Aliud est enim syllabas longas relinquere longas, aliud breves facere longas. Nam de ea productione, quae est in mediis vocibus (veluti Ἴλῑον), hoc loco non agitur; hanc longe aliter esse explicandam gravissimis argumentis demonstrabit aliquando Ahrensii sagacitas, cui quae invenit non decet praeripere.

3. Libr. ψ, 493. legitur item in prima thesi Αἶαν, Ἰδομενεῦ τε. Corripitur semper hic vocativus, cf. ν, 68. 222. 824.; nec ex digamma, quo nunquam utitur Ἰδομενεύς, cf. §. 105., excusari potest productio. — Succurrit Buttmann. Gr. Gr. §. 45. 3. Notum est nomina propria, quae desinunt in -ας, αντος, saepissime uti vocativo, qui fit in ᾱ. Ita Πουλυδάμα legitur μ, 231. all. Et ne quis putet certarum nonnullarum vocum hanc esse formam, addimus vocem Κάλχας. Haec enim, uti nunc habemus Iliadem, semper utitur vocativo Κάλχαν. Attamen Zenodoti quidem lectio α, 86. cum fuerit Κάλχα; nullum est dubium, quin etiam ψ, 493. scribendum sit Αἶα, ut producatur in thesi prima in hiatu longum illud α. Nam hoc in libro ψ offendere non potest talis productio.

4. Restat Od. ω, 299.: ποῦ δὲ νηῦς. Collat. 308. α, 185. lege ποῦ τοι νηῦς asyndetos. Cf. Od. δ, 463. ϑ, 208. 352.

Hoc modo remotis omnibus, quae ex sua natura productionis habeant excusationem, restat ut de syllabis, quae recte breves esse putantur, quae producuntur ex licentia metrica, breviter agamus. Sunt eae, quae in thesi non producuntur. Itaque pergimus ad

Productionem, quae fit in arsi.

§. 73. — Haec productio efficitur vi caesurarum, quarum nonnullae sunt vehementiores, nonnullae infirmae.

Atque cum firmissimus sit in versu heroico ordo metricus primus, de hoc ordine primum agimus.

Hic pertinet ad caesuram majorem pedis tertii, et vehementissima est hujus ordinis caesura mascula. Quae aut est pedis tertii; aut, ubi hic ordo decurrit ad trochaicam pedis tertii caesuram, pedis secundi. Haec mascula caesura totius ordinis est quasi culmen et fastigium, in hac est summa vis. Favet igitur maxime productioni brevium syllabarum; quam paulo saepius inveniri in semiquinaria, rarius in semiternaria, consentaneum est. Juvat utriusque caesurae productiones inter se conferre.

Librr.	Semiquinariae productio.	Semiternariae, quae est ante caes. troch. ped. tertii, productio.
α.	153. 226 342. 527. 535.	244.
β.	24 71. 165. 181. 228. 449. 507. 539. 585. 696. 789.	39. 233. 745. 822.
γ.	35. 248. 329. 310.	. . . . . .
δ.	76.	27.
ε.	385. 485.	622.
ζ.	76. 299.	176. 366. 501.
η.	31. 167. 355.	77. 84. 232. 416.
ϑ.	82. 265.	. . . . . .
ι.	. . . .	. . . . . .
ϰ.	. . . .	7. 281.
λ.	40. 151. 219 369. 371. 376. 427. 505 547. 582. 630. 674. 776.	39.
μ.	52. 270.	. . . . . .
ν.	309. 368. 578. 765.	511. 558.
ξ.	349. 423. 473.	. . . . . .
ο.	. . . .	. . . . . .
π.	192. 560. 709. 716. 718. 736. .	. . . . . .
ϱ.	42. 104. 109. 135. 196.	. . . . . .
σ.	222. 224. 260. 347. 580.	168. 591.
τ.	345.	. . . . . .
υ.	145. 239. 368.	45. 243.
φ.	118. 363.	8.
χ.	352. 481. 513.	22. 196.
ψ.	89. 460 (*F?*). 731. 779.	110. 137. 603.
ω.	47. 84. 269. 604. 758.	736.

Non attuli σ, 493.: ἠγίνεον. Hac enim in voce, cum ι sit longum (Odyss. κ, 104. all.), synizesis est.

Comparatis omnibus locis intelligitur quasvis terminationes et vel levissimas posse produci his caesuris. Ita producuntur terminationes verborum β, 228. 539. 585. γ, 35. all. Nec interest, utrum sit interpunctio necne.

Aeque facile intelligitur in caesura semiquinaria produci breves syllabas saepissime, quamvis antecedat caesura semiternaria. Contra semiternariae, si legitur ante semiquinariam, non eadem est vis, ac si legitur ante trochaicam caesuram pedis tertii. Praestat igitur de ejusmodi productionibus, quae et sunt paucissimae et videntur esse duriores, infra agere, §. 75. 1.

§. 74. — Ad ordinem metricum secundum pertinet caesura semiseptenaria; cujus in locum, si deest, succedit saepe seminovenaria. Hic ordo productioni minus favet.

Librr.	Semiseptenariae productio.	Seminovenariae, quae est loco semiseptenariae, productio.
α.	51. cf. δ, 129.	85.
γ.	24. 103.	. . . . . .
δ.	129. (cf. α, 51.) 492.	. . . . . .
ε.	874.	752.
ϑ.	248. 359.	396.
κ.	264. 540	281.
ν.	705.	495. cf. §. 142.
ξ.	503.	139. 357. v. l.
ο.	271., cf. γ, 24.	. . . . . .
π.	592.	. . . . . .
ϱ.	54. 520. 582. (v. l., sed cf. ο, 710.) 692. 724.	. . . . . .
σ.	180.	5*9.
τ.	43. 49.	396.
υ.	72.	. . . . . .
φ.	236.	. . . . . .
χ.	282. 386. 412.	. . . . . .
ψ.	795. cf. §. 151. 1.	74.
ω.	470. 544.	765.

Addimus duriorem esse productionem in caesura semiseptenaria, si praevalet in quarto pede ea caesura, quae est in pedis fine. Hoc fit κ, 264. τ, 49. χ, 412. ω, 544.

§. 75. — Venio ad nonnullas productiones, quae multo duriores videantur, quam quas modo demonstravimus. Huc pertinet

1. ea productio, quae est ante semiquinariam in caesura semiternaria. Quatuor tantum locis invenitur: γ, 40. ε, 499. (digamma non est in voce ἄχνη, licet deducant ab ἄγνυμι — cf. v. 501.) π, 269. ω, 193. Non egent quadam excusatione γ, 40. π, 269. Priore loco semiquinariae non tanta videtur esse vis, quanta est et semiternariae et semiseptenariae, quibus favet hoc loco sententiae ratio. Altero loco est vocativus interpunctione, quam majorem esse post vocativos saepius diximus, firmatus. Est tamen utroque loco summa in producendo licentia.

2. In seminovenaria, quae est post semiseptenariam, quae satis infirma est caesura, duobus tantum locis producitur syllaba brevis: φ, 23.: λιμένος εὐόρμου; σ, 288.: μέροπες ἄνθρωποι. Illud excusatione eget; hoc etsi factum est ad similitudinem notissimae versuum clausulae μερόπων ἀνθρώπων, tamen excedere videtur licentiae modum solitum *).

3. Masculae caesurae pedis primi, nisi firmatur interpunctione, paene nullam esse vim saepius diximus. Duobus locis in hac sede reperitur in Iliade productio: χ, 236. ὅς. — ω, 154.: ὅς. Inutilis est enim conjectura ὅςγ᾽.

§. 76. — Multo saepius producuntur syllabae breves ante vocem ὥς. Fit in pede sexto γ, 2. 230. δ, 482. ι, 302. λ, 172. ν, 470. ξ, 185. χ, 434. all.; in quarto

*) Huc pertineret illud μῆτιν ἀτάλαντος, quod supra diximus, §. 71. 4., nisi aliunde haberet excusationem.

β, 190. γ, 60. ε, 476. ι, 155. 297. λ, 58. 237. μ, 176. ο, 196. σ, 57. 438.; in secundo ζ, 443.

A reliquis productionibus hanc quidem productionem tribus potissimum de causis seclusimus. Primum vocem ὥς hoc modo quasi in anastropha esse positam facile intelligitur; sequitur non magnam esse caesuram, nec caesurae vi has productiones adjuvari. Tum vel in iis libris invenitur talis productio, qui aut productionibus omnino indigere videantur (veluti nonus Iliadis), aut in ordine metrico secundo iisdem indigeant (ita se habet libri secundi pars prior — attamen β, 190. ante ὥς productio est in arsi quarta). Postremo tam constans est apud Homerum haec productio, ut rara ante ὥς sit elisio (ε, 78. π, 605. 756.), raro corripiantur breves syllabae (γ, 196. ϑ, 94.).

Quae cum ita sint, patet propriam esse hujus productionis causam; quam nisi in voce ὥς non possumus invenire. Constat hanc vocem pertinere ad radicem pronominum relativorum, quae apud Latinos incipit a literis qu, apud Germanos temporis antiquioris a literis hv. Incipiebat igitur haec vox antiquissimis temporibus apud Graecos a litera consona, et haec est causa productionis. Jam cum in antiquiore poesi talis productio in usu esset, accepit eam etiam Homerus, quem constat raro a formulis quibusdam recedere. Falluntur tamen, qui putant digamma hac in voce valuisse apud Homerum, cujus rei testimonium non potest inveniri. Immo licuit Homero hac productionis [illegible]ione uti; licuit vero etiam corripere ante ὥς syllabas b[illegible]es, veluti γ, 196. ϑ, 94. all.

Simillimam rem tractabimus infra, cf. §§. 141, 2 — 170, 2. 3. — 171.

Hac in re quis non meminerit, etiam apud Latinos multis in vocibus obliteratas esse literas qu (veluti in voce u t) et mansisse tamen vel posterioribus temporibus quaedam vestigia? Intelligunt, qui harum rerum sunt periti, me dicere adverbium u b i, collatis a l i - c u b i, s i - c u b i, n e - c u b i.

Caput secundum.

De productionibus, quae ante literas consonas initiales efficiuntur litera ν paragogica vocis superioris.

§. 77. — Etiam infirma arsi produci posse eas syllabas breves, quae utuntur litera paragogica, ante singulas consonas literas initiales vocis insequentis, facile intelligetur, si demonstraverimus idem fieri posse paene quavis thesi.

Atque in prima thesi saepissime invenitur haec productio. Est enim ante literam *μ* vocis insequentis *π*, 202. *ψ*, 527. 877. *γ*, 16. *ε*, 260. *ζ*, 49. all. — ante *ν*: *λ*, 315. all. — ante *π*: *σ*, 213. *ω*, 116. *α*, 66. *χ*, 496. *ϑ*, 508. all. — ante *δ*: *χ*, 320. *ω*, 122. 160. 723. *α*, 450. 498. *γ*, 275. *ε*, 777. 870. 898. *ϑ*, 34. 354. all. — ante *τ*: *ψ*, 153. *ζ*, 96. 277. *η*, 453. *λ*, 134. *ν*, 634. *ξ*, 338. — ante *ϑ*: *ε*, 510. — ante *γ*: *υ*, 183. *α*, 255. — ante *κ*: *δ*, 444.

In altera thesi ob metricam rationem legitur paulo rarius. Est ante *μ*: *ρ*, 705. *α*, 388. — ante *ν*: *δ*, 181. — ante *π*: *β*, 72. 83. all. *γ*, 454. *ζ*, 69. — ante *δ*: *δ*, 270. — ante *ϑ*: *δ*, 289. *ζ*, 143. — ante *γ*: *ο*, 197. — ante *χ*: *ρ*, 44. *γ*, 348. *η*, 259. *σ*, 123. — ante digamma (*οἶ*): *λ*, 792. *ο*, 403.

Item in quarta thesi, plerumque dactylica, rarior est productio. Est *δ*, 353. *ι*, 359. Si qui praeterea sunt loci, me fugerunt.

In tertia thesi non legi. Non potest facile legi. Opus est enim voce monosyllaba post semiquinariam. Jam cum quae utuntur hac litera voces monosyllabae, sint encliticae, constat (§. 2.) non posse eas produci in tertia thesi.

Item in quinta thesi, ut quae plerumque sit dactylica, in Iliade non vidi hanc productionem.

Non inveni eandem ante β vel φ, at quin esse potuerit non dubito. Hanc quidem ad rem Odysseam anxie pervolvere nolui.

Patet igitur vel infirmissimis arsibus produci posse has syllabas. Unam tantum arsin excipimus, primam, ob eandem causam quam demonstravimus. Non possunt enim voces encliticae esse in versus initio.

Caput tertium.

De syllabis finalibus brevibus, quae in vocales literas desinentes producuntur ante singulas literas consonas initiales vocum insequentium.

1. De terminationibus, quae videntur esse ancipites.

§. 78. — Paucae voces huc pertinent.

1. Sunt enim quaedam adverbia, desinentia in vocalem ι: αὐτονυχί, ἐγρηγορτί, τριστοιχί, μεταστοιχί, cf. θ, 197. κ, 182. 473. ψ, 358. 757. Adde ejusdem terminationis adverbia producta ante encliticam vocem γε: ἀσπουδί, ἀνδρωστί, ἀναιμωτί, ἀνουτητί, cf. θ, 512. ο, 228. ρ, 363. 497. χ, 371. — Egerunt de his vocibus Spitzner. ad θ, 197. 512.; d. v. h. p. 47.; et melius Buttmann. Gr. Gr. II. §. 119. 85. — Ut ancipiti ultima has uti putemus, movet nos altera nonnullarum forma, quae desinit in ει, veluti αὐτονυχεί, ἀσπουδεί, ἀναιμωτεί. Eandem ob causam inter justos hiatus supra non enumeravi λ, 637.: ἀμογητὶ ἄειρεν. Hae voces omnes accentum servant in ultima, nec producitur unquam ἕκητι, quod alio utitur accentu. Corripitur semper μεγαλωστί (tribus locis, non duobus: σ, 26. π, 776. Odyss. ω, 40.) et μελεϊστί, ω, 409. Cf. Buttmann.

Plura de hac re disserere nolo. Addo tamen (§. 94.

95.), earum vocum, quas demonstravi, productionem etiam ex firmitate literae ι posse excusari, eandemque excusationem valere fortasse in hiatu λ, 637. cf. §. 64. b. Ancipitem dixi terminationem, commotus altera forma ει, quae damnari non potest.

2. Superest adverbium ἀντικρύ, quod ultima brevi utitur rarissime (ε, 130. 819.), producitur saepissime. Ut mittam δ, 481. ε, 189. π, 285. 346.; multo majoris est momenti, quod producitur ante particulam δέ, qua in productione caesurae (§. 3.) nulla est vis: ε, 74. 100. λ, 253. ν, 592. 652. π, 116. 380. ρ, 49. υ, 416. χ, 327. ψ, 867. 876. Ad alteram formam ἄντικρυς nolo confugere; patet illud ύ per se fuisse firmissimum et firmatur etiam accentu.

2. De productis vocalibus brevibus.

§. 79. — Ad singula priusquam transeamus, rationem habemus vocum ἕως et τέως.

Saepissime enim apud Homerum produci videtur in thesi ὁ (ὅ) post ἕως. Cf. α, 193. κ, 507. λ, 411. ο, 539. ρ, 106. σ, 15. φ, 602. all. Sed minus recte ita scribi, praeter Bothium (ad Iliad. ψ, 238.) ad unum omnes censuerunt et intelligitur ex eo, quod quae reliqua sunt ejusmodi productionis exempla, omnia aut alio modo optime possunt explicari (§. 81 sqq.), aut facillime removeri (§. 72.). Trochaica sit vocis ἕως mensura necesse est, ubi legitur in quinto pede plerumque dactylico: cf. ν, 141. Odyss. η, 280. ο, 109. all.

Quam ob causam vario modo statuerunt de ἕως ὁ. Mitto malas nonnullorum sententias, quas commemoravit Vossius ad hymn. in Cerer. 138. Duarum tantum habeo rationem, quarum utraque potest esse vera. Altera est Hermanni et Thierschii (Elementt. p. 58. 59. — Gr. Gr. §. 168. 10.), qui adhibitis formis εἵως, τείως censuerunt, pronuntiandum esse εἶος. Ita vocem ἕως Odyss. δ, 90. excipit τείως. Damnavit hanc sententiam

Vossius (assentiente **Nitzschio** ad Od. ε, 365.) eam ob causam, quod terminatio ως non solet mutari in ος. Succurrunt tamen adverbia ἦμος, τῆμος; nam ἦμος ab ἦμαρ esse deducendum existimari non potest. Tum auxilio venit consuetudo Homerica, quae est in genitivo primae declinationis eorum substantivorum, quae desinunt in ης. Altera forma desinit in εω, quae semper patitur synizesin (eodem modo vocis ἕως synizesis legitur Iliad. ρ, 727. all.); altera desinit in αο, producta antepenultima; eodem modo se habet fortasse εἶος. Addo Homerum favere huic productioni antepenultimae, cf. βασιλῆος cum Attic. βασιλέως. Quae cum ita sint, assentior equidem **Hermanno**. — Altera ipsius **Vossii** sententia est; ingeniosa sane, non verior. Putat εἵως fuisse εἵω; uti οὔπω, οὕτω all. oriuntur ex οὔπως. Obstat id, quod ne minimum quidem hujus formae vestigium invenitur in codicibus. Contra εἵως, antiquissimis temporibus scriptum *ΕΟΣ*, utramque formam (εἶος, εἵως) continebat.

Sequitur ut Iliad. τ, 189. legendum sit αὐτόθι τεῖος.

Ceterum quod uterque, et **Vossius** et **Hermannus**, inde concluserunt, legendum esse αὔτω aut αὖτος Odyss. ο, 83., falsissimum videtur esse. Removere voluerunt molestam formam ἀππέμψει. Patet tamen **multitudine exemplorum** necessario nos compelli ad hanc, quam de voce ἕως tulimus, sententiam. Num idem accidit in adverbio αὔτως? Nec ἀππέμψει (cf. §. 63.) qui vult mutare, intactum relinquere potest ὑββάλλειν; licet ἀππέμψει monstrum grammaticum dicat **Vossius**. Ego quidem eodem jure monstrum metricum possum dicere ἀπōπέμψει. Haec enim praepositionis productio, nisi iis in vocibus, quae a binis literis consonis inceperunt (§. 81 sqq.) aut ex antiquiore poesi pervenerunt ad Homerum (ἀποειπών, ἀποέρσειε, all.), in compositis apud Homerum non invenitur. Etenim ἐπῑτέλλω, Διῑπετέος efficiuntur sola literae ι firmitate, cf. §. 94.

Concedo tamen ἀππέμψει et ὑββάλλειν recedere a solito Homeri modo; et ne dicant qui hoc legunt, me lu-

dere, addo et Iliadis illum locum et Odyss. libr. *o*. initium haud dubie recentioris esse aetatis. Hujus rei argumenta non desunt; de quibus agemus ubi absolverimus eam quaestionem, quam habebimus de digamma.

§. 80. — His exceptis locis, maximus est productarum ante singulas literas consonas initiales brevium vocalium finalium apud Homerum numerus. Atqui hoc movet dubitationem, quod haec productio vel infirmissimis in arsibus invenitur. Huc accedit, quod firmiores utique videntur esse eae syllabae, quae cadunt in literas consonas, quam quae desinunt in vocales. Putares igitur illas ante vocales initiales multo facilius posse produci, quam has ante consonas initiales. Et est ita, modo recte intelligatur productarum vocalium finalium ratio.

Patet autem hujus productionis duas esse posse causas. Altera causa potest inesse in consonae literae initialis natura, altera potest esse in natura vocalis finalis *). Itaque duplex erit disputatio. — Odysseam adhibebimus, ubi opus erit. Sufficiunt plerumque exempla, quae petita sunt ex Iliade.

1. De productionibus, quae efficiuntur natura consonae initialis.

a. De productione, quae fit in thesi.

§. 81. — Rarissima haec est productio, quae duabus in dictionibus invenitur in Iliade, semel in Odyssea. Est his locis omnibus thesis prima, quam omnium esse firmissimam saepe docuimus.

1. Tribus in Iliade locis legitur ita *πολλά* ante *λίσσομαι*: *ε*, 358. *φ*, 368. *χ*, 91.

2. Semel legitur *πολλὰ ῥυστάζεσκε*: *ω*, 755.

3. In Odyssea ter legitur *πυκνὰ ῥωγαλέην*: *ν*, 438. *ϱ*, 198. *σ*, 109.

---

*) Hoc modo se habet lectio *βοῶπι*, Iliad. *σ*, 375. de qua diximus §. 71. 3.

Hujus quidem productionis causam inesse in vocibus πολλά et πυκνά quis putaverit? Possunt quidem ex antiquiore poesi receptae esse eae productiones, quas sub numeris 1 et 3 demonstravimus; sed de ω, 755. vix ita statuerim et χ, 240. remotum est πολλά a voce λίσσομαι. Patet igitur literas consonas productiones effecisse. — Confer de his §. 85 sqq.

b. De productione, quae fit in arsi.

§. 82. — Incipit haec disputatio, mutato eo ordine, quem supra (§§. 73 — 75.) servavimus, ab iis versus regionibus, in quibus raram esse brevium syllabarum productionem demonstravimus §. 75. Duae sunt: altera est caesura semiternaria, ubi est ante semiquinariam (quo versus loco quater in Iliade productas invenimus syllabas breves); altera est seminovenaria, ubi est post semiseptenariam (in hac duas tantum invenimus productiones). Tertiam mitto, arsin primam, in qua productionis ejus, de qua nunc agimus, nullum inveni exemplum.

1. In caesura seminovenaria, ubi est post semiseptenariam, quae versus regio productioni non favet, has productiones invenimus:

ante λιτανεύω — ψ, 196. λίθος — μ, 459.
„ ῥῖνες — ξ, 467. ψ, 395. 777.
„ δεινός — γ, 172. λ, 10.
„ νιφόεις — ξ, 227.

Horum locorum quamvis paucis quidem (ψ, 196. ob §. 93. — γ, 172. ob §. 94. fin.) aliunde petere possimus excusationem, placet tamen hanc dimittere, cum sufficiat altera explicatio. Cf. §§. 83 sqq.

2. In semiternaria ante semiquinariam producuntur vocales breves in Iliade

a. ante ῥινός — ε, 308. η, 474.
„ ῥῖνες — τ, 39.
„ ῥήγνυμι — μ, 198.
„ ῥηκτός — ν, 323.
„ ῥιπή — μ, 462. ο, 171. τ, 358. φ, 12.

ante ῥύομαι — ω, 430.
„ ῥητός — φ, 445.
„ ῥητήρ — ι, 443.
„ ῥάβδος — ω, 343.
b. ante δειλός — ε, 574.
„ δέος — ο, 4. κ, 376.
c. ante λαπάρη — ξ, 447. 517. χ, 307.
„ λιγυρός — λ, 532. ξ, 290. ψ, 215.
„ λιγύς — ν, 334.
„ λιαρός — λ, 830. 846.
„ Λητώ — ξ, 327. ω, 607.
„ λίθεος — ψ, 202.
d. ante νιφάς — μ, 278.
„ νέφος ο, 625. π, 375. ψ, 874.
„ νύσσα — ψ, 758.
„ νευρή — δ, 118. θ, 324. λ, 476. 664.
e. ante μέγαρον — β, 137.
„ μέγας — κ, 172. ο, 695. π, 115. ρ, 723. 739. φ, 243.
„ μελίη — π, 143. τ, 390. φ, 162. χ, 225.
„ μέλεα — η, 131. π, 607.
„ μαλακός — ι, 618. κ, 75. χ, 504.
„ μιαρός — ω, 420.
„ μυρίκη — κ, 467.
„ μοῖρα — π, 367.

Ingens sane productionum numerus. Mittimus varias lectiones, quae nonnullis locis inveniuntur. His enim nihil juvamur, cum longe plures utique supersint loci. Cf. β, 137.: ἐν μεγάροις. Eodem modo spernimus formam ὑπαί, quae offertur ante δέος, λιγυρός, ῥιπή all. nonnullis locis, sed non omnibus. Haec enim forma si vera esset (videtur autem illata ut productio excusaretur. — Similiter Herodianus γ, 240. legere voluit δεύρω, quae pessima est lectio), cur nunquam legitur διαί? cf. §. 96.

Multo minus probamus eam sententiam, quam quis possit dicere, excusari multas productiones eo, quod sint in vocalibus finalibus praepositionum. Constat enim post

praepositiones paene nullam esse caesuram, §. 7.; et superemnt iterum satis multae productiones.

Nec ad poesin antehomericam volumus confugere. Hoc, nisi in certis quibusdam sive dictionibus sive versus sedibus, et ubi de alia explicandi ratione est desperandum, fieri non potest. Et oriretur vel hoc modo ea quaestio, quaenam ante Homerum fuisset ejus productionis causa; quae si valebat ante Homerum, cur non potest quidem valere apud Homerum?

Patet alio modo esse agendum.

§. 83. — Collatis autem omnibus, quos §. 82. demonstravimus, locis intelligitur, primum, ante paucas omnino voces reperiri hanc brevium vocalium productionem; deinde ante easdem voces plerumque non semel produci has vocales, sed saepius; tum, harum vocum permultas redire ad easdem radices. Nam quin cohaereant inter se *ῥινός*, *ῥῖνες*; *δέος*, *δειλός*, *δεινός*; *λιγύς*, *λιγυρός*; *λιτανεύω*, *λίσσομαι*; *ῥύομαι*, *ῥυστάζω*; *μέγαρον*, *μέγας*, quis dubitat?

Ergo productionis causa nisi in ipsis vocibus, quae excipiunt vocalem brevem, non potest inveniri. Est autem haec, quod antiquissimis temporibus a binis consonis hae voces incipiebant. Quominus ita statuamus nec impedit linguarum historia, quam qui noverunt bene sciunt permultas literas paulatim evanescere et contrahi quodammodo ampliores vocum formas; et comprobat sententiam cognatarum linguarum comparatio, qua demonstratur harum vocum plerasque apud alias gentes a binis ternisve consonis incepisse. Quod si in plerisque vocibus certis argumentis probari potest; verisimile est, vel in iis vocibus, in quibus binas consonas initiales fuisse comparandis reliquis linguis non potest demonstrari, antiquarum formarum vestigia nobis servata esse posse in carminibus Homericis, quae constat antiquissima esse linguae Graecae monumenta. Consentaneum est enim in ipsa lingua Graeca non minus bene servari potuisse ejusmodi vestigia,

quam in reliquis linguis, quae Graeca vetustiores omnino non sunt.

At in contemtum venit haec sententia post Heynii (Diar. literar. Jen. 1803. p. 283 sqq.) et Payne-Knightii temeritatem! Scio. Nec tamen usum tollit abusus, et mutantur sane tempora. Primum enim in eo hi homines fallebantur, quod ubique agnoscebant digamma, non pervestigata antea versus natura et ratione, miscentes vera et falsa. Tum nec Jacobus Grimm illo tempore libros conscripserat, nec Franciscus Bopp et qui utrumque secuti sunt. Ita factum est ut quae recte disputavissent Heynius et Payne-Knightius eodem modo explederentur atque quae falso dixerant.

Hanc igitur sententiam, sed multis tamen modis mutatam, nunc repetens, non possum quin in principio disputationis fatear, quod vellem mihi fatendum non esset, me linguae Sanscritae esse imperitum. Possum quidem hoc ipso tempore multas formas ex hac lingua petitas afferre ex Benfeji lexico radd. Graec. *); sed praestat iis abstinere, ne idem mihi accidat, quod in Heynio modo vituperavi. Liceat igitur ex illo libro Benfejano tum potissimum afferre radices, si desunt in linguis Graeca, Latina, Germanica sententiae meae argumenta.

Jam ut compendium hujus sententiae conficiam, haec addo. Primum, digamma dico literam spirantem labialem (W), non alias literas. Deinde, in scriptis carminum Homericorum exemplis non solum digamma est ob-

*) Haec dum scribo septem hujus opusculi plagulae typis sunt impressae. Quod disputationis reliquum erat Gottinga arcessivi, ut meum in usum converterem Benfeji librum, quem in hoc oppido nondum videram. Eo majorem gratiam habeo homini eruditissimo, Alberto Lion, ph. Dri, qui de libro Benfejano primus me humaniter certiorem fecit. Nunc libro cognito video multa inesse, quae ante nonnullos annos de versu Homerico quaerens ipse inveneram. Multis tamen in rebus mihi discedendum fuisse a Benfejo sponte lectores intelligent. Aliter fortasse res cecidisset, si de dialecto Homerica Benfejus quaesivisset.

literatum, sed evanuerunt etiam plures literae consonae initiales. Tum, pleraeque ejusmodi literae Homeri temporibus non adeo firmae erant, ut correptiones vocalium brevium impedirent. Hinc fit ut rara sit in thesi haec productio, cf. §. 81. Ea enim videntur esse Homeri tempora, quibus antiquior linguae Graecae natura paene ad finem pervenerit; est quasi transitus et commissura. Restabat fortasse quibusdam in vocibus prioris consonae quaedam quasi umbra (quae quam fuerit incerta, perspici potest in vocibus *νέφος*, *δνοφερός*, *κνέφας*), quae sufficeret ad producendas in arsibus infirmissimis vocales breves, ad producendas in thesi non item. Aliis in vocibus, veluti in *λίσσομαι*, firmior fuit haec consona.

Postremo illud addo, me unum in locum congerere omnes voces, quae eodem modo se habere mihi videantur, licet aliis etiam versus sedibus productiones efficiant. Scio me falli posse in nonnullis. Attamen id agitur, ut excusentur quam plurimi loci excusari poterunt; ut his remotis deprehendamus eas productiones, quae omnium sunt durissimae.

§. 84. — Primum agimus de iis vocibus, quae incipiunt a litera *ρ*. Hanc duplicari saepissime post vocales breves et in compositis et post augmentum satis constat. Sed nec semper factum est (cf. *τ*, 150.: *ἄρεκτος* — *α*, 361. et all.: *ἔρεξε*) et hanc causam ad producendas in arsibus infirmissimis quasvis vocales breves suffecisse tantum abest ut putem, ut duplicationem literae *ρ* plerumque ex amissa antiqua consona initiali ortam esse mihi quidem persuasum sit. Irrepsit facile eadem postea in alias voces, quae antiquitus ab uno *ῥ* incipiebant. Namque quodvis *ῥ* initiale apud Graecos ita pronuntiabatur, ut ad palatum prima lingua admoveretur, uti hodie pronuntiant qui Italiam incolunt. Hic asperior est sonus (hr, *ῥ*), proxime accedens ad *βρ* seu *Fρ*.

Attamen hanc quidem explicandi rationem non sufficere ad intelligendas productiones Homericas, omnes

perspiciunt, si addo, vocem encliticam ῥα, quae sexcentis locis recurrit, semel ejusmodi productionem efficere, et plerisque in vocibus, ante quas apud Homerum vocales breves producantur, alteram consonam initialem praeberi a linguis cognatis. Praestat igitur mittere eam quaestionem, num e pronuntiandi tantum ratione orta sit consona initialis.

Producuntur autem vocales breves ante has voces: 1. ῥυστάζω, ῥύομαι, ῥυτήρ, ῥυσός. — 2. ῥινός, ῥῖνες. — 3. ῥήγνυμι, ῥηκτός, ῥήσσω, ῥηγμίν, ῥῆγός. Huc adde ex Odyssea ῥάκος, ῥώξ et simm., ῥωγαλέος, ῥοχθέω. — 4. ῥόπαλον, ῥάβδος, ῥιπή, ῥωπήϊον. — 5. ῥητός, ῥητήρ. — 6. ῥίζα, Ῥόδιος, ῥοδανός. — 7. ῥέα, Ῥέα. — 8. ῥέζω. — 9. Ex Odyss. adde ῥυπόω. — 10. ῥέω, fluo. — 11. ῥοῖζος. — 12. ῥίον. — *)

Ex his vocibus digamma utebantur eae, quae usque ad numerum 9 allatae sunt.

1. Haec litera quam firma fuerit in ῥυστάζω, intelligitur ex productione, quae est in thesi ω, 755. — Ῥύομαι producit in semiternaria, quae est ante semiquinariam ω, 430., cf. Odyss. ξ, 107. — Pertinet ad eandem radicem ῥυσός, rugosus, producens in arsi secunda ι, 503. Adde ῥυτήρ, quod producit in quarta π, 475.

Digamma demonstrant formae Aeolicae βρύτηρ, βρύτίς (ῥυτήρ, ῥυτίς. Aeolicus est enim accentus). Cf. Ahrens. de dialect. Graec. I. pag. 34. Nec dubito quin ῥύομαι per syncopen ortum sit ex Ϝερύω, cf. §. 152. — Consentit Benfejus, II. pag. 296.

2. Ῥινός, cutis, producit in semiternaria ante semiquinariam ε, 308. η, 474. Addo ex arsi secunda μ, 263. ν, 406. π, 636.; ex arsi tertia κ, 155.

Nares cum sola cute efficiantur, patet vocem ῥῖνες pertinere ad eandem radicem. Locos supra demonstravi, §. 82. — Patet Benfejum de deductione hujus vocis

---

*) De aliis vocibus, quae antiquitus eodem pertinebant, cf. §. 91. Mitto enim composita.

II. 142. non recte statuisse et servari apud Homerum digammi vestigia.

Demonstratur autem digamma et Hesychii glossa: γρῖνος (legitur γρίνος. Scribendum est γρῖνος. De accentu Aeolico cf. Ahrens. d. d. Gr. I. p. 10. sqq.), δέρμα, et Homerica voce ταλαύρινος, quae soluto digamma orta est ex ταλ-ά-Fρινος: qui clypeum sustinet. — Radicem Sanscrit. vlî addit Benfejus, II. 302.

3. Radicem vocum ῥήγνυμι, ῥάκος, ceterarum, consentaneum est fuisse Fρxγ. Ex his literis γ mutari potuit in κ seu χ. Patet initio brevem vocalem fuisse inter Fρ et γ, cum longis vocalibus antiquiores sint breves. Collatis iis mutationibus, quae fieri solent in vocalibus radicum (*Laut — Ablaut*), efficiuntur formae Graecae Fρεγ — Fραγ — Fρογ; cf. τρεφ —, τραφ —, τροφ —. Digamma ut demonstremus, advocamus Latinorum frango (frag —), nostrum *brechen*, *Wrack* (ῥάκος). In radice inest notio horrendi (*starren*, cf. adjectivum horridus, cujus paene eadem notio est, quae est adjectivi hirsutus).

Quae cum ita sint, huc refero duas voces, quae brevibus vocalibus utentes producunt apud Homerum: ῥάκος, Odyss. ξ, 512. et all. — ῥοχ-θέω, cf. Odyss. μ, 60. Ut notionem hujus vocis oriri ex notione frangendi lectoribus probemus, confugimus ad Latinorum fragor, coll. frango.

Ex hac radice deducitur producendis antiquis vocalibus brevibus altera forma, et ipsa multarum vocum radix. Respondere enim videntur brevibus vocalibus, quae sunt in Fρεγ — Fραγ — Fρογ —, hae longae vocales Fρῖγ —, Fρηγ —, Fρωγ —. Huc refero ῥῖγος (frigus, Germ. vriosan, *frieren*), cf. Odyss. ξ, 226. — Vocali η utuntur permultae voces, veluti ῥήγνυμι, ῥήσσω, ῥηγμίν, ῥῆγος (pannus). Etenim vocem ῥῆγος Benfejus male deduxit e ῥέζω, I. pag. 105. Dicunt quidem grammatici vocem ῥέζω apud Lacedaemonios significavisse inficere, *färben*. Sed notio tantum vocis ῥέζω (facio) mutata

est apud Lacedaemonios eodem modo, quo apud nostrates *wirken* proprie est efficere, tum texere. Contrahitur enim quodammodo amplior notio saepissime, si cui rei prae ceteris aliqua gens studet. — Vocali ω utuntur ῥώξ, ῥωγαλέος, all. Cf. ἔῤῥωγα.

Producunt autem (praeter locos §. 82. allatos) ῥήγνυμι, ῥηξήνωρ, all. in arsi tertia: η, 228. ν, 324. ο, 617. π, 146. 575. ψ, 673.; in quarta: μ, 308. ρ, 751. υ, 55. — ῥήσσω in quarta: σ, 571.; ῥηγμίν in quarta: α, 437. β, 773. π, 67.; in secunda: υ, 229.; ῥῆγος in secunda: ι, 657. — Ex Odyssea supra demonstravi ῥωγαλέος, quod, cum in thesi producat vocalem brevem, probat digammi firmitatem. Ante ῥῶγας productio est Odyss. χ, 143.

Restat ut addam formas Aeolicas. Ita apud Alcaeum legebatur Ϝρῆξις. Promontorium Lesbiacum erat Βρῆσσα. Apud Sapphonem constat inventum fuisse βράκος. Cf. Eustath. ad Iliad. p. 747. 59. — Ahrens. l. l.

4. Prorsus eodem modo statuo de ῥόπαλον, ῥάβδος, ῥιπή, ῥωπήϊον.

Antiqua radix continebat literas Ϝρχπ. Conferatur vox Goth. vairpan; nostra *werfen*. Inest notio stridendi.

Breves vocales antiquae sunt in ῥέπω, vergo — ῥάβ-δος — ῥόπαλον. Digammi Graeci testimonium dat vox καλαῦροψ. Haec postea scribebatur καλάβροψ et orta est, soluto digamma, uti ταλαύρινος. Ex radice ῥεπ- eam deducunt ad unum omnes, sed primam syllabam male intellexerunt. Nam quod dicunt scholiastae ad ψ, 845.: ῥάβδος καλὴν ῥοπὴν ἔχουσα, haud dubie falsissimum est, cum καλός, pulcher, apud Homerum α utatur longo. Addunt tamen iidem: ἔχει δὲ ἐν τῷ κάτω μέρει δεσμόν, εἰς ὃν εἴρουσι τὴν χεῖρα. Quam ob rem ab Antimacho dictae sunt καλαύροπες οὐατόεσσαι. Deducenda est igitur haec vox e κάλος (◡ ◡), funis; est fustis laqueo instructus. Nec inauditum est illud α (καλ-ά-Ϝροψ) in compositis. Cf. βιβλιαγράφος, διδυματόκος, ut mittam ταλάϜρινος.

Productionem, quae est ante ῥάβδος, supra demonstravi, ω, 343. Legitur eadem Odyss. ε, 47. — ῥόπαλον producit in arsi quarta λ, 559. cf. Odyss. ι, 319.

Respondent vocalibus brevibus, quae sunt in *Ϝρεπ-*, (*Ϝραπ-*,) *Ϝροπ-*, longae vocales, quas vides in ῥίπτω (male enim Benfejus, II. 311.), ῥιπή; ῥώψ, ῥωπήϊον. Adde ῥῖψ, ῥιπός. Constat enim vimina esse ῥοδανά, ut Homerica voce utar. Inest igitur vel in his vocibus quaedam stridendi notio. Certe minus recte ad radicem Sansc. rôp (crescere) retulit Benfejus II. 11. ῥωπήϊον.

Atque vocis ῥιπή productiones supra demonstravi, §. 82. Vox ῥωπήϊα productiones efficit in quarta arsi: ν, 199. ρ, 122. 559.

5. ῥητός, ῥητήρ. Patet has voces deducendas esse e verbo *ϜΡΕΩ* (*Ϝερέω*, cf. §. 151. 1.), cujus perfectum εἴρηκα ortum est ex *ϜέϜρηκα*. Aeolum erat βρήτωρ, *Ϝράτρα* (Homer. ῥήτρη), cf. Ahrens. l. l. Productiones supra §. 82. demonstravimus. Cf. Benfej. II. 7.

6. ῥίζα, Aeolice fuit βρίζα sive βρίσδα (*Ϝρίδια*), cf. Ahrens. pag. 34. Convenit Germanorum *wurza*, quod nunc est *wurz-el*. Vides igitur consonas wrz, wrt; Latinorum est rad-ix. Producit haec vox in arsi quarta λ, 846.

Non dubito ad eandem radicem referre vocem ῥόδος, quam constat apud Aeoles fuisse βρόδος. Cf. Ahrens. pag. 34. Nec putaverim hunc florem antiquitus Graecis ignotum fuisse, quae Pottii est sententia, cf. Benfej. II. 359. — In Iliade producit nomen proprium Ῥόδιος in arsi quinta μ, 20. Hoc enim loco haud dubie valet digamma, cum in libro μ duae tantum insint productiones caesura effectae semiquinaria, quas supra demonstravi.

Eodem refero ῥοδανός, quod producit in arsi quarta σ, 576.

Harum vocum omnium radicem esse servatam in Sanscrit. vřidh (crescere) recte censuisse videtur Benfejus, cf. I. 78. II. 338. Affert idem voces similis notionis: ῥαδινός, ὀρόδαμνος (I. 72.) i. e. *Ϝρόδαμνος*. —

dere, addo et Iliadis illum locum et Odyss. libr. *o*. initium haud dubie recentioris esse aetatis. Hujus rei argumenta non desunt; de quibus agemus ubi absolverimus eam quaestionem, quam habebimus de digamma.

§. 80. — His exceptis locis, maximus est productarum ante singulas literas consonas initiales brevium vocalium finalium apud Homerum numerus. Atqui hoc movet dubitationem, quod haec productio vel infirmissimis in arsibus invenitur. Huc accedit, quod firmiores utique videntur esse eae syllabae, quae cadunt in literas consonas, quam quae desinunt in vocales. Putares igitur illas ante vocales initiales multo facilius posse produci, quam has ante consonas initiales. Et est ita, modo recte intelligatur productarum vocalium finalium ratio.

Patet autem hujus productionis duas esse posse causas. Altera causa potest inesse in consonae literae initialis natura, altera potest esse in natura vocalis finalis *). Itaque duplex erit disputatio. — Odysseam adhibebimus, ubi opus erit. Sufficiunt plerumque exempla, quae petita sunt ex Iliade.

1. De productionibus, quae efficiuntur natura consonae initialis.

a. De productione, quae fit in thesi.

§. 81. — Rarissima haec est productio, quae duabus in dictionibus invenitur in Iliade, semel in Odyssea. Est his locis omnibus thesis prima, quam omnium esse firmissimam saepe docuimus.

1. Tribus in Iliade locis legitur ita *πολλά* ante *λίσσομαι: ε*, 358. *φ*, 368. *χ*, 91.

2. Semel legitur *πολλὰ ῥυστάζεσκε: ω*, 755.

3. In Odyssea ter legitur *πυκνὰ ῥωγαλέην: ν*, 438. *ρ*, 198. *σ*, 109.

---

*) Hoc modo se habet lectio *βοῶπι*, Iliad. *σ*, 375. de qua diximus §. 71. 3.

Hujus quidem productionis causam inesse in vocibus πολλά et πυκνά quis putaverit? Possunt quidem ex antiquiore poesi receptae esse eae productiones, quas sub numeris 1 et 3 demonstravimus; sed de ω, 755. vix ita statuerim et χ, 240. remotum est πολλά a voce λίσσομαι. Patet igitur literas consonas productiones effecisse. — Confer de his §. 85 sqq.

b. De productione, quae fit in arsi.

§. 82. — Incipit haec disputatio, mutato eo ordine, quem supra (§§. 73—75.) servavimus, ab iis versus regionibus, in quibus raram esse brevium syllabarum productionem demonstravimus §. 75. Duae sunt: altera est caesura semiternaria, ubi est ante semiquinariam (quo versus loco quater in Iliade productas invenimus syllabas breves); altera est seminovenaria, ubi est post semiseptenariam (in hac duas tantum invenimus productiones). Tertiam mitto, arsin primam, in qua productionis ejus, de qua nunc agimus, nullum inveni exemplum.

1. In caesura seminovenaria, ubi est post semiseptenariam, quae versus regio productioni non favet, has productiones invenimus:

ante λιτανεύω — ψ, 196. λίθος — μ, 459.
„ ῥῖνες — ξ, 467. ψ, 395. 777.
„ δεινός — γ, 172. λ, 10.
„ νιφόεις — ξ, 227.

Horum locorum quamvis paucis quidem (ψ, 196. ob §. 93. — γ, 172. ob §. 94. fin.) aliunde petere possimus excusationem, placet tamen hanc dimittere, cum sufficiat altera explicatio. Cf. §§. 83 sqq.

2. In semiternaria ante semiquinariam producuntur vocales breves in Iliade

a. ante ῥινός — ε, 308. η, 474.
„ ῥῖνες — τ, 39.
„ ῥήγνυμι — μ, 198.
„ ῥηκτός — ν, 323.
„ ῥιπή — μ, 462. ο, 171. τ, 358. φ, 12.

ante ῥύομαι — ω, 430.
„ ῥητός — φ, 445.
„ ῥητήρ — ι, 443.
„ ῥάβδος — ω, 343.
b. ante δειλός — ε, 574.
„ δέος — ο, 4. κ, 376.
c. ante λαπάρη — ξ, 447. 517. χ, 307.
„ λιγυρός — λ, 532. ξ, 290. ψ, 215.
„ λιγύς — ν, 334.
„ λιαρός — λ, 830. 846.
„ Λητώ — ξ, 327. ω, 607.
„ λίθεος — ψ, 202.
d. ante νιφάς — μ, 278.
„ νέφος ο, 625. π, 375. ψ, 874.
„ νύσσα — ψ, 758.
„ νευρή — δ, 118. θ, 324. λ, 476. 664.
e. ante μέγαρον — β, 137.
„ μέγας — κ, 172. ο, 695. π, 115. ρ, 723. 739. φ, 243.
„ μελίη — π, 143. τ, 390. φ, 162. χ, 225.
„ μέλεα — η, 131. π, 607.
„ μαλακός — ι, 618. κ, 75. χ, 504.
„ μιαρός — ω, 420.
„ μυρίκη — κ, 467.
„ μοῖρα — π, 367.

Ingens sane productionum numerus. Mittimus varias lectiones, quae nonnullis locis inveniuntur. His enim nihil juvamur, cum longe plures utique supersint loci. Cf. β, 137.: ἐν μεγάροις. Eodem modo spernimus formam ὑπαί, quae offertur ante δέος, λιγυρός, ῥιπή all. nonnullis locis, sed non omnibus. Haec enim forma si vera esset (videtur autem illata ut productio excusaretur. — Similiter Herodianus γ, 240. legere voluit δεύρω, quae pessima est lectio), cur nunquam legitur διαί? cf. §. 96.

Multo minus probamus eam sententiam, quam quis possit dicere, excusari multas productiones eo, quod sint in vocalibus finalibus praepositionum. Constat enim post

praepositiones paene nullam esse caesuram, §. 7.; et superereunt iterum satis multae productiones.

Nec ad poesin antehomericam volumus confugere. Hoc, nisi in certis quibusdam sive dictionibus sive versus sedibus, et ubi de alia explicandi ratione est desperandum, fieri non potest. Et oriretur vel hoc modo ea quaestio, quaenam ante Homerum fuisset ejus productionis causa; quae si valebat ante Homerum, cur non potest quidem valere apud Homerum?

Patet alio modo esse agendum.

§. 83. — Collatis autem omnibus, quos §. 82. demonstravimus, locis intelligitur, primum, ante paucas omnino voces reperiri hanc brevium vocalium productionem; deinde ante easdem voces plerumque non semel produci has vocales, sed saepius; tum, harum vocum permultas redire ad easdem radices. Nam quin cohaereant inter se *ῥινός*, *ῥῖνες*; *δέος*, *δειλός*, *δεινός*; *λιγύς*, *λιγυρός*; *λιτανεύω*, *λίσσομαι*; *ῥύομαι*, *ῥυστάζω*; *μέγαρον*, *μέγας*, quis dubitat?

Ergo productionis causa nisi in ipsis vocibus, quae excipiunt vocalem brevem, non potest inveniri. Est autem haec, quod antiquissimis temporibus a binis consonis hae voces incipiebant. Quominus ita statuamus nec impedit linguarum historia, quam qui noverunt bene sciunt permultas literas paulatim evanescere et contrahi quodammodo ampliores vocum formas; et comprobat sententiam cognatarum linguarum comparatio, qua demonstratur harum vocum plerasque apud alias gentes a binis ternisve consonis incepisse. Quod si in plerisque vocibus certis argumentis probari potest; verisimile est, vel in iis vocibus, in quibus binas consonas initiales fuisse comparandis reliquis linguis non potest demonstrari, antiquarum formarum vestigia nobis servata esse posse in carminibus Homericis, quae constat antiquissima esse linguae Graecae monumenta. Consentaneum est enim in ipsa lingua Graeca non minus bene servari potuisse ejusmodi vestigia,

ante ῥύομαι — ω, 430.
„ ῥητός — φ, 445.
„ ῥητήρ — ι, 443.
„ ῥάβδος — ω, 343.
b. ante δειλός — ε, 574.
„ δέος — ο, 4. κ, 376.
c. ante λαπάρη — ξ, 447. 517. χ, 307.
„ λιγυρός — λ, 532. ξ, 290. ψ, 215.
„ λιγύς — ν, 334.
„ λιαρός — λ, 830. 846.
„ Λητώ — ξ, 327. ω, 607.
„ λίθεος — ψ, 202.
d. ante νιφάς — μ, 278.
„ νέφος ο, 625. π, 375. ψ, 874.
„ νύσσα — ψ, 758.
„ νευρή — δ, 118. θ, 324. λ, 476. 664.
e. ante μέγαρον — β, 137.
„ μέγας — κ, 172. ο, 695. π, 115. ρ, 723. 739.
φ, 243.
„ μελίη — π, 143. τ, 390. φ, 162. χ, 225.
„ μέλεα — η, 131. π, 607.
„ μαλακός — ι, 618. κ, 75. χ, 504.
„ μιαρός — ω, 420.
„ μυρίκη — κ, 467.
„ μοῖρα — π, 367.

Ingens sane productionum numerus. Mittimus varias lectiones, quae nonnullis locis inveniuntur. His enim nihil juvamur, cum longe plures utique supersint loci. Cf. β, 137.: ἐν μεγάροις. Eodem modo spernimus formam ὑπαί, quae offertur ante δέος, λιγυρός, ῥιπή all. nonnullis locis, sed non omnibus. Haec enim forma si vera esset (videtur autem illata ut productio excusaretur. — Similiter Herodianus γ, 240. legere voluit δεύρω, quae pessima est lectio), cur nunquam legitur διαί? cf. §. 96.

Multo minus probamus eam sententiam, quam quis possit dicere, excusari multas productiones eo, quod sint in vocalibus finalibus praepositionum. Constat enim post

praepositiones paene nullam esse caesuram, §. 7.; et supererunt iterum satis multae productiones.

Nec ad poesin antehomericam volumus confugere. Hoc, nisi in certis quibusdam sive dictionibus sive versus sedibus, et ubi de alia explicandi ratione est desperandam, fieri non potest. Et oriretur vel hoc modo ea quaestio, quaenam ante Homerum fuisset ejus productionis causa; quae si valebat ante Homerum, cur non potest quidem valere apud Homerum?

Patet alio modo esse agendum.

§. 83. — Collatis autem omnibus, quos §. 82. demonstravimus, locis intelligitur, primum, ante paucas omnino voces reperiri hanc brevium vocalium productionem; deinde ante easdem voces plerumque non semel produci has vocales, sed saepius; tum, harum vocum permultas redire ad easdem radices. Nam quin cohaereant inter se ῥινός, ῥῖνες; δέος, δειλός, δεινός; λιγύς, λιγυρός; λιτανεύω, λίσσομαι; ῥύομαι, ῥυστάζω; μέγαρον, μέγας, quis dubitat?

Ergo productionis causa nisi in ipsis vocibus, quae excipiunt vocalem brevem, non potest inveniri. Est autem haec, quod antiquissimis temporibus a binis consonis hae voces incipiebant. Quominus ita statuamus nec impedit linguarum historia, quam qui noverunt bene sciunt permultas literas paulatim evanescere et contrahi quodammodo ampliores vocum formas; et comprobat sententiam cognatarum linguarum comparatio, qua demonstratur harum vocum plerasque apud alias gentes a binis ternisve consonis incepisse. Quod si in plerisque vocibus certis argumentis probari potest; verisimile est, vel in iis vocibus, in quibus binas consonas initiales fuisse comparandis reliquis linguis non potest demonstrari, antiquarum formarum vestigia nobis servata esse posse in carminibus Homericis, quae constat antiquissima esse linguae Graecae monumenta. Consentaneum est enim in ipsa lingua Graeca non minus bene servari potuisse ejusmodi vestigia,

quam in reliquis linguis, quae Graeca vetustiores omnino non sunt.

At in contemtum venit haec sententia post Heynii (Diar. literar. Jen. 1803. p. 283 sqq.) et Payne-Knightii temeritatem! Scio. Nec tamen usum tollit abusus, et mutantur sane tempora. Primum enim in eo hi homines fallebantur, quod ubique agnoscebant digamma, non pervestigata antea versus natura et ratione, miscentes vera et falsa. Tum nec Jacobus Grimm illo tempore libros conscripserat, nec Franciscus Bopp et qui utrumque secuti sunt. Ita factum est ut quae recte disputavissent Heynius et Payne-Knightius eodem modo exploderentur atque quae falso dixerant.

Hanc igitur sententiam, sed multis tamen modis mutatam, nunc repetens, non possum quin in principio disputationis fatear, quod vellem mihi fatendum non esset, me linguae Sanscritae esse imperitum. Possum quidem hoc ipso tempore multas formas ex hac lingua petitas afferre ex Benfeji lexico radd. Graec. *); sed praestat iis abstinere, ne idem mihi accidat, quod in Heynio modo vituperavi. Liceat igitur ex illo libro Benfejano tum potissimum afferre radices, si desunt in linguis Graeca, Latina, Germanica sententiae meae argumenta.

Jam ut compendium hujus sententiae conficiam, haec addo. Primum, digamma dico literam spirantem labialem (W), non alias literas. Deinde, in scriptis carminum Homericorum exemplis non solum digamma est ob-

*) Haec dum scribo septem hujus opusculi plagulae typis sunt impressae. Quod disputationis reliquum erat Gottinga arcessivi, ut meum in usum converterem Benfeji librum, quem in hoc oppido nondum videram. Eo majorem gratiam habeo homini eruditissimo, Alberto Lion, ph. Dri, qui de libro Benfejano primus me humaniter certiorem fecit. Nunc libro cognito video multa inesse, quae ante nonnullos annos de versu Homerico quaerens ipse inveneram. Multis tamen in rebus mihi discedendum fuisse a Benfejo sponte lectores intelligent. Aliter fortasse res cecidisset, si de dialecto Homerica Benfejus quaesivisset.

literatum, sed evanuerunt etiam plures literae consonae initiales. Tum, pleraeque ejusmodi literae Homeri temporibus non adeo firmae erant, ut correptiones vocalium brevium impedirent. Hinc fit ut rara sit in thesi haec productio, cf. §. 81. Ea enim videntur esse Homeri tempora, quibus antiquior linguae Graecae natura paene ad finem pervenerit; est quasi transitus et commissura. Restabat fortasse q u i b u s d a m in vocibus prioris consonae quaedam quasi umbra (quae quam fuerit incerta, perspici potest in vocibus *νέφος*, *δνοφερός*, *κνέφας*), quae sufficeret ad producendas in arsibus infirmissimis vocales breves, ad producendas in thesi non item. Aliis in vocibus, veluti in *λίσσομαι*, firmior fuit haec consona.

Postremo illud addo, me unum in locum congerere omnes voces, quae eodem modo se habere mihi videantur, licet aliis etiam versus sedibus productiones efficiant. Scio me falli posse in nonnullis. Attamen id agitur, ut excusentur quam plurimi loci excusari poterunt; ut his remotis deprehendamus eas productiones, quae omnium sunt durissimae.

§. 84. — Primum agimus de iis vocibus, quae incipiunt a litera *ρ*. Hanc duplicari saepissime post vocales breves et in compositis et post augmentum satis constat. Sed nec semper factum est (cf. *τ*, 150.: *ἄρεκτος* — *α*, 361. et all.: *ἔρεξε*) et hanc causam ad producendas in arsibus infirmissimis quasvis vocales breves suffecisse tantum abest ut putem, ut duplicationem literae *ρ* plerumque ex amissa antiqua consona initiali ortam esse mihi quidem persuasum sit. Irrepsit facile eadem postea in alias voces, quae antiquitus ab uno *ῥ* incipiebant. Namque quodvis *ῥ* initiale apud Graecos ita pronuntiabatur, ut ad palatum prima lingua admoveretur, uti hodie pronuntiant qui Italiam incolunt. Hic asperior est sonus (hr, *ῥ*), proxime accedens ad *βρ* seu *Fρ*.

Attamen hanc quidem explicandi rationem non sufficere ad intelligendas productiones Homericas, omnes

perspiciunt, si addo, vocem encliticam ῥα, quae sexcentis locis recurrit, semel ejusmodi productionem efficere, et plerisque in vocibus, ante quas apud Homerum vocales breves producantur, alteram consonam initialem praeberi a linguis cognatis. Praestat igitur mittere eam quaestionem, num e pronuntiandi tantum ratione orta sit consona initialis.

Producuntur autem vocales breves ante has voces: 1. ῥυστάζω, ῥύομαι, ῥυτήρ, ῥυσός. — 2. ῥινός, ῥῖνες. — 3. ῥήγνυμι, ῥηκτός, ῥήσσω, ῥηγμίν, ῥῆγός. Huc adde ex Odyssea ῥάκος, ῥώξ et simm., ῥωγαλέος, ῥοχθέω. — 4. ῥόπαλον, ῥάβδος, ῥιπή, ῥωπήϊον. — 5. ῥητός, ῥητήρ. — 6. ῥίζα, Ῥόδιος, ῥοδανός. — 7. ῥέα, Ῥέα. — 8. ῥέζω. — 9. Ex Odyss. adde ῥυπόω. — 10. ῥέω, fluo. — 11. ῥοῖζος. — 12. ῥίον. — *)

Ex his vocibus digamma utebantur eae, quae usque ad numerum 9 allatae sunt.

1. Haec litera quam firma fuerit in ῥυστάζω, intelligitur ex productione, quae est in thesi ω, 755. — Ῥύομαι producit in semiternaria, quae est ante semiquinariam ω, 430., cf. Odyss. ξ, 107. — Pertinet ad eandem radicem ῥυσός, rugosus, producens in arsi secunda ι, 503. Adde ῥυτήρ, quod producit in quarta π, 475.

Digamma demonstrant formae Aeolicae βρύτηρ, βρύτίς (ῥυτήρ, ῥυτίς. Aeolicus est enim accentus). Cf. Ahrens. de dialect. Graec. I. pag. 34. Nec dubito quin ῥύομαι per syncopen ortum sit ex Fερύω, cf. §. 152. — Consentit Benfejus, II. pag. 296.

2. Ῥινός, cutis, producit in semiternaria ante semiquinariam ε, 308. η, 474. Addo ex arsi secunda μ, 263. ν, 406. π, 636.; ex arsi tertia κ, 155.

Nares cum sola cute efficiantur, patet vocem ῥῖνες pertinere ad eandem radicem. Locos supra demonstravi, §. 82. — Patet Benfejum de deductione hujus vocis

*) De aliis vocibus, quae antiquitus eodem pertinebant, cf. §. 91. Mitto enim composita.

II. 142. non recte statuisse et servari apud Homerum digammi vestigia.

Demonstratur autem digamma et Hesychii glossa: γρῖνος (legitur γρίνος. Scribendum est γρῖνος. De accentu Aeolico cf. Ahrens. d. d. Gr. I. p. 10. sqq.), δέρμα, et Homerica voce ταλαύρινος, quae soluto digamma orta est ex ταλ-ά-Fρινος: qui clypeum sustinet. — Radicem Sanscrit. vlî addit Benfejus, II. 302.

3. Radicem vocum ῥήγνυμι, ῥάκος, ceterarum, consentaneum est fuisse *F*ρxγ. Ex his literis γ mutari potuit in κ seu χ. Patet initio brevem vocalem fuisse inter *F*ρ et γ, cum longis vocalibus antiquiores sint breves. Collatis iis mutationibus, quae fieri solent in vocalibus radicum (*Laut — Ablaut*), efficiuntur formae Graecae *F*ρεγ — *F*ραγ — *F*ρογ; cf. τρεφ —, τραφ —, τροφ —. Digamma ut demonstremus, advocamus Latinorum frango (frag —), nostrum *brechen*, *Wrack* (ῥάκος). In radice inest notio horrendi (*starren*, cf. adjectivum horridus, cujus paene eadem notio est, quae est adjectivi hirsutus).

Quae cum ita sint, huc refero duas voces, quae brevibus vocalibus utentes producunt apud Homerum: ῥάκος, Odyss. ξ, 512. et all. — ῥοχ-θέω, cf. Odyss. μ, 60. Ut notionem hujus vocis oriri ex notione frangendi lectoribus probemus, confugimus ad Latinorum fragor, coll. frango.

Ex hac radice deducitur producendis antiquis vocalibus brevibus altera forma, et ipsa multarum vocum radix. Respondere enim videntur brevibus vocalibus, quae sunt in *F*ρεγ — *F*ραγ — *F*ρογ —, hae longae vocales *F*ριγ —, *F*ρηγ —, *F*ρωγ —. Huc refero ῥῖγος (frigus, Germ. vriosan, *frieren*), cf. Odyss. ξ, 226. — Vocali η utuntur permultae voces, veluti ῥήγνυμι, ῥήσσω, ῥηγμίν, ῥῆγος (pannus). Etenim vocem ῥῆγος Benfejus male deduxit e ῥέζω, I. pag. 105. Dicunt quidem grammatici vocem ῥέζω apud Lacedaemonios significavisse inficere, *färben*. Sed notio tantum vocis ῥέζω (facio) mutata

est apud Lacedaemonios eodem modo, quo apud nostrates *wirken* proprie est efficere, tum texere. Contrahitur enim quodammodo amplior notio saepissime, si cui rei prae ceteris aliqua gens studet. — Vocali ω utuntur ῥώξ, ῥωγαλέος, all. Cf. ἔῤῥωγα.

Producunt autem (praeter locos §. 82. allatos) ῥήγνυμι, ῥηξήνωρ, all. in arsi tertia: η, 228. ν, 324. ο, 617. π, 146. 575. ψ, 673.; in quarta: μ, 308. ρ, 751. υ, 55. — ῥήσσω in quarta: σ, 571.; ῥηγμίν in quarta: α, 437. β, 773. π, 67.; in secunda: υ, 229.; ῥῆγος in secunda: ι, 657. — Ex Odyssea supra demonstravi ῥωγαλέος, quod, cum in thesi producat vocalem brevem, probat digammi firmitatem. Ante ῥῶγας productio est Odyss. χ, 143.

Restat ut addam formas Aeolicas. Ita apud Alcaeum legebatur Ϝρῆξις. Promontorium Lesbiacum erat Βρῆσσα. Apud Sapphonem constat inventum fuisse βράκος. Cf. Eustath. ad Iliad. p. 747. 59. — Ahrens. l. l.

4. Prorsus eodem modo statuo de ῥόπαλον, ῥάβδος, ῥιπή, ῥωπήϊον.

Antiqua radix continebat literas Ϝρκπ. Conferatur vox Goth. vairpan; nostra *werfen*. Inest notio stridendi.

Breves vocales antiquae sunt in ῥέπω, vergo — ῥάβ-δος — ῥόπαλον. Digammi Graeci testimonium dat vox καλαῦροψ. Haec postea scribebatur καλάβροψ et orta est, soluto digamma, uti ταλαύρινος. Ex radice ῥεπ- eam deducunt ad unum omnes, sed primam syllabam male intellexerunt. Nam quod dicunt scholiastae ad ψ, 845.: ῥάβδος καλὴν ῥοπὴν ἔχουσα, haud dubie falsissimum est, cum καλός, pulcher, apud Homerum α utatur longo. Addunt tamen iidem: ἔχει δὲ ἐν τῷ κάτω μέρει δεσμόν, εἰς ὃν εἴρουσι τὴν χεῖρα. Quam ob rem ab Antimacho dictae sunt καλαύροπες οὐατόεσσαι. Deducenda est igitur haec vox e κάλος (◡ ◡), funis; est fustis laqueo instructus. Nec inauditum est illud α (καλ-ά-Ϝροψ) in compositis. Cf. βιβλιαγράφος, διδυματόκος, ut mittam ταλάϜρινος.

Productionem, quae est ante ῥάβδος, supra demonstravi, ω, 343. Legitur eadem Odyss. ε, 47. — ῥόπαλον producit in arsi quarta λ, 559. cf. Odyss. ι, 319.

Respondent vocalibus brevibus, quae sunt in Fρἐπ-, (Fρἀπ-,) Fροπ-, longae vocales, quas vides in ῥῑπτω (male enim Benfejus, II. 311.), ῥιπή; ῥῶψ, ῥωπήϊον. Adde ῥῖψ, ῥιπός. Constat enim vimina esse ῥοδανά, ut Homerica voce utar. Inest igitur vel in his vocibus quaedam stridendi notio. Certe minus recte ad radicem Sansc. rôp (crescere) retulit Benfejus II. 11. ῥωπήϊον.

Atque vocis ῥιπή productiones supra demonstravi, §. 82. Vox ῥωπήϊα productiones efficit in quarta arsi: ν, 199. ρ, 122. 559.

5. ῥητός, ῥητήρ. Patet has voces deducendas esse e verbo FPEΩ (Fερέω, cf. §. 151. 1.), cujus perfectum εἴρηκα ortum est ex FέFρηκα. Aeolum erat βρήτωρ, Fράτρα (Homer. ῥήτρη), cf. Ahrens. l. l. Productiones supra §. 82. demonstravimus. Cf. Benfej. II. 7.

6. ῥίζα, Aeolice fuit βρίζα sive βρίσδα (Fρίδια), cf. Ahrens. pag. 34. Convenit Germanorum *wurza*, quod nunc est *wurz-el*. Vides igitur consonas wrz, wrt; Latinorum est rad-ix. Producit haec vox in arsi quarta λ, 846.

Non dubito ad eandem radicem referre vocem ῥόδος, quam constat apud Aeoles fuisse βρόδος. Cf. Ahrens. pag. 34. Nec putaverim hunc florem antiquitus Graecis ignotum fuisse, quae Pottii est sententia, cf. Benfej. II. 359. — In Iliade producit nomen proprium Ῥόδιος in arsi quinta μ, 20. Hoc enim loco haud dubie valet digamma, cum in libro μ duae tantum insint productiones caesura effectae semiquinaria, quas supra demonstravi.

Eodem refero ῥοδανός, quod producit in arsi quarta σ, 576.

Harum vocum omnium radicem esse servatam in Sanscrit. vřidh (crescere) recte censuisse videtur Benfejus, cf. I. 78. II. 338. Affert idem voces similis notionis: ῥαδινός, ὀρόδαμνος (I. 72.) i. e. Fρόδαμνος. —

Licet igitur concludere de hac mutatione vocalium: *Fριδ*, *Fραδ*, *Fροδ*. Nam vel *ῥαδινός* apud Aeoles erat *βραδινός*.

Nolo tamen eodem referre

7. *ῥέα*, facile, adverbium, quod apud Aeoles erat *βρᾶ*; de synizesi Homerica cf. §. 65. extrem. Producit in arsi secunda *θ*, 179. — Consonam initialem in lingua Sanscrita fuisse Benfejus I. 54. non dixit. Potest igitur servata esse in lingua Graeca.

Temerarium fortasse est, cum adverbio *ῥέα* conjungere deam, cui nomen est *Ῥέα*. De hujus vocis origine quae dixit Benfejus I. 80., admodum incerta sunt. Utitur tamen iisdem literis haec vox, quibus utitur adverbium; patitur eandem synizesin *ο*, 187.; producit eodem modo syllabam priorem, *ῥεῖα*; *Ῥείη*, *ξ*, 203. — Producit in sexta arsi *ο*, 187.

8. *ῥέζω* per metathesin ortum esse ex *Fεργ-* (*ἔργω*), verissime docuit Benfejus I. 84.; cf. *κράτος*, *κάρτος*; et simill. Producit autem *Fρέζω* in Iliade septem locis: in tertia arsi *ι*, 357. *ω*, 370.; in secunda *δ*, 32. *λ*, 727. *σ*, 455.; in quarta *θ*, 250. *ψ*, 206. Firmius etiam digammi argumentum est, quod duobus in Odyssea locis productio est in semiternaria ante semiquinariam: *δ*, 690. *ξ*, 251. Neque id silentio possum praeterire, quod in Iliadis libro *ι*, 90. Aristarchus scripserat *κε ῥέξαιμι*, non *κεν ῥέξαιμι* (Schol.: *ἔξω τοῦ ν αἱ Ἀριστάρχου*). Solebat enim literam paragogicam Aristarchus omittere ante binas consonas. Hoc igitur loco si omisit ante unam, codicum fortasse auctoritate motus fecit. — — —

Quae sequuntur voces, digamma vix utebantur antiquitus, sed aliae obliteratae sunt consonae initiales. Etenim

9. *ῥυπόω*, quod Odyss. *ψ*, 115. producit in semiternaria ante semiquinariam, non sine quadam veritatis specie Benfejus II. 124. contulit cum antiqua voce Germanica griupo (lardum assatum), quae hodie est grève. Ergo, si recte ita statuit, obliterata est gutturalis consona initialis. Id quidem intelligitur, perfectum

ῥερύπωμαι ortum esse ex antiquiore consona initiali, quae effecit reduplicationem insolitam.

10. *ῥέω*, fluo. Priusquam cognoveram Benfeji librum, antiquae consonae initialis unum inveneram satis certum argumentum. Dissolvitur enim apud Homerum in compositis particula *εὖ*, quae nisi ante binas consonas dissolvi non solet; cf. *ἐϋῤῥείτης*, *ἐΰῤῥοος*, *ἐϋῤῥεῖος*. Producit verbum *ῥέω* in quarta arsi *μ*, 159. (cf. quae de hoc libro supra demonstravi sub numero 6.); item in quarta *ῥόος*: *π*, 151. *ρ*, 264. *σ*, 402. *φ*, 147. 258., quo loco magis poeticum est *ὕδατι*, quam *ὕδατος*. Affert Benfejus radicem Sanscrit. sru, fluo, cf. II. 8., nostrum *strom* et quae sunt similia. Patet igitur evanuisse literam *σ*: *σρέω*. — Olim mihi in mentem venerat *φρέαρ*, quod mitto, quamvis cum *Fρῖγος* conveniat *φρίσσω*.

11. Item *ῥοῖζος* in Odyssea, libr. *ι*, 315., producit in semiternaria ante semiquinariam, quod satis certum est antiquae consonae initialis vestigium. Addo productionem quae est in arsi tertia Iliad. *π*, 361. — Ex diphthongo *οι* (*πείθω*, *ἔπιθον*, *πέποιθα*; cf. *λείπω*, *λέλοιπα*) concludendum est de radicis vocali *ι*. Confer Latinorum strideo, Graecorum *τρίζω* (*στρίζω*?), Benfej. I. 676. 460.

12. Vocem *ῥίον* ultimo loco nomino. Nescio unde deducenda sit. Consonam alteram initialem demonstrant eae productiones, quas attuli §. 82. Addo alias, quae sunt in quarta arsi: *θ*, 25. *ξ*, 154. Odyss. *θ*, 191. Egit de hac voce Benfejus II. 1. 290., quam retulit ad radicem Sanscrit. vřih (crescere).

In extrema hac disputatione addo me argumenta petere noluisse ex duplicatione literae *ρ*, quae post vocales breves esse solet in compositis. Possunt quidem peti; sed abstinui tamen, cum plerique nunc putent hujus rei causam inesse in asperiore pronuntiandi ratione, quam supra (§. 84.) demonstravi. Hanc ob rem sub numero 10 de soluta tantum particula *εὖ* disputavi, mittens duplicationem, quae tamen eodem modo orta est, quo ex *γούνατσι* oritur *γούνασσι*.

§. 85. — Alterum locum tribuimus nonnullis vocibus, quae incipiunt a litera δ. Sunt 1. δέος, δειλός, δεινός, δεῖμος, Δεισήνωρ, δείδω. — 2. δήν, δηρόν.

1. Quae voces pertinent ad radicem verbi δείδω, productiones efficiunt saepissime. Cf. Spitzner. d. v. h. pag. 53. et all.

Ita δέος producit in caesura semiternaria, quae est ante semiquinariam, ο, 4. κ, 376. Mitto enim lectionem ὑπαί, de qua dixi §. 82. cf. 96. Addo arsin secundam: ε, 817. ν, 224.; quartam: α, 515. ξ, 387. Constat apud Homerum vocales breves ante hanc vocem nunquam corripi.

Ante δειλός productio est in semiternaria ante semiquinariam ε, 574.

Ante δεινός est in seminovenaria post semiseptenariam γ, 172. λ, 10.; in arsi quarta κ, 272. 254. φ, 25.

Verbum δείδω producit in arsi tertia ω, 116. — Δεῖμος producit in arsi quarta λ, 37. ο, 119. — Δεισήνωρ in tertia ρ, 217.

Successit deinde in locum consonae obliteratae alterum δ, quod legitur in ἔδδεισεν (in thesi est χ, 19. φ, 425. all.), ὑποδδείσας, περιδδείσας, ἀδδέες (φ, 481.), licet Aristarchus ubique scripserit singulas literas δ.

Recte igitur statuunt Buttmann. Gr. Gr. §. 7. annot. 21. Benfej. II. pag. 224. digamma in hac voce fuisse. Confert enim Benfejus vocem Sanscrit. dvish (odisse) et dividendi notionem, quae est in duo (δύο). Hinc concludit de antiqua forma δϜείδω. Attamen unum addendum est. Putaverim enim ego literas δϜ tam arcte conjunctas fuisse Homeri temporibus, ut mixtum quendam sonum efficerent. Quod si verum est, patet etiam metathesin fieri potuisse, ut esset Ϝδ. Ut mittam Latinorum odium, odi, quibus in vocibus vocalis o orta videtur esse e digamma (cf. ὀδύσσομαι — Benfej. II. 223.), non possum tamen silentio praeterire vocem Homericam θεουδής (cf. Buttm. Lexilog. I. pag. 170.). Hac enim in voce quin ου ortum sit ex οϜ (θεοϜδής) ego

non dubito, cf. ταλαύρινος. Ita factum est, quod negat Benfejus, ut, cum initio esset δέδFοικα, postea esset δέFδοικα, et debilitato digamma δείδοικα, quod scribendi tantum errore illatum esse in Homeri carmina eo minus putaverim, quod θεουδής haud dubie esset θεοδδής (coll. ἔδδεισεν), nisi ortum esset ex θεοFδής.

2. δήν si in sola arsi sexta (α, 416. ζ, 139. ϑ, 126. ν, 573. υ, 426. ψ, 690.) produceret, putaremus hanc productionem tanquam formulam metricam ad Homerum ex antiquiore poesi pervenisse. Item si esset constanter ἔτι δήν, aliam explicandi viam ingrederemur. Jam cum sit etiam μάλα δήν (α, 416.) et supersit productio in arsi quarta π, 736.; statuendum est digamma apud Homerum in hac voce valuisse. Accedit productio, quae est ante δηρόν in arsi quarta ι, 415. Nam de productionibus hujus libri saepe dixi.

Confert Benfejus II. 209. Latinorum jam (fortasse ortum ex diam), et formam Laconicam δοάν (δFάν), de qua cf. Buttmann. l. l.

§. 86. — Tertium locum eae voces sibi vindicant, quae incipiunt a litera λ. Harum complura sunt genera, nec a digamma omnes incipiebant.

1. Primum genus eae efficiunt voces, quae ante λ digamma initiale habuisse videntur (Fλ). Huc refero a. λωτός, λωτόεις. — b. λιγύς, λιγυρός, cett.

a. λωτός producit in arsi secunda φ, 351., item in arsi secunda λωτεῦντα: μ, 283. Atque de productionibus libri μ supra dixi. — Fallitur autem in deducenda hac voce Benfejus II. 137., qui si ejusdem productiones cognovisset, haud dubie aliunde vocem deduxisset. Ut explicaret plantam exoptatam (λιλαίομαι), videtur eum adduxisse narratiuncula notissima, quae legitur in Odysseae libro nono. — Constat lotum nisi in aqua, cujus in vicinia memoratur φ, 351., non bene provenire. Addito digamma exsistit Fλωτ-, quod nostrum est *flott*, i. e. natans, quae vox deducenda est e verbo vliozan,

fleotan (*fliessen*). Cf. Grimm. Gramm. Germ. II. p. 20. Addo Latinorum fluo.

b. λιγύς, λιγυρός. Productiones, quae sunt in arsibus infirmissimis (λ, 532. ξ, 290. ψ, 215. — ν, 334.), supra attulimus. Producit praeterea λιγύς in arsi tertia γ, 214., in quinta τ, 350. Addo ἐπιλλίγδην: ρ, 599., cujus vocis simplex λίγδην legitur in Odyssea.

Collatis omnibus locis apparet hujus radicis notionem fuisse sonum acutum. Cf. σ, 71. τ, 284. Inde stringendi notio inest in voce λίγδην. Digamma initiale fuisse ut demonstrem, advoco Germanorum *fliegen*, quocum cohaeret *fliehen* (de aspirata h cf. substantivum *flucht*). Hoc Gothice est thliuhan. Eodem modo e notione radicis efficitur notio lamentandi. Cf. Latinorum fleo. Ita oritur vox Germanica *flehen* (flêhôn, Goth. thlaihan).

Pervenimus igitur ad vocem λίσσομαι! Sed cave ortam esse putes ex radice, quae est in λιγύς. Id tantum demonstravi, apud Germanos et Latinos ex hac radice provenire voces notione lamentandi utentes. Huc vix pertinet λίσσομαι, quod refero ad aliam radicem *). Sed priusquam de hac voce agam, moneo lectores, ne fidem habeant Benfejo, qui II. 132. dicat λιγύς cohaerere cum κρίζω.

2. Pergimus ad alterum genus, quod efficitur nonnullis vocibus, quae ante λ habebant literas gutturales vel potius palatales (ut his vocibus utar) γ, κ, χ.

a. Huc primum refero voces λίσσομαι, λιτανεύω, Λί-

---

*) Radicem ubi ego dico, aliter intelligo atque Benfejus. Consisto enim in ea definitione, quam confecit Jacobus Grimm. Itaque vocum inter se cognatarum (λιγύς, λίσσομαι, λιπαρός) tres constitui radices: λιγ — λιτ — λιπ. Ea quasi terra, ex qua nascuntur hae radices, efficitur literis λι. Quam modo quasi terram nominavi, Benfejus dicit radicem. Patet tamen certius posse disputari, si abstinemus ejusmodi formis inconditis; quibus si utimur, fieri non potest quin multa afferamus fluxa et incerta, quamvis ingeniosa et fortasse vera.

ται, λίθος, similes alias, quarum radix desinit in literas τ et θ. Has enim confero omnes cum vocibus German. *glatt*, *gleiten*, *glitschen*. Meam sententiam ut probem lectoribus, addo primum, vocis λίσσομαι aoristum uti litera τ, ἐλιτόμην; deinde, vocem λισσός concinere cum λίς, et eodem spectare λιτί et λῖτα; tum, dubitari non posse, quin λίθος ad eandem radicem pertineat. Nam λισσός et λίς nisi de saxis apud Homerum non dicuntur et servata est haec notio in voce λισσάς. Est igitur λίθος proprie saxum laeve, politum (cf. ψηφίς, ψάω), licet haec notio Homeri temporibus jam evanuerit. Incepisse autem has voces a duabus consonis demonstratur multis productionibus. — Ergo minus recte de his vocibus statuit Benfejus (cf. II. 99. 122. 139. 181.), secernens quae conjugenda erant.

Atque in vocibus λίσσομαι, λιτανεύω, Λίτη, non lamentandi inest notio, sed quasi mulcendi. (Juvat conferre nostram dictionem: *glatte Worte*). Quam firma fuerit consona initialis concludi potest et ex productionibus, quae sunt in thesi ε, 358. φ, 368. χ, 91.; et ex iis, quas demonstravi §. 82. Porro productio est ante λίσσομαι in arsi secunda δ, 379. ι, 520.; in quarta α, 394. ι, 574. σ, 448. Adde Λίται, quod producit in arsi secunda ι, 502. — Constat deinde saepissime geminari literam λ in ἐλλίσσετο (in thesi est ζ, 45. ψ, 71. alibi), ἐλλιτάνευε: χ, 414. *); licet singulas literas ex sua con-

---

*) Addo μ, 49. ἐλλίσσεθ' (cf. ε, 491. κ, 118.; nec obstat μ, 467.), quam lectionem non bene removit Spitznerus. Versandi enim notio (hanc postulat quasi comparatio) quamvis non insit in hac voce, inest tamen in sententia. Contra εἰλίσσεθ' molestum est propter interpunctionem in pede quinto, cf. schol. A., §. 33. Hanc tamen non scripsit Spitznerus. Activam igitur voluit esse medii ἐλίσσομαι notionem. Fallitur autem. Afferunt quidem, ut hanc notionem demonstrent, ν, 204. Sed male est intellectus locus. Ajaces ita tulerunt Imbrium, uti Amphimachum duces Athenienses tulerant inter Achaeos, id est aversi a Trojanis, ut tuti inter socios eum despoliarent. Jam caput abscisum in Trojanos conjecturus

suetudine scripserit Aristarchus. Adde composita τρίλλιστος, πολύλλιστος, collat. τρῖπολος, πολῦλήϊος.

Multo pluris etiam facio, quod vocis λίσσομαι ea est in Iliade natura, ut uno excepto loco (π, 47.) ubique producat vocales breves. Incaute igitur egit Wolfius, qui α, 15. 375. scripserit καὶ ἐλίσσετο, ipsis scholiis A. non commotus, quorum haec sunt verba: οὕτως Ἰακῶς λίσσετο. Sed de hac re supra egimus, §. 24. — Atque differt hac ipsa in re maximopere ab Iliade Odyssea, in qua correptas reperimus vocales breves β, 210. θ, 344. κ, 526. λ, 34. ξ, 406.; nec ullam, nisi in augmento, ante hoc verbum in thesi productionem. Talia utriusque carminis discrimina qui sciens tollit, temere agit. Wolfium quidem non vitupero, cujus diligentissimam curam haec res fugerat.

Vocis λίθος productiones supra demonstravimus. Sunt ψ, 202. μ, 459. Fateor me, antequam inter se contuleram voces λισσός, λίσσομαι, cett., diu de hac voce dubitavisse, sed confisum tamen libro μ statuisse de duabus consonis initialibus. Cf. §. 73 sqq. Rarius omnino haec vox legitur, quare paucitatem productionum non miror.

Ut demonstremus literam antiquam initialem fuisse γ et ut viam nobis muniamus ad voces proximas, addimus voces γλίσχρος et γλίχομαι. In illa conspicitur litera σ, quae est in λίσσομαι, λισσός; notio autem inest ejus radicis quae desinit in π (λιπ); in hac est notio vocis λίσσομαι; in utraque initiale γ.

b. Deinde ad alterum genus pertinet radix λιπ-, quam incepisse a litera gutturali verisimile fit, si confertur Germanorum *kleben* (antiq. chlîpan) *).

Ajax minor necesse est *se* convertat ad hostes. Hoc est ἑλιξάμενος. — Offendit vero etiam augmentum in hac forma εἰλίσσεθ', cf. §§. 115, 3. 142, 3.

*) Quam bene conveniant et inter se misceantur harum radicum notiones, demonstrat nostrum Klippe (rupes), collat. λισσάς. — Cf. Grimm. Gr. II. 13.

Producit λιπαρός in arsi tertia χ, 406.; in secunda β, 44. κ, 132. — λίπ' in quinta ξ, 151.

c. Pertinet eodem vox λιαρός, quae praeter locos supra §. 82. allatos (λ, 830. 846.) producit in arsi tertia λ, 477. χ, 149.; in quinta ξ, 164. Addo ex Odyssea productionem, quae libr. ω, 45. est in semiternaria ante semiquinariam *).

Ante hanc vocem fuisse initialem literam gutturalem probamus ex altera forma χλιαρός, χλιερός, quae est Ionum Atticorumque. Haec adjectiva quamvis utantur vocali ι longa, tamen χλιαίνω utitur ι ancipiti. Eodem modo se habere χλαῖνα et λαῖνα (lana) recte dixit Passowius. Cave igitur de digamma cogites. — Itaque recte Benfejus II. 195. de hac voce statuit.

d. Eodem referenda est vox λόφος, quam cum Latinorum globus recte contulit Benfejus II. 311. Prominendi inest notio. — Producit λόφος in arsi quarta κ, 573. Duarum consonarum initialium causam agit duplicatio literae λ, quae est in ἄλλοφος, libr. κ, 258. Adde ex Odyssea κατᾶλοφάδια, cf. Odyss. κ, 169.

3. Tertium genus efficit vox λαπάρη. Productiones supra demonstravimus, §. 82. Sunt ξ, 447. 517. χ, 307. in semiternaria minore. Haec vox neque digamma unquam usa est, neque initiali litera gutturali, sed initiali σ. Erat σλαπάρη. Confer Germanorum *schlaff,* antiq. *slaph,* quod qui incolunt Germaniae planitiem hucusque pronuntiant *slapp.* Est igitur λαπάρη ea corporis pars, quae est quasi suspensa neque ossibus sustentatur. Confer verbum λάπτω: π, 161. — Consentit Benfejus II. pag. 11. De hac literarum conjunctione infra egimus §. 92.

4. Quartum genus ex nonnullis vocibus conficio, qua-

---

*) Hanc semiternariam, quae est ante semiquinariam, liceat dicere semiternariam minorem. Item seminovenariam minorem ubi dicemus, intelligemus eam, quae est post semiseptenariam.

rum antiquam literam initialem ego demonstrare non possum. Relinquo igitur hanc quaestionem hominibus qui me sunt doctiores.

Sunt autem hae voces: λῖς, λήγω, Λητώ.

a. λῖς producit in quarta arsi λ, 239. 480. ρ, 109. σ, 318. — Ante λείουσι productio est in arsi secunda ο, 592. Obstat quidem λέων, quod propter mensuram suam producere non potest; sed plerasque hujusmodi voces apud Homerum posse producere, nec tamen constanter producere supra demonstravi §. 83. Cf. §. 91 sqq. — Egit de hac voce Benfejus II. 1. 366. Equidem non possum, quin in ea duas consonas initiales fuisse statuam, permotus productionibus Homericis. Puto literas lw, quae sunt in Germanorum voce lêwo, apud Graecos per metathesin in initio vocis fuisse, ut exsisteret Ϝλῖς. Conjectura cum sit, nolui hanc vocem referre ad numerum 1.

b. Certiora etiam sunt in voce λήγω vestigia. Producit enim in arsi quarta haec vox in libr. ι, 191., qui liber productionibus non favet. Accedit literae λ geminatio, quae est in ἄλληκτος: λ, 12. Odyss. μ, 325.; in ἀπολλήξῃς Iliad. ο, 31. et aliis locis. — Quae cum ita sint, patet Benfejum II. 24. de hac voce minus recte statuisse.

c. Vox Λητώ quamvis raro apud Homerum legatur, tamen eae productiones, quas ex semiternaria minore supra (§. 82.) demonstravi (ξ, 327. ω, 607.), me permovent ut duas consonas initiales in hac voce fuisse statuam. Benfeji rationes, quae sunt II. 136., fateor me non intelligere.

5. Mirabuntur fortasse homines docti, me inter has voces non retulisse verbum λείβω. Producit sane in arsi quarta ω, 285. Attamen infirmam fuisse ipsam literam λ in hac voce, ex eo concludimus, quod altera forma εἴβω hanc literam omittit. Quamobrem hanc quidem productionem dico duriorem, cf. §. 94. — Legitur idem versus Odyss. ο, 149.

§. 87. — Quartum locum iis vocibus tribuimus, quae incipiunt a litera ν. Quarum item complura sunt genera.

1. Ac primum quidem genus earum est vocum, quas a literis σν incepisse ex linguis cognatis intelligitur. Huc pertinent: a. νιφάς, νιφόεις. — b. νότος, νότιος, νίζω. — c. νευρή — d. νυός.

a. Vocis νιφάς unam productionem ex semiternaria minore (μ, 278.) demonstravimus §. 82. Restat productio, quae est in arsi secunda γ, 222. — νιφόεις producit in seminovenaria minore ξ, 227.; in arsi secunda υ, 385.; in quarta ν, 754. Latina lingua cum non servaverit literas initiales s n, adhibemus nostrum *schnee*, antiq. snê, quod apud Gothos erat s n a i v s. Ita fit, ut ἀγάννιφος geminatam habeat literam ν, collat. Ἀγαμήδης reliquisque similibus.

b. Transitum nobis ad voces νότος, νότιος parat vox νίζω. Quamvis enim in verbo νίζω inesse videatur litera τ (νίτjω), qua de causa hanc vocem contulimus cum νότος (νιτ — νοτ. Deest νατ —, sed cf. Germanorum *nass*, antiq. naz); patet tamen ex reliquis hujus verbi formis (νίψω, νένιμμαι), antiquitus concinere radices νιφ- (νίπ-τω) et νιτ-. Convenit radix Sanscrit. s n â (l a v a r i), collat. s n u (s t i l l a r e). Cf. B e n f e j. II. 52. 53.

ν ί ζ ω producit in arsi secunda η, 425. Addo ἀπενίζοντο: κ, 572.

ν ό τ ι ο ς producit in arsi quarta λ, 811. ψ, 715.

Ν ό τ ο ς producit in semiternaria minore Odyss. μ, 427.

c. νευρή. Quatuor productiones, quae in semiternaria minore ante hanc vocem in Iliade inveniuntur, supra §. 82. demonstravi. Sunt δ, 118. θ, 324. λ, 476. 664. Praeter hos locos productio est in arsi secunda ο, 313.; in tertia ο, 463.; in quarta π, 773. φ, 113. Latinorum est n e r v u s (n e v r u s, n e u r u s). Concinit Germanorum s n u o r (*schnûr*). Consentit B e n f e j u s I. 292.

d. νυός producit semel in Iliade in arsi quarta ω, 166. Latinorum est n ŭ r u s, Germanorum s n ŭ r (nunc est *schnûr*).

Descendere videntur νευρή et νυός ex una eademque radice, in qua nectendi fortasse inest notio. Cf. Benfej. I. 285. 303.

2. Alterum genus efficit vox νέφος, cujus literam initialem ν mixto quodam sono pronuntiatam fuisse supra demonstravimus, §. 83. Patet enim ad eandem radicem pertinere κνέφας, δνοφερός. Obliterata est consona initialis in linguis Latina (nebula, nubes) et Germanica (*nebel*). Addo ἀνέφελος: Odyss. ζ, 45. Inest in his vocibus obscuritatis notio. — Dissentit tamen quodammodo Benfejus II. 54.

Productiones, quae sunt in semiternaria minore ο, 625. π, 375. ψ, 874., supra attulimus. Restant nonnullae productiones, quae sunt in arsi quarta: δ, 274. ε, 525. ξ, 293. ρ, 594. χ, 309. ψ, 133. 366.

3. Tertium genus earum est vocum, in quibus ante ν erat litera gutturalis. Sunt νεύω, νύσσω, νύσσα, νύμφη.

a. Ex his inter se concinunt νεύω, νύσσω, νύσσα, de quibus bene egit Benfejus II. 182. Confer Germanorum *nicken* et *knicken*, *neigen* antiq. hnîgan. Est igitur νεύω nuere; νύσσω efficere ut aliquid moveatur (nuat), flectere; νύσσα vero, quam vocem minus bene explicavit Benfejus II. 185., proprie est meta sive is locus curriculi, quo currus flectuntur, id est unde retro vehuntur aurigae. Cf. φ, 332. 338.

νεύω uno solo, quod sciam, loco productionem efficit in Odyssea: κατᾰνεύων, libr. ι, 490. Cum sit in composito productio, nec raro verbum νεύω apud Homerum legatur; paene adducor ut putem hanc productionem ex antiquiore poesi ad Homerum pervenisse. Homeri quidem temporibus consona initialis videtur fuisse obliterata.

Verbum νύσσω producit in semiternaria minore Odyss. ξ, 485.: ἀγκῶνι νύξας. Potest vel haec productio explicari ex firmitate literae ι. Cf. §. 93.

Item ante νύσσα productio est in semiternaria minore ψ, 758. cf. §. 82. Est ἀπὸ νύσσης. Recurrit eadem Odyss. ϑ, 121. Nescio an haec etiam ex antiquiore poesi

ad Homerum pervenerit. Sed mitto hanc quaestionem, de qua dixi §. 82. ext.

b. *Νύμφη* in Iliade productionem efficit ξ, 444. in arsi tertia. Est tamen in semiternaria minore productio in Odyssea, libr. ν, 355. Ingeniose vocem deduxit Benfejus II. 180. Confert enim Latinorum nubere; nostrum *knüpfen*, collat. *Knopf*. Ergo *νύμφη* ortum est ex *νύβ-φη*. Cf. §. 63. annot.

§. 88. — Quintum ordinem eae efficiunt voces, quae incipiunt a litera *μ*. Harum vocum item complura sunt genera.

1. Ad primum genus pertinent eae voces, quae incipiunt a literis *σμ*. Harum quidem omnium fundamentum sunt ipsae literae *σμ*, quae (collat. *σμάω* et similibus) continere videntur notionem terendi seu scabendi. Additis aliis ad hoc fundamentum consonis efficiuntur variae radices. Quibus in demonstrandis consistimus in vocibus Homericis, quae producunt breves vocales; alias voces eo tantum consilio adhibebimus, ut nostram sententiam lectoribus probemus.

a. *σμ*x*λ* radix videtur uti notione poliendi, quae nonnullis in vocibus abit in notionem laevitatis et mollitiae. Hinc conficimus formas *μελ-*, *μαλ-*, *μολ-*. Utuntur autem literis *μελ-* et *μαλ-* hae voces: *μέλι*, *μελίη*, *μέλεα*, *μαλ-ακός*. Desunt voces literis *μολ-* utentes, sed conferatur Latinorum mollis.

Literam *σ* initialem ut demonstremus, adhibemus nostrum *schmel-zen* (*schmal-z*), quod Graece est *μέλ-δω*. Abiit litera *σ* nonnullis in vocibus in literam *α*, cf. *ἀμαλός*, mollis. Licet igitur eodem referre vocem *ἀμέλ-γω*; et Latinorum mul-geo, mul-ceo; et nostrum *malen* (conterere).

Productis vocalibus brevibus (cf. §. 84. 3, 4.) exsistunt formae *σμῖλ-*, *σμηλ-*, *σμωλ-*. Ita factae sunt voces *σμίλη*, *σμῖλαξ*. Mitto reliquas.

Atque vocum *μέλι* et *μαλακός* notio quomodo orta sit

facile intelligitur; μέλεα vero eam videtur habere vim, quae est in adjectivo Latino teres, quod concinit cum verbo térere. Nec dubito, quin in voce μελίη insit laevitatis notio. Ut de cortice cogitem, qui admodum laevis est in fraxinis teneris, adducit me taxi nomen σμῖλαξ. Constat enim non minus laevem esse taxi corticem.

Patet me idcirco has voces ita deduxisse, quod haud raro apud Homerum vocales breves ante easdem producuntur. Quas productiones si novisset Benfejus, nec μέλεα deduxisset e βλώσκω (ἔμολον — II. 498.), nec μελίη e radice Sanscrit. vah (crescere); et aliter fortasse statuisset de μέλι (I. 504.).

Producit μαλακός in Iliade in semiternaria minore ι, 618. κ, 75. χ, 504. Cf. §. 82.

μελιηδής producit in arsi tertia ρ, 17.

μέλεα producit in semiternaria minore η, 131. π, 607. Addo Odyss. ο, 354. et compositum διαμελεϊστί ex Odyss. ι, 291. ρ, 339.

Vocis μελίη eas productiones, quae sunt in semiternaria minore, supra demonstravimus §. 82. Sunt π, 143. τ, 390. φ, 162. χ, 225. Adde Odyss. ρ, 339., quo loco item in semiternaria minore productio est ante μέλινος. Patet hunc locum magni esse faciendum. Nam ni licuisset ita producere, cum in promtu esset altera forma μείλινος, non difficile erat alio modo versum conficere. Hac enim forma, μείλινος, quamvis in Odyssea non inveniatur, tamen quin uti poeta potuerit non dubito. — Praeterea duarum consonarum initialium causam agunt composita, veluti ἐϋμμελίης, de qua particulae εὖ dissolutione supra diximus §. 84., 10.; et φερεμμελίης, quod legitur apud Mimnermum, cf. carm. 12, 4. Schneidewin. Recte igitur de similibus statuit Ahrens. d. d. Graec. I. pag. 51.

b. Altera radix est σμχρ. Subest quidem notio poliendi, sed addita asperiore litera ρ non in mollitiae abit notionem, sed in notionem nitendi et splendo-

ris. Est etiam, ubi abeat in notionem **fragoris** (σμαραγέω, σμερδαλέος).

Conficimus formas σμερ-, σμαρ-, σμορ-. Si recte supra diximus (§. 84, 3. 4.), mutari vocalem ε in ῐ; patet fortasse, ε ortum esse ex ῐ. Concludimus igitur de antiqua forma σμιρ-. Constat deinde in quibusdam dialectis ι mutari in υ, veluti in voce Ἀμφικτύονες (ἀμφικτίονες), cf. C. Fr. Hermanni antiquitt. Graec. §. 11, 1. Ahrens. d. diall. I. pag. 81. Hinc licet concludere de σμυρ-.

Huc refero voces μιαρός, μυρίκη, μορόεις. In literam α abiit litera σ initialis in voce ἀμαρυγή, cf. hymn. in Mercur. 45.

Atque μιαρός quin concinat cum nostro *schmieren* dubitari non potest. Antiquum verbum Germanicum est *smirchen* (rancere). — Productionem, quae ante μιαρός est in semiternaria minore ω, 420., supra attulimus §. 82. — Cf. Benfej. II. 476.

De notione vocis μορόεις non satis constat. Conferunt vocem cum voce μόρος, morus. Cf. Fuhr. in Annall. philolog Jahnii, tom. 20. pag. 403. μορόεις quidem, cum producat in arsi secunda ξ, 183. Odyss. σ, 298., non dubito referre ad radicem σμιρ- (σμαρ-), ut sit splendidus (consentit Benfej. I. 480.). Potest tamen eodem pertinere μόρος, constat enim foliis nitidis hanc arborem esse ornatam.

Ob eandem rem huc refero vocem μυρίκη, quae producit in semiternaria minore κ, 467. Conveniunt inter se μυῤῥίνη et μυρίκη. De litera initiali σ conferatur nomen proprium Σμύρνη (Σμυρίνη?); collat. σμύρνινος reliquisque similibus, veluti σμύρνα = μύῤῥα, quae alias incipiunt a σμ, alias a simplici μ. Ut statuam vel has plantas a foliis nitidis nomen accepisse eo permoveor, quod in usu fuit apud Graecos σμυρίζω (cf. σμύρις), polio.

Improbo igitur Benfeji sententiam, quae legitur II. 41. Puto eodem pertinere etiam vocem σμάραγδος; Graecum est enim, cf. ὀρυμαγδός. Dissentit Benfej. II. 359.

c. Vocem μοῖρα putaverim ad eandem radicem pertinere. Terendi enim notio potest abire in notionem minuendi, ideoque in notionem dividendi. Certe perfectum εἵμαρμαι quin ortum sit ex σέσμαρμαι, non dubito. Etenim σ abiit in spiritum asperum (ἕξ = sex, ἑπτά = septem); εσ ante consonam abiit saepissime in ει (ἔσμι = εἰμί, cf. ἔσπετε cum εἶπον). Dissentit quidem Benfejus II. 40.

Ceterum μοῖρα semel producit in Iliade: π, 367. Est tamen semiternaria minor, cf. §. 82. Succurrit autem Odyssea, in qua multo saepius legitur productio. Est in semiternaria minore ϑ, 54. Adde γ, 331. 457. δ, 783. ϑ, 496. ι, 245. 309. 342. κ, 16. μ, 35. υ, 281. (Ὀδυσσῆϊ μοῖραν). Geminatur μ in ἄμμορος et ἀμμορίη (Odyss. υ, 56.). Adde διεμοιρᾶτο ex Odyss. ξ, 434. Mitto enim κάμμορος.

d. Ψεύσομαι, ἦ ἔτυμον ἐρέω! Putaverim addita litera ϑ ad σμ- oriri radicem σμκϑ. Concinit Gothorum smeithan (cf. Grimm. Gr. II. 46. 508. — Benfej. I. 468.), *schmieden*. Poliendi quidem notio inest, cf. *geschmeide*, sed significatur litera t molestior labor, quem ut conficiamus opus est majore mobilitate (*geschmeidig*) *). Utraque notio, et laboris et mobilitatis, inest in voce Homerica μόϑος, quae productiones efficit σ, 159. 537. φ, 310. Est κατᾱ μόϑον in arsi quarta. Patet autem, cum caesura non valeat post praepositiones (§. 7.), de duabus consonis initialibus esse concludendum. — Falso igitur Benfej. I. 258. hanc vocem retulit ad rad. math.

e. Addo in extrema hac disputatione, me non dubitare, quin ad eandem radicem pertineat vox σμικρός, de qua bene egit Benfejus I. 469. Casu igitur accidit, ut hujus vocis litera initialis servaretur eo tempore, quo primum scripta sunt carmina Homerica.

2. Alterum genus efficit una vox μάρπτω, quam mi-

---

*) Ut intelligatur quam bene conveniat mobilitatis notio cum notione splendendi, addimus Latinorum micare et dimicare.

nus bene deduxisse videtur Benfejus e radice Sanscrit. dhvri i. e. curvum esse. Producit in semiternaria minore Odyss. κ, 116., unde de duabus consonis licet concludere. Collatis vocibus κάρφω (contraho, torreo), καρπός, κραιπνός; Latin. carpo, verisimile est vocem incepisse a κμ, et initio fuisse κμάρπτω. In mentem enim venit Buttmanni sententia, ex qua vocis μέλας antiquior forma fuit κμελαινός coll. κελαινός.

3. Agendum nunc est de voce μάστιξ, quae producit in arsi quarta τ, 395. ψ, 642. Nescio an in ultima hujus vocis syllaba insit verbum στίζω, collat. Latin. instigo; sed id certum est, ingeniosissime Benfejum II. 190. hanc vocem deduxisse e substantivo ἵμας. Productiones cum efficiat, patet Homeri quidem temporibus nondum evanuisse illud ι. Pronuntiabatur fortasse jμάστιξ.

4. Restant duae voces μέγας, μέγαρον, quas ad unam eandemque radicem pertinere admodum verisimile est. Convenit Germanorum *mich-el*, Latinorum mag-nus, alia permulta, in quibus ne tenuissimum quidem antiquae consonae initialis est vestigium. Attamen tam multae sunt apud Homerum ante has voces productiones vocalium brevium, ut certissime me concludere de duabus consonis initialibus confidam. Aut igitur lingua Graeca reliquis linguis cognatis diutius servavit literam initialem, aut aliunde hae voces deducendae sunt.

a. μέγαρον producit in semiternaria minore β, 137. Addo ex Iliade locos viginti: ζ, 217. λ, 76. ξ, 485. ω, 219. 427. (secunda est arsis); α, 396. ε, 270. 805. ζ, 286. η, 148. ϑ, 520. ι, 144. (singular.) 463. τ, 338. φ, 475. χ, 510. ω, 497. 603. 664. 768.

b. Adjectivum μέγας, cujus quae sunt in semiternaria minore productiones supra §. 82. demonstravimus, producit etiam saepius, locis omnino septuaginta: in arsi tertia librr. α, 454. γ, 221. ε, 146. 674. η, 462. ι, 9. κ, 16. λ, 265. 541. 572. μ, 31. 224. ο, 674. π, 236. 774. ρ, 296. 299. 595. 626. 744. υ, 459. φ, 10.; in semiternaria majore β, 58. 196. 274. ε, 27. η. 444. λ, 459.

ο, 121 (μείζων). 381. π, 488. φ, 310. 328. χ, 393.; in arsi quarta α, 233. β, 43. 239 (mala est Zenodoti lectio ἑοῦ). γ, 125. δ, 161. ι, 255. 274. 303. κ, 69. ο, 321. π, 21. σ, 344. φ, 192. 256. 519. χ, 57. 163. 307. 407. 435. 443. ψ, 40. 119.; in quinta arsi ε, 547. ι, 537. μ, 379. ν, 366. (mitto varias lectt.) π, 594. 818. χ, 88. Unum locum silentio non possum praeterire: π, 358.; quo cum producatur ante μέγας articulus ὁ, post quem caesura vix est, dubium non potest esse, quin a duabus consonis adjectivum inceperit. — Confero μόγος (μογερός), ἐπισμυγερῶς (etiamsi hoc deducunt e σμύχω).

5. Contra μήτηρ, etsi saepissime legitur, nunquam impedit correptionem, nec apparent duarum consonarum initialium vestigia in cognatis linguis. Ergo ξ, 492. huc nullo modo retulerim. Cf. Benfej. II. 31.

§. 89. — Sexto loco ponimus duas voces, quae incipientes a litera σ productiones efficiunt.

1. σεύομαι producit in arsi quarta ρ, 463. Hanc vocem ab initio habuisse σF mihi admodum verisimile est. Inveniuntur enim literae sw multis in vocibus Germanicis, quae movendi habent notionem, veluti *schweben*, *schwingen*, *schwanken* et simm. Tum augmento addito ex σεύω fit ἔσσυμαι, duplicato σ. Adde ἐπισσεύω, περισσεύω all.

2. Hoc si verum est, patet eandem esse posse productionis veniam ante vocem σῦς. Producit in Odyss. κ, 238. φ, 219. Certa non est haec sententia. Id tamen efficit, ut secludamus hos locos, ubi de vocalibus brevibus productis ante singulas consonas agemus.

§. 90. — Sed ne falso intelligatur haec, quam de his productionibus tuli, sententia, unum in locum omnia congeram necesse erit.

Diximus igitur et puto maximam partem demonstravimus, multis in vocibus, quae in scriptis Homeri carminibus nunc ab singulis literis consonis incipientes ferun-

tur, eo tempore, quo facta sunt haec carmina, binas fuisse consonas initiales; eamque esse plurimarum causam productionum, quae ex metrica versus ratione essent molestissimae. Sed cave hoc ita intelligas, ut priorem literam consonam putes retinuisse totam naturam eam, quae consonarum literarum solet esse. Id si fuisset, suffecissent haud dubie hae voces ad producendas in thesi vocales breves; id quod ne in voce λίσσομαι quidem fit in Odyssea. Multo minus etiam faveo ei sententiae, quam quis potest dicere, uniuscujusque talis vocis duas fuisse formas, uti Germanorum se habent w i r r et i r r, quarum tamen non eadem est vis. Talem sententiam de digamma tulit quondam T h i e r s c h i u s. Sed hoc tam raro accidit in linguis, ut praestet abstinere tali sententia, quam hoc modo statuere de vocibus multis. Quae cum ita sint, concludimus priorem literam jam Homeri temporibus in eo fuisse, ut evanesceret. Praevalebat consona posterior, quae ita pronuntiabatur, ut prioris literae restaret quasi imago, quam paene umbram diceres; obscura quidem illa, sed ea tamen, quae ad producendas in arsi vocales breves sufficeret. Nec nego vel hac in re differre inter se et singulas voces et singulos libros; id est harum vocum nonnullas firmiore uti litera initiali (uti λίσσομαι in Iliade), nonnullas infirmiore, quod concludi potest ex numero productionum et ex arsis aut firmitate aut infirmitate, all. Nolo tamen de hac re hoc quidem loco plura disserere; multa enim fortuito accidunt. Revertar ad hanc quaestionem, ubi plura de recentiore quorundam librorum aetate argumenta collegero, quae non desunt. Id unum addo, ne omnes quidem voces ad similem radicem pertinentes eodem modo firmas retinuisse initiales consonas. Ita differunt vel in Iliade λίσσομαι, quod demonstravi, et λιγύς, quod correptionem permultis locis non impedit, cf. α, 258. β, 50. all. Eodem modo constat de voce δέος; at corripitur prima syllaba vocis ἀδειής, cf. η, 117. Addo ω, 358. all. Producit saepissime μελίη, nunquam μείλινος, quod patet ex vocis mensura. Confer de similibus β, 34.

ζ, 39. φ, 350. ε, 293. β, 435.; Odyss. ε, 426. cum ejusdem libri v. 281.

§. 91. — Egimus de iis tantum vocibus, quae vocalium brevium efficiunt productiones, et Iliadis maxime habuimus rationem. Patet tamen multo majorem fuisse antiquioribus temporibus talium vocum numerum. Quarum si nonnullae apud Homerum non producunt, casu fortasse accidit.

Jam si quid probatur iis argumentis, quibus ad demonstrandas binas literas consonas usi sumus nos ipsi; sequitur, ex iisdem argumentis de aliis vocibus posse concludi.

Ita ex soluta particula εὖ concludere licet in vocibus εὐῤῥαφής, ἐΰσσελμος, Ἐΰσσωρος, ἐΰννητος; de adjectivo ῥᾴδιος cf. ῥέα, βρᾶ, βρᾴδιος, cf. Ahrens. de diall. Gr. I. pag. 35.; de μειδάω cf. compositum φιλομμειδής. — Vocem δοῦπος olim pronuntiatam fuisse γδοῦπος (falluntur enim qui digamma in hac voce initiale fuisse statuunt, cf. κτύπος, Benfej. II. 186.) probatur non solum ex forma ἐρίγδουπος, quae si correptionem non impedit, scribitur ἐρίδουπος, sed etiam ex ἐγδούπησαν, Iliad. λ, 45. Mitto enim glossam Hesychii. — Addo περισσείω, ἐπισσείω, collato nostro *schwingen*; quamquam non deest alia ratio explicandi, cf. §. 93.*)

Sed mitto reliqua. Ante haec enim vocabula cum apud Homerum non producantur breves vocales finales, possunt quidem Homeri temporibus obliteratae fuisse consonae literae initiales priores. Manserunt quaedam vestigia in compositis et in iis verborum formis, quae utuntur augmento, veluti in ἔλλαβε.

§. 92. — Operae pretium est paulo accuratius quaerere de iis consonarum conjunctionibus, quarum initialis fuit litera s. Constat apud Germanos inde a saeculo

*) Nec aliter se habet ἀδδηκότες, collato ἅδος, Iliad. λ, 88.

octavo plerumque additam esse literam ch, qua mollitur pronuntiatio.

Atque sr consonae initiales in vocibus Graecis nobis non sunt servatae. Desunt eaedem in vocibus Latinis. Etiam Germanis ex antiquissimis inde temporibus tam invisa fuit haec literarum conjunctio, ut ne minimum quidem maneret ejusdem vestigium et constanter inter s et r alia adderetur consona. Ergo §. 84, 10. confugiendum erat ad linguam Sanscritam.

sv nec apud Graecos diu in usu erant, nec apud Latinos. Cf. §. 106. — Satis diu valuit haec conjunctio apud Germanos.

sl manserunt apud Germanos. Apud Latinos servatum est fortasse harum literarum vestigium: stlis, stlocus. (Cf. Fest. p. 312. 13. Müller. — A. L.)

sn literae manserunt saepe apud Germanos. Molestiores sunt Latinis quam Graecis.

sm saepius inveniuntur apud Graecos. Germanis placuit haec conjunctio Latinis invisa.

sk initiales invisae sunt Graecis, si sequitur litera r. Confer *γράφω*, scribo, *schreiben*. — Minus molestae sunt ante vocales: cf. *σκιά*, *σκήπτω*, all. Evanuit tamen interdum s, veluti in voce *κείρω*, collato German. sceran, *scheeren*. Ergo infirma fuit litera *σ* apud Graecos in hac conjunctione. Hinc fit, ut productionem non efficiant saepissime *σκεδάννυμι* (est nostrum *scheid-en*); *σκέπαρνον* Odyss. *ε*, 237.; *Σκάμανδρος* *). Concedo harum quidem vocum mensuram favisse correptioni; patet tamen non metrum solum eandem effecisse (ita statuunt schol. A. ad *α*, 1.), sed accessisse literae initialis infirmitatem. Quid enim coëgit poetam, ut ante *μικρός* (nam non raro legitur *σμικρός*) corriperet vocales breves? Vitasset sane incommodum metricum.

---

*) Hoc nomen Benfejus optime deduxisse videtur e *κάμπτω* (fluvius flexuosus).

Contra στ, σπ, σφ, σχ molestae non sunt. Firmiorem servant literam σ.

Hac ratione cum satis demonstraverimus literae σ ante nonnullas consonas infirmitatem, superest, ut simillimam nostram proponamus sententiam de litera ζ, quae correptionem non impediat in vocibus Ζέλεια, Ζάκυνθος (Odyss. ι, 131.).

Hac in litera ζ explicanda egregie olim fallebantur grammatici. Ex literis δσ fere omnes putabant ortam. Nec nego id fieri potuisse. Attamen si factum est in vocibus nonnullis, factum est diu ante Homerum. Quamdiu enim valuit apud Graecos ea lex, quam apud Homerum valere satis constat, ut literae δ, τ, ϑ ante σ esse non possint, sed aut assimilatione mutentur (cf. γούνασσι, ποσσί), aut evanescant; litera ζ non potuit oriri ex δσ. Multo melior illorum est sententia, qui dicunt ζ ortum esse ex σδ. Sed ne hac quidem ratione quodvis ζ ortum est. Mixta est enim quasi litera, orta saepissime ante vocales ex δι (dj — Ζεύς, ζάϑεος) sive ex γι (gj — ὑπολίζων, φύζα). Patet tamen vel his in vocibus paulatim mutatam esse antiquam pronuntiandi rationem, pronuntiatamque esse constanter postea hanc literam quasi σδ.

Jam si ζ pronuntiatum est σδ; patet, nonnullis in vocibus, si initialis est litera σ, idem accidere potuisse, quod saepissime in initio vocum accidisse intelleximus, ut infirma esset litera σ. Ita in nummis constat Δάγκλη legi pro Ζάγκλη *). Hinc fit, ut neque Ζέλεια, neque Ζάκυνθος correptionem impediant.

Quae cum ita sint, patet falli Jacobum Grimm, Gramm. Germ. II. p. 701. Putat enim initiales literas sl, sm, sn, sk fortasse ortas esse ex particula quadam a litera s incipiente, collatis vocibus nix, νίφ, snaivs all. Hoc demonstrari non potest. In radicibus fuisse has literas, Homericarum productionum ratione satis de-

*) Cf. Ahrens. d. diall. I. p. 175.

monstratur. Patet enim ex his productionibus, non defuisse antiquitus literam s multis in vocibus Graecis.

b. De productionibus, quae excusationem videntur habere e natura firmiore vocalis finalis.

§. 93. — In thesi non inveniuntur ejusmodi productiones. Mitto enim ancipitem syllabam, quam offert σ, 375. varia lectio βοῶπι; de iis tantum vocalibus acturus, quas sua natura breves esse eo demonstratur, quod in thesi nunquam producuntur. Patet hanc ob rem falsam esse conjecturam Hermanni, quam inferre in Od. γ, 293. eum voluisse supra demonstravimus §. 69. — Taceo de μάστι: ψ, 500.

Ut breviter indicemus, quae nostra sit sententia; in principio disputationis dicimus, unam esse vocalem finalem, quae tam firma videatur esse, ut vel ante unam literam consonam quavis arsi etiam infirmissima et in quovis libro productionem possit efficere. Est haec vocalis ι.

Quaenam sunt igitur hujus sententiae causae? Puto esse satis multas. Primum enim in hiatu saepissime legitur haec vocalis, veluti in praepositionibus ἐπί, ἀμφί, ἀντί; constat etiam περί nunquam pati elisionem (Aeoles mitto), quamvis sit bisyllabum (hac enim re differt haec praepositio a πρό, quod πρό elisione deleretur); sed de hac re supra diximus §. 64. b. — Deinde hujus vocalis productio legitur saepissime vel in iis libris (veluti in nono), qui vix unam alteramve habent productionem exceptis iis vocibus, quas a binis literis consonis incepisse demonstravimus. — Tum eadem vocalis ante voces encliticas, ante quas caesuram non esse constat ex §§. 2. 3., multo saepius producitur quam ceterae vocales. — Accedit, quod haud raro producitur in ipso hiatu, cf. §. 95.; quod producitur in caesura seminovenaria minore; quod rara denique est reliquarum vocalium brevium ante unam consonam productio, frequentissima hujus vocalis.

Quae cum ita sint, patet ceteris vocalibus hanc esse multo firmiorem. Demonstramus nunc exempla.

Ante voces encliticas septem locis producitur dativi litera ι; η, 142. ο, 108. ε, 156. ι, 180. ϱ, 123. ξ, 459. χ, 314.

In seminovenaria minore producitur ejusdem dativi singul. litera ι libr. ψ, 244. Hanc causam esse productionis cum ignorarent, invexerunt satis mature lectionem κλεύθωμαι, i. e. κελεύθωμαι, pessimam. Firmatur nostra lectio κεύθωμαι altero loco, quo in eadem versus sede (major est tamen seminovenaria, cum in quarto pede post ἐνί caesura non sit) legitur πτόλεϊ λίπετ᾽: ω, 707.

Praeterea ι dativi legitur productum in quarta arsi in formula Διΐ φίλος: α, 86. β, 628. ζ, 318. ϑ, 493. 517. ι, 168. κ, 49. 527. λ, 419. 473. 611. π, 169. σ, 203. χ, 216. ω, 472. α, 74.; itemque in formula Διΐ μῆτιν ἀτάλαντος: β, 169. 407. 636. η, 47. κ, 137. λ, 200. *) In caesura seminovenaria majore est ὑπερμενέϊ φίλον εἶναι: β, 116. ι, 23. ξ, 69. In semiquinaria sunt: α, 283. ο, 104. τ, 58. ω, 119. 147.; in semiseptenaria: ϑ, 267.

Particularum litera ι finalis producitur his locis: ὄϑι μεϑιέντας libr. δ, 516. ν, 229 (4). ἔτι νῦν: ο, 99 (4). ὅτι σύ: υ, 434 (2). ἐνὶ νήεσσι: ν, 742 (2).

Sunt igitur fere eaedem voces, quas in hiatu saepius vel in infirmissimis versus sedibus legi demonstravimus §. 64. Eadem paragrapho attulimus νῶϊ. Ecce variam lectionem Eustathii π, 99.: νῶϊ δ᾽ ἐκδῦμεν.

c. De reliquis productionibus, quae videntur esse duriores.

§. 94. — Hae paucae sunt; quarum nonnullae aliis fortasse lectionibus possunt removeri.

Huc pertinent: ψ, 693., quo loco recte Spitznerus legit μέλαν δέ ἑ, cf. Odyss. ε, 353. Legebatur μέγα δέ ἑ. — ο, 478.: ὁ δὲ τόξον, corrigendum fortasse est, ut sit ὁ δ᾽ αὖ τόξον. Est enim semiternaria minor. Non

*) Ultra librum undecimum non legitur. η, 47. λ, 200. Hector ita vocatur; reliquis locis Ulixes, qui vulneratur in libro undecimo.

constat tamen, cum paene eadem res sit λ, 387. Neutro loco in codd. variae sunt lectiones. Cf. Od. λ, 530.

Qui supersunt loci, ex his durissimam productionem praebent ii, qui producunt ante voces encliticas; quae productio caesura non juvatur. Huc pertinent α, 45. γ, 240. π, 228. ψ, 240. υ, 255. Hos locos inter reliquos infra demonstrabimus, juvat separatos hoc loco congessisse.

Ad hos proxime accedit ea productio, quae est in arsi prima φ, 352.; quae interpunctione non firmatur; cf. §. 75, 3.

Sunt igitur omnes loci hi:

α, 45.: ἀμφηρεφέα τε.

γ, 240.: δεῦρο μέν. De lectione Herodiani supra diximus §. 82, 2.

δ, 155.: κασίγνητε, θάνατον (3.). — 321.: ἔα, νῦν (3.). — 338.: υἱὲ Πετεῶο (2.).

ε, 359.: κασίγνητε, κόμισαι (3.). — 745.: φλόγεα ποσί (3.). — 827.: Ἄρηα τόγε (3. Cf. §. 24.) — 887.: ἔα χάλκοιο (4.).

η, 353.: ἵνα μή. Sed spurius est versus.

ϑ, 389.: φλόγεα ποσί (3.).

λ, 378.: δέ, μάλα (4.).

ξ, 320.: Περσῆα πάντων (3.). Suspectus est locus. — 492.: ὑπὸ μήτηρ (est semiternaria minor, cf. §. 88. h.).

ο, 478.: δὲ τόξον, cf. initium hujus §.

π, 228.: τὸ ῥα.

τ, 400.: Βαλίε, τηλεκλυτά (3.).

υ, 242.: τε μινύθει (est seminovenaria major. De duabus consonis initialibus non statuerim. Cf. Germanorum minniro, minnist, quod nunc est *minder* *)). — 255.: ἰτεά τε.

φ, 352.: τὰ περὶ (1.). — 474.: νηπύτιε, τί (2.).

χ, 303.: εἰρύατο· νῦν (3.).

ψ, 240.: ἀριφραδέα τε.

---

*) Gaudeo consentire Benfejum I. 469.

ω, 7.: ὁπόσα τολύπευσε (2.). — 285.: ὄφρα λείψαντε (4. cf. §. 86, 5.).

Interpunctione si quis putet aliquid excusationis posse effici, hoc concedimus in vocativis, post quos firma est interpunctio: δ, 155. ε, 359. τ, 400. φ, 474. Non est δ, 338. Ceterum hac re non multum nos proficere ex eo facile intelligitur, quod praeter librum τ, in iisdem libris plures productiones inveniuntur. — δ, 321. ε, 887. qui legere volunt ἔην, reputent quaeso, antiquissimis temporibus in promtu fuisse hanc emendationem. Quae quoniam illata non est in carmina Homerica, patet lectionem ἔα esse antiquiorem, et niti codicum auctoritate.

Paucitate locorum demonstratur et vere nos dixisse hanc productionem molestiorem Graecis fuisse, quam quae est in syllabis brevibus in consonas literas desinentibus; et satis certa esse, quae de binis consonis initialibus supra disputavimus.

Caput quartum.

De vocalibus brevibus in fine vocum productis ante vocales initiales vocum insequentium.

§. 95. — Omnium productionum haec est et durissima et rarissima. Invenitur quinque tantum in Iliade locis.

Dativi tertiae literam ι ex his locis demonstrant tres: β, 781.: Διΐ ὥς. — υ, 259.: σάκεϊ ἔλασ᾽. — ω, 285.: δέπαϊ ὄφρα. Qui supersunt loci producunt in arsi tertia: ε, 576.: Πυλαιμένεα ἐλέτην. — ϑ, 556.: ἀριπρεπέα, ὅτε.

Intelligitur firmiorem esse dativi literam ι, nam producitur bis in arsi quarta: β, 781. υ, 259. Accedit, quod ante ὥς vix est caesura. Attamen eo hic locus excusatur, quod producere ultimas syllabas ante ὥς Homeri est consuetudo atque, ut ita dicam, formula metrica. cf. §. 76.

Atque ε, 576. ϑ, 556. cum facili conjectura corrigi nequeant, patet etiam υ, 259. ω, 285. conjecturis esse abstinendum. ω, 285. possit quispiam emendare ex Od. σ, 121.: ἐν δέπαϊ χρυσέῳ; obstat tamen ipsa Odyssea, cf. ο, 149. Altero loco, υ, 259. Spitznerus scripsit σάκει ἤλασε, Aristarchi auctoritate non commotus, cf. schol. A. Incaute fecit. Etenim ω, 285. alteram praebet productionem duriorem (ὄφρα λείψαντε), quam proxima paragrapho demonstravimus; qua confirmari videtur illa productio, quae est in δέπαϊ ὄφρα. Jam si confers eandem paragraphum, intelliges item in illa regione libri υ duas inveniri productiones duriores: 242. 255. Dubitari igitur non potest, quin recte legerit Aristarchus.

Quae cum ita sint, ne Hermanni quidem me movet auctoritas, ut eandem productionem, quae legitur in hymn. in Cer. 248. (πυρὶ ἔνι), conjectura removeam.

Caput quintum.

De vocibus παραί, ὑπαί, ὑπείρ *all.*

§. 96. — Diphthongum in praepositione ὑπό mihi ut aliis non probari ante eas voces, quas dixi a binis consonis incepisse, supra demonstravi §. 82. Fateor me olim putavisse, literam ι esse ortam ex antiqua litera initiali vocis proximae. Mitto nunc hanc opinionem. Id tamen constat, illatam esse illam formam, ut excusaretur productio, quae excusatione non eget.

At aliis locis, quibus proximae vocis natura excusationem non praebet, fortasse bene se habet illud ὑπαί? Vix putaverim; fateor mihi esse suspectum.

Et sunt suspicionis nonnullae causae. Primum, quod ὑπαί legitur rarissime. Atqui commodissima fuit haec forma ante omnia substantiva, quae incipiunt a duabus syllabis brevibus et una consona; cur igitur tam raro

legitur? Tum quod ἀπαί (quae simillima est res) uno solo loco, λ, 664., contemta auctoritate librorum olim legebatur; cf. de hoc loco §. 82. sqq. Accedit quod nonnullis quidem locis legitur παραί, sed nunquam tamen μεταί, διαί, semel καταί in composito, Odyss. ν, 110.

Haec reputans non possum, quin existimem omnibus illis locis et ὑπαί, et παραί, et καταί illata esse in Homerum, ut excusaretur productio, quae durior esse recte videbatur.

Mitto nunc composita. Reliqui sunt hi loci: γ, 217.: ὑπαὶ δέ. — β, 711.: παραὶ Βοιβηΐδα (4.). 824.: ὑπαὶ πόδα (4.). — ε, 837.: παραὶ Διομήδεα (4.). — λ, 233.: παραὶ δέ. 417.: ὑπαὶ δέ. — ν, 605.: παραὶ δέ. — ο, 175.: παραὶ Διός (4.). 280.: παραὶ ποσί (4.).

Durissimae sane sunt productiones, nam paene nulla est caesura. Sunt tamen iidem libri, qui non egeant aliis productionibus durissimis: β, 781. — γ, 40. 240. — ε, 745. 827. 887. 576. — λ, 387. — ο, 478.; si vera est lectio librorum δὲ τόξον. — Deest liber ν, sed v. 605. idem est atque λ, 233.

Patet igitur has productiones plane eodem loco esse habendas, quo habemus eas, quae sunt ante voces encliticas, §. 94. init.

Jam si rationem habemus compositorum, pertinent haec ad eos libros, qui excellunt productionibus durissimis: λ, 793.: παραίφασις. ξ, 208.: παραιπεπιθοῦσα. ο, 404.: παραίφασις. ψ, 132.: παραιβάται. ω, 771.: παραιφάμενος.

Quae cum ita sint, patet Buttmannum §. 117. Not. 3. multo cautius de hac re egisse, quam Thierschium §. 166. Equidem ex adverbio ὕπαιθα all. nullo modo auxilium petiverim, quod quomodo deductum sit, nondum constat. Hoc unum concedo: veras esse posse formas παραί, ὑπαί, ubi hae voces sunt adverbia *). Possunt eodem modo esse ortae, quo χαμαί, πάλαι. Hoc

---

*) Simili modo ex praepositione ἐπί fit ἐπεί conjunctio.

si verum est, dubitari non potest, quin in compositis recte se habeat παραι, καται; constat enim non praepositiones esse in compositis, sed adverbia (cf. J. Grimm. Gr. Germ. II. p. 698.). Sed vel huic sententiae, ut accentum mittam, obstat exemplorum paucitas (γ, 217. λ, 233. 417. ν, 605.) et quod in iisdem libris non desunt productiones duriores.

Producuntur praeter has voces apud Homerum paucis locis tres praepositiones in literas consonas cadentes: ἐν (εἰν), σύν, ὑπέρ (ὑπείρ). Ex his mitto praepositionem εἰν, quae productio, cum sit in radice (εἰνί: cf. ϑ, 199.), durior vocari non potest. — Praepositio σύν produci solet in voce συνεχές. — Ὑπείρ legitur ψ, 227. ω, 13. et in compositis ζ, 208. λ, 335. 673. 784. ψ, 637. (ὑπεὶρ ἅλα — ὑπείροχος — ὑπειρέβαλον).

Priusquam meam de his productionibus sententiam dicam, liceat agere de sententia ingeniosa Ahrensii, d. dial. I. p. 56. Putat ob omissam vocalem ι finalem, produci εἰν (ἐνί), ὑπείρ, σύν (ὑπερί, συνί). Atque antiquas harum praepositionum formas desiisse in vocalem ι nec negaverim ego, nec pro certo confirmaverim. Attamen cum apud Homerum producta penultima legatur εἰνί, patet hanc productionem ex amissa litera ι non esse ortam in dialecto Homerica. Et minus etiam constat de praepositione σύν; quae si hoc modo potuisset produci apud Homerum, apparet hoc ob metricam versus rationem fuisse commodissimum. Non fit tamen in Iliade, nisi ubi ex amissa litera initiali proximae vocis accedit in compositis excusatio. Hoc enim modo quin explicandum sit συνεχές ego non dubito, cf. §. 100. Quae cum ita sint, licet dubitare, num haec quam dixit productionis causa valeat in ὑπείρ. Etenim si verum est, quod §. 100. diximus, mensuram vocis συνεχές ortam esse ex antiquo συνσεχές (ἔχω ortum est ex σέχω, σέξω abiit in ἕξω; ἔσχον per syncopen ortum est ex ἔσεχον, quod omisso σ contrahitur in εἶχον), potest idem accidisse in ὑπείροχος, cum ad eandem radicem haec vox pertineat. Tum si ὑπεὶρ

ἅλα tanquam formulam accepit Homerus, eadem fortasse fuit causa; nam ἅλς haud dubie utebatur antiquitus litera σ initiali (sal — salz.). Restat igitur unum productae praepositionis ὑπέρ exemplum: ὑπειρέβαλον. Quid? si dicam hanc productionem successisse fortasse in locum antiquae reduplicationis ὑπερβέβαλον (legitur ὑπειρέβαλον Iliad. ψ, 637.). Quam sententiam si improbent homines docti, quominus durissimam hanc vocent productionem ego non impedio.

QUAESTIONES

SCRIPSIT

CAR. AUG. JUL. HOFFMANN

GYMNASII CELLENSIS RECTOR.

VOLUMEN SECUNDUM.

Insunt quaestiones tres:

IV. De digamma ante vocales literas initiali.

V. Quaeritur quomodo statuendum sit de locis Iliadis in quibus neglectum esse digamma videatur.

VI. De varia carminum Iliacorum aetate colliguntur nonnulla ex quaestionibus superioribus.

CLAUSTHALIAE.

REDEMIT ADOLPHUS SCHWEIGER.

MDCCCXLVIII.

ἅλα tanquam formulam accepit Homerus, eadem fortasse fuit causa; nam ἅλς haud dubie utebatur antiquitus litera σ initiali (sal — salz.). Restat igitur unum productae praepositionis ὑπέρ exemplum: ὑπειρέβαλον. Quid? si dicam hanc productionem successisse fortasse in locum antiquae reduplicationis ὑπερβέβαλον (legitur ὑπειρέβαλον Iliad. ψ, 637.). Quam sententiam si improbent homines docti, quominus durissimam hanc vocent productionem ego non impedio.

QUAESTIONES

SCRIPSIT

CAR. AUG. JUL. HOFFMANN

GYMNASII CELLENSIS RECTOR.

VOLUMEN SECUNDUM.

Insunt quaestiones tres:

IV. De digamma ante vocales literas initiali.

V. Quaeritur quomodo statuendum sit de locis Iliadis in quibus neglectum esse digamma videatur.

VI. De varia carminum Iliacorum aetate colliguntur nonnulla ex quaestionibus superioribus.

CLAUSTHALIAE.

REDEMIT ADOLPHUS SCHWEIGER.

MDCCCXLVIII.

PAEFATIO.

Cum triennio abhinc ad adornandam alteram editionem grammaticarum Germanicarum a me conscriptarum avocarer nec constaret quando ad quaestiones Homericas eas redire mihi liceret, quas in praefatione primi voluminis (p. XXIII. sqq.) demonstravi: constitui quaestionem metricam ita ad finem perducere ut, quid ex ea quidem de varia carminum Iliacorum aetate posset concludi, satis pateret. Hanc ob causam conscripsi quaestionis sextae caput septimum, in quo lectoribus quasi uno conspectu omnia offeruntur, quae ex metricis quaestionibus erant concludenda.

Video autem, ut recte intelligatur mea ratio, nonnulla esse mihi addenda.

Primum nolim lectores mirari quod non ex omnibus iis ausus sim concludere, quae in primo volumine de tenuioribus quibusdam rerum metricarum differentiis, quales in nonnullis Iliadis partibus apparerent, disputavi. Dicat quidem forsitan quispiam me multas res argutius tractavisse, ex quibus redierit fructus nullus. At hoc ita esse futurum ne tum quidem me fugiebat cum quaererem. Constitueram autem has quaestiones eo perducere quo perducere possem, ut, etiamsi ipse ex iis nullos fructus perciperem, ii quidem certe percipere possent, qui me essent doctiores; neve his denuo tota res esset suscipienda et sustinenda quaerendi molestia.

Tum facile intelligitur conclusiones quae ex sola metrica

re fiunt, mancas per se esse nec raro relinqui quasi imperfectas. Quae res me permovit ut pauca, quae ex aliis quaestionibus in promtu erant, capiti septimo adderem, quibus, si fieri posset, confirmarentur ea, quae ex metricis rebus erant conclusa. Nolint tamen mirari lectores quod Lachmanniarum quaestionum rationem non habuerim: id enim si facere voluissem, non capite sed volumine res erat agenda. Suam aciem suis auxiliis firmavit vir ille egregius; meam meis firmare liceat mihi: spero enim fore ut aliquando hae copiae manum conserant et interemtis militibus infirmioribus robustiores fortioresque, qui supererunt, eo inter se sint animo ut idem velint idem nolint. Nam si quis quaerat quomodo ipse statuam de iis, quae in septimo quaestionis sextae capite de Iliade dixerim: respondeo, fere tertiam eorum partem mihi videri certissimam, alteram partem tertiam admodum verisimilem. Reliqua pars tertia fieri potest ut refellatur. Patet enim, si eodem modo etiam reliquae quaestiones ad finem fuerint perductae, fore ut satis bene de compositione carminum Homericorum constet. Nam quae de hac re in praefatione primi voluminis scripsi, haec quasi eam demonstrant sententiam, cui favere debemus, priusquam in carmina ipsa inquiramus: nituntur enim externis auxiliis, quae non ex ipsis carminibus sunt petita.

Ratione autem quaerendi et exponendi usus sum eadem, quae fuit primi voluminis. Syntheticam vocant. Est quidem ea via longior, at eadem minus fallax: divisa sunt multa et diremta, quae conjuncta videre magis juvat; at abest veri falsa species et simulatio. Atque, id quod plurimi facio, nascuntur omnia in lectore eodem modo, quo nata sunt in quaestionum auctore. Qua de causa ignoscent mihi lectores, si paulo liberius fusiusque disputavi in his quaestionibus (ita enim liber inscribitur), quas animi causa conscripsi. Has enim retractare et quasi recoquere omnes etsi non est difficile, diuturnum certe est negotium nec ejus mihi tempus datur.

Offeruntur igitur hac forma iis tantum hominibus, qui ea non deterrentur. *)

Jam quando ad reliquas, quas in praefatione primi voluminis demonstravi quaestiones mihi liceat accedere, nunc quidem existimare non possum. Otium et vires si erunt, sentio mihi primum agendum esse de quaestionibus Lachmannianis; tum de metrica ratione Odysseae erit disputandum, ut opus, ad quod sum instructus, ipse perficiam neve aliis de integro sint suscipiendi labores, quibus ego jam sum perfunctus.

In volumine primo permulta sunt vitiose aut scripta aut typis expressa. Lectores rogo, ut, antequam libro utantur, et ipsi corrigant haec vitia.

pag.	lin.			
6.	lin. 8.	dele σ, 368.	—	scribe σ, 386.
	» 11.	» λ, 785.	—	» λ, 786.
	» 29.	» ι, 400.	—	» ι, 401.
» 9.	» 22.	» τ, 10. 326.		
» 16,	» 22.	» 491.	—	» 471.
» 19,	» 24.	» 400.		
» 20,	» 22.	» cf. ζ, 447.		
» 22,	» 12,	» ι, 176.	—	» ι, 177.
	» 16.	» 94.		
» 23,	» 1.	» 89.	—	» 99.
	» 25.	» 266.	—	» 246.
» 26,	» 4.	» 55.	—	» 50.
» 38,	» 35.	» 305.	—	» 338.
» 41,	» 26.	addendum est gravissimos Iliadis versus esse φ, 568. et ψ, 221.		
» 42,	» 20.	dele 592.	—	scribe 593.
	« 25.	» τ, 268.		
» 43,	» 5.	» 130.	—	» 180.

*) Inter hos gaudeo Laucrum esse futurum, qui de primo volumine benigne sententiam dixit. Sentiet hoc perlecto volumine vir doctissimus nihil ex iis omissum esse, quae desideravit, sed omnes locos, qui ad rem faciant, allatos esse. Nam quae in quaestionibus secunda et tertia desiderantur, ea ex mea ratione pertinebant ad quaestionem quartam. In eo autem fallitur quod dicit, cum producti sint tam saepe accusativi in — ῆα, et plurales in — εα desinentes ante consonas, hos locos eodem modo omnes esse explicandos et idem genus efficere. Qui si totam quaerendi rationem, qua usus sum, reputavisset, facile sibi persuasisset me hanc rem non neglexisse, sed collatis omnibus hujus rei exemplis intellexisse frustra hunc fuisse laborem.

*

pag. 43, lin. 7. dele 330.
» 333. — scribe 332.
» 25. » 238.
» 61, » 14. » ϱ, 136.
» 65, » 2. » η, 105. — » η, 106.
» 27. » ψ, 531. — » ψ, 543.
» 68, » 5. ϱ, 133. χ, 36. Bekkerus addidit ν ἐφελκυστ.
» 11. dele ω, 293. — scribe ω, 296.
» 69, » 33. » τ, 122 — » υ, 122.
» 74, » 23. » supra — » modo.
» 78, » 8. » β, 149. — » β, 145.
» 79, » 5. » εἶσεν — » εἶσαν.
» 84, » 9. » π, 522. — » π, 854.
» 92, » 30. » σ, 190. — » σ, 191.
» 93, » 5. » 108. — » 109.
» 8. » 183. — » 182.
» 27. » 361. — » 360.
» 98. » 29. » ν, 730. — » ν, 731.
» ϱ, 32. — » ϱ, 31.
» 34. » β, 724. — » ϱ, 723.
» 36. » κ, 394. — » κ, 349.
» 99, » 9. » ω, 221. — » ω, 219.
» 30. » η, 325. — » η, 164.
» 100, » 3. » ω, 221. — » ω, 219.
» 101, » 9. Ahrensius de hac re egit in Mus. Rhenan. 1842, fasc. 2. p. 161. sqq.
» 102, Adde μ, 288. — Tum lege ν, 587. et 766. — Adde ϱ, 403. — Lege χ, 198.
» 108, lin 11. Dele ν, 595. 652. Adde δ, 481. qui locus lin. 8 falso allatus est.
» 110. in annotatione lege σ, 357.
» 112, lin. 24. dele κ, 467. — scribe κ, 466.
» 138, » 10. » ι, 657. — » ι, 661.
» 139, » 13. » ϱ, 122. 559. — » ψ, 122. φ, 559.
» 141, » 26. » ϑ, 191. — » ι, 191.
» 142, » 21. » φ — » ψ.
» 145, » 25. » ψ — » φ.
» 146, » 6. » α, 375. — » α, 374.
» 147, » 2. » ξ, 151. — » ξ, 171.
» 149, » 31. ο, 313. pertinet ad arsin quartam.
» 150, » 25. dele φ — scribe ψ.
» 152, » 18. » ϱ — » σ.
» 153, » 28. » 467. — » 466.
» 154, » 15. » 56. — » 76.
» 155, » 29. » τ, 338. — » τ, 339.
» 35. » π, 236. — » π, 237.
» 156, » 1. » φ, 310. — » φ, 313.
» 157. » 4. a fin. dele 258. — » 248.
» 163, » 2. In Iliad. ο, 478. lectionem ὃ δ᾽ αἶ praebet Vindobon. quintus; sed haec lectio cum haud dubie orta sit e conjectura, merito non recepta est a Bekkero.

Scripsi mens. Decembr. 1847.

INDEX.

Quaestio quarta.

De digamma ante vocales literas initiali.

Cap. 1. De natura digammi. §§. 97—107.

Doctorum hominum quae sit de digamma sententia. §. 97.
De natura literarum spirantium, quae vocantur: s, j, h, w. §. 98.
De s, h, j, ubi sunt in mediis vocibus. §. 99.
De s, h, j, in initio vocum positis. §. 100.
Digamma est spirans litera labialis. §. 101.
Non abiit in literas duriores. §. 102.
In mediis vocibus abiit in υ, in initio vocum saepe abiit in literam ε. §. 103.
Digamma mutatum in ε ante vocalem ε efficit saepe diphthongum ει. Alias vocales evanescens reddit initio ancipites. §. 104.
Non in omnibus vocibus ad eandem radicem pertinentibus digamma pariter evanuisse. — De Ἰδομενεύς. §. 105.
De digamma aspirato, orto ex σF. — De aliis consonis obliteratis, quae nunc digammi nomine feruntur. §. 106.
De argumentis, ex quibus de digamma possit concludi. §. 107.

Cap. 2. Recensentur eae voces, in quibus initiale fuisse ante vocales digamma concluditur et ex productionibus vocalium longarum diphthongorumque et ex hiatu. §§. 108—130.

De argumentis petendis ex productionibus longarum vocalium diphthongorumque. §. 108.
De argumentis petendis ex hiatu illicito. §. 109.
De digamma pronominis personae tertiae. §. 110.
De ἁνδάνω, ἡδύς. §. 111.
De ἄστυ. §. 112.
De ἕννυμι, εἷμα, ἕσθος. §. 113.
De ἑκάς simm. — ἕκαστος. §. 114.
De ἕλιξ simm. §. 115.
De εἴκω. §. 116.
De εἶπον, ἔπος. §. 117.
De ἔργον, ἔρδω, simm. §. 118.
De ἦνοψ simm. §. 119.
De ἵεμαι. §. 120.
De radice Fιδ-. §§. 121—124.
De Ἴλιος simm. — §. 125.
De ἶφι, ἴνιον, ἶνες simm. — §. 126.
De ἴς, ἴφθιμος, Ἰάνασσα, Ἴαιρα, Ἰκάριος. §. 127.

De οἶκος simm. — §. 128.
De οἶνος simm. — §. 129.
De ἦρα, ἰτέη, ὄαρ. §. 130.

Cap. 3. Recensentur eae voces, in quibus initiale fuisse digamma nisi ex hiatu non excusato demonstrari non potest. §§. 131—141.
Vel ex hiatu illicito interdum de digamma certo potest concludi. §. 131.
a. De vocibus iis, quae incipiunt ab una syllaba brevi, quam excipit syllaba longa. §§. 132—138.
De ἄναξ simm. — §. 133.
De ἀραιός, ἕκηλος, ἑκών, ἔθειραι — §. 134.
De radice ἰκ — (ἔοικα simm.) §. 135.
De ἰωή. — §. 136.
Do ἰωκή, ἰωχμός. — §. 137.
De ἁλίσκομαι, εἴλω, ἔτης. — §. 138.
b. De vocibus iis, quae incommoda mensura non utuntur. §. 139—141.
De ἔθνος, καταείνυον, ἔῤῥω, ἤθεα, ἠρίον, οὐλαμός, οὖλος, ἆλκα. — §. 139.
De ἄγνυμι — §. 140.
De ἀρνός, Ἶρις, ἅλις. — §. 141.

Cap. 4. Recensentur voces eae, quae duplici utuntur forma: altera, in qua initiale est digamma; altera, quae hac litera eget. §§. 142—152.
De digamma initiali, quod abiit in literam ε. §. 142, a.
De ἕο, εἷο — οἷ, ἑοῖ — ἕ, ἑέ — εἰσάμενος, ἐεισάμενος — εἰλίσσω. §. 142, b.
De ὅς, ἑός. §. 143.
De ἔαρ, εἰαρινός. §. 144.
De ἕδνα, ἔεδνα. §. 145.
De εἴκοσι, ἐείκοσι. §. 146.
De ἔλπομαι simm., ἐέλπομαι simm. §. 147.
De ἔργω, ἐέργω, εἴργω. §. 148.
De ἕρση simm., ἐέρση §. 149.
De ἴσος, ἐίση — ἴσκω, ἐίσκω simm. §. 150.
De εἴρω, ἐρέω, ἐερμένος simm — εἴρομαι, ἔρεσθαι, ἐρέομαι. §. 151.
De ἐρύω, εἰρύω — ἐρύκω, ἐρητύω. §. 152.

Cap. 5. De syllabis finalibus brevibus, quae in consonas literas desinentes producuntur ante digamma. §. 153—159.
De digammi mollitie. §. 153.
a. De productione, quae est in thesi. §. 154.
b. De productione, quae est in arsi. §§. 155—159.
De productione, quae est in caesuris masculis infirmioribus: semiternaria minore, seminovenaria minore, arsi prima. §. 156.
De ordine metrico secundo. §. 157.
De semiternaria majore. §. 158.
De semiquinaria. §. 159.

Cap. 6. De syllabis finalibus brevibus, quae in consonas literas desinentes corripiuntur ante digamma. — De apocope, quae est ante hanc literam. §§. 160—168.
Quae in consonas literas desinunt syllabae breves, corripi posse ante digamma. §. 160.

Enarrantur ejusmodi correptiones omnes, quae sunt in Iliade. §§. 161—167.
Quaeritur quinam sint ejus correptionis fines. §. 167.
De apocope ante digamma. §. 168.
Cap. 7. De vocalibus finalibus brevibus productis ante digamma. §§. 169—172.
Dura est ejusmodi productio. §. 169.
De vocali ι producta ante digamma. Productiones ἀπὸ ἕο, ἀπὸ ἕθεν, θυγατέρα ἥν receptas esse ex antiquiore poesi. — De durioribus quibusdam productionibus. §. 170.
De productionibus ante ἰαχή, ἰάχω. §. 171.
De ἀποέρσειε, ἀποειπών. §. 172.

Quaestio quinta.

Quaeritur, quomodo statuendum sit de locis Iliadis, in quibus neglectum esse digamma videatur.

Cap. 1. Congeruntur quae in quaestione quarta dicta sunt. §. 173.
Quando et quibus de causis antiquior orationis forma in carm. Homericis mutata sit. §. 174.
Totius quaestionis leges quaedam constituuntur. §. 175.
Cap. 2. Corriguntur permulti Iliadis loci. §§. 176—202.
1. Restituitur augmentum syllabicum. §. 176.
2. Deletur augmentum temporale. §. 177.
3. Nonnullis locis de synizesi statuitur. §. 178.
4. Succurit quibusdam locis lectionis varietas. §. 179.
5. Permultis locis aliae vocum formae, quarum eadem notio est, restituuntur. §. 180—186.
6. Pro plurali restituitur singularis. §. 187.
7. Omittendis vocibus monosyllabis multi loci emendantur. §. 188.
ῥά — §. 188.
γέ — §. 189.
-δε — §. 190.
κέ — §. 191.
ὅγ' — §. 192.
δέ — §. 193.
τέ — §. 194.
de pronominibb. personall. — §. 195.
8. Similis ratio est locorum χ, 15. ψ. 107. — §. 196.
9. Mutatur verborum ordo. §. 197.
10. Pro ὧδ' restituitur ὧς. §. 198.
11. Simplex restituitur pro composito. §. 199.
12. De difficiliore quorundam locorum emendatione. §§. 200. 201.
13. Pro εἰδυῖα, εἰκυῖα legendum est ἰδυῖα, ἰκυῖα. §. 202.
Appendices:
1. Loci emendati enarrantur ex ordine librorum.
2. Loci emendati enarrantur ex ordine vocalium initialium.
Cap. 3. Agitur de iis locis, qui probabili conjectura sanari non possunt. §§. 203—220.
Enarrantur loci ex ordine et librorum et vocalium initialium. §. 203.

Remoto versu η, 349. 369. ϑ, 6. τ, 102. adulterino constituuntur leges ex quibus in hoc capite agendum sit. §. 204.
β, 641. 642. adulterini sunt versus. §. 205.
γ, 224. item adulterinus. §. 206.
δ, 457—544. propter digamma in vocc. ἔργον et ἐρύω neglectum ad recentiora tempora sunt referendi. §. 207.
ε, 165. adulterimus est. §. 208.
Extremam partem libri η (313—482) recentiore aetate confectam esse demonstratur. §. 209.
De ϑ, 6. iterum agitur. §. 210.
In libro ϰ interpolationes sunt: 497. 84, deinde 214—217, tum 387—389, postremo 423—431. §. 211.
λ, 111. 112. sunt adulterini. Item 690—705. ad recentissimum tempus pertinent. §. 212.
De libro μ longior instituitur disputatio, qua demonstratur: 1, omittendos esse versus π, 506. 507. 509—531. — 2, unum versum efficiendum esse ex μ, 333. et 334. — 3, ad recentissimum tempus pertinere ξ, 426. ο, 67. sqq. — 4, libros ν, ξ, ο non concinere cum libris π et ϱ. — 5, librum μ confectum esse post librum π. — §. 213.
ξ, 216. 217. χ, 128. videntur adulterini esse. §. 214.
ο, 189. adulterinus est. Versibus 390—414. continetur interpolatio. §. 215.
π, 303—376. item interpolatio est, in qua vv. 370. 371. ad recentissimam pertinent aetatem. §. 216.
ϱ, 237—262, 274—287. interpolationem contineri verisimile est. §. 217.
σ, 168. 181—186. recentior est interpolatio; antiquior interpolatio est 243—368. Versus 401. 501. in hoplopoeiam postea inserti sunt. §. 218.
τ, 102. adulterinum esse, 282—302. interpolationem recentissimae aetatis contineri, item vv. 382—385. adulterinos esse docetur. §. 219.
Librum ψ ad antiquissimum tempus non pertinere et in libro ω multa inesse recentioris aetatis vestigia demonstratur. §. 220.

Quaestio sexta.

De varia carminum Iliacorum aetate colliguntur nonnulla ex quaestionibus superioribus.

Cap. I. De syllabarum finalium brevium productione Homerica. §§. 221—234.
De productionum Homericarum majore minoreve duritia disputatur. Constituuntur earum productionum quidam gradus. §§. 221—225.
Duriores productiones enarrantur. §. 226.
Quibusdam productionibus suspicio movetur: 1, de extrema parte catalogi. — 2, de episodio libri γ (145—244). — 3, de υ, 213—259. (?). — 4, de productionibus libri ω. §. 227.
De σ, 243—355. (368) iterum disputatur. De φ, 23. et libro ψ. De ξ, 320. — §. 228.

Excusantur sententiae auctoris. §. 229.
De χ, 236. 303. 307. §. 230.
De ϱ, 193—197. §. 231.
De τ, 35. 399—424. §. 232.
De recentioribus partibus librorum δ et ε. §. 233.
Differentiam igitur esse quandam inter singulos Iliadis libros. §. 234.

Cap. 2. De vocibus encliticis in vocales longas seu diphthongos desinentibus, item de καί, ante vocales initiales in arsi male productis. §§. 235—243.
Enarrantur loci ex ordine librorum. Libr. σ, 39—49. versus sunt adulterini. Confirmatur sententia, quae supra lata est de extrema parte libri η, de majore interpolatione libri ε, de libro ψ. §. 235.
De catalogi extrema parte, de majore interpolatione libri δ, de extrema parte libri ω. §. 236.
De ω, 60. 570. §. 237.
De ο, 290. §. 238.
De extrema parte libri θ, 489—565. §. 239.
Verss. χ, 11. 12. adulterini sunt. De φ, 360. proponitur conjectura. §. 240.
De recentiore aetate libri κ. §. 241.
Eodem modo de libro μ statuendum est. Oritur suspicio de initio libri ζ. §. 242.
Demonstratur harum productionum eandem esse rationem atque productionum capitis primi. §. 243.

Cap. 3. De quibusdam Iliadis versibus, qui utuntur malis caesuris. §§. 244—250.
De malis caesuris pedis tertii. §. 244.
De quibusdam caesuris trochaicis pedis quarti. §. 245.
De amphibracho in extremis versibus compluribus male repetito. §. 246.
Enarrantur loci ex ordine librorum. §. 247.
De initio libri ζ, de libro μ, de priore parte libri τ. §. 248.
De libro ο. §. 249.
Libri κ, σ, ν leviter tanguntur. §. 250.

Cap. 4. De syllab. final. brev., quae in conson. literas desinentes producuntur in thesi ante digamma. Item de his syllabis correptis ante οἱ in thesibus firmioribus, prima et quarta. §. 251.
De ζ, 1—118. et 237—312. De libro ψ. §. 251.
(Additur tabula, qua ex ordine librorum continentur ea, quae minus bona esse quatuor capitibus superioribus demonstravimus. Pag. 185.)

Cap. 5. Comparantur hymni Homerici, qui sunt in Venerem et in Cererem. §§. 252—266.
1. Agitur de hymno, qui est in Venerem. §§. 252—259.
De digamma. §§. 253—256.
De productionibus. §. 257.
Major interpolatio continetur vv. 224—247. §. 258.
Verisimile est hymnum eadem aetate confectum esse atque librum Iliadis ε. §. 259.

2. De hymno, qui est in Cererem. §§. 260—266.
De digamma. §§. 260—263.
Recentior est hymnus quam hymnus in Venerem. §. 264.
Item recentior quam pleraeque partes Iliadis. §. 265. 266.
Cap. 6. De novissimo interpolatore Iliadis. §§. 267—270.
Cap. 7. Ex superioribus ea ex ordine librorum colliguntur, ex quibus de varia carminum Iliacorum aetate statui potest. §§. 271—305.
Quarumnam rerum in hoc capite ratio habenda sit quaeritur. §. 271.
De libro α. §. 272.
De libro β. §. 273. 274.
1. De verss. 1—483. §. 273.
2. De verss. 484—877. §. 274.
De librorum γ, δ, ε partibus antiquioribus: γ, 1—145. 245—461. δ, 1—222. ε, 1—448. §. 275.
De γ, 145—244. δ, 223—456. §. 276.
De δ, 457—544. §. 277.
De antiquioribus partibus librorum ζ, et η (ζ, 119—236. 313—529. η, 1—312). §. 278.
De extrema parte libri ε (449—909). Item de ζ, 1—118. et 237—312. §. 279.
De extrema parte libri η (313—482). §. 280.
De ϑ, 1—488. §. 281.
De extrema parte libri ϑ (489—565). §. 282.
De priore parte libri ι (1—182?). §. 283.
De posteriore parte libri ι (183—713). §. 284.
De libro κ. §. 285.
De libris λ, μ, ν, ξ, ο. §§. 286—292.
1. De ν, 39—837. §. 287.
2. De ξ, 153—353. §. 288.
3. De libro λ. §. 289.
4. De libro μ. §. 290.
5. De reliquis partibus librorum ν et ξ, (ν, 1—38. ξ, 1—152. 354—522) item de libro ο. §§. 291. 292.
De libro π. §. 293.
De libro ρ. §. 294.
De libro σ. §§. 295. 296.
1. De posteriore parte libri (356—617). §. 295.
2. De parte priore (1—355). §. 296.
De libro τ. §. 297.
De libro υ. §§. 298. 299.
De libro φ. §§. 300—302.
1. De antiquioribus libri partibus (228—384. 515—611). §. 301.
2. De recentioribus partibus (1—227. 385—514). §. 302.
De libro χ. §. 303.
De libro ψ. §. 304.
De libro ω. §. 305.
Cap. 8. Conclusio.
Licet ex his metricis quaestionibus statuere de sex aetatibus carminum Iliacorum.

QUAESTIO QUARTA.

DE DIGAMMA ANTE VOCALES LITERAS INITIALI.

Caput primum.

De natura digammi.

§. 97. — Digamma litera quomodo apud Homerum in usu fuerit, licet saepe multumque de hac re egerint viri doctissimi, hucusque nondum constat. Notum est Bentlejanam sagacitatem vestigia hujus literae apud Homerum primam vidissse, nec tamen ad finem perductam esse hanc quaestionem a viro doctissimo (cf. Thiersch. §. 162). Incaute de hac re egerunt Payne-Knight, Heynius, Spitznerus. Horum illi quidem ubique digamma viderunt; sed vera commiscuerunt et falsa, quippe qui nec certa suae sententiae argumenta accurate quaererent, et multa molirentur, quae ne speciem quidem veritatis prae se ferrent. Nec plus profecit Spitzneri summa diligentia nullum omnino digammi vestigium apud Homerum agnoscens. Patet non accurate de productionibus brevium syllabarum quaesivisse hunc virum, nec de hiatu satis caute egisse; diphthongorum vero longarumque vocalium, quae sunt in hiatu productiones plane neglexit. Ita evenit, ut nec illi cuiquam persuaderent neo hic.

Multo melius de hac litera egit Thierschius. Sed ad quam sententiam et ipse postremo est delatus, in iisdem vocibus eodem tempore et fuisse digamma et non fuisse; hanc vix in una alterave voce valere ex historia linguarum nunc satis constat. Cf. §. 90. Et Prisciani nulla est in hac re auctoritas. Patet autem, quamvis post Thierschium multi iverint in hanc sententiam, veluti Vossius ad hymn. in Cerer. 140., totam hanc questionem, si ita res se habet, ne minimi quidem esse pretii. Sed non est ita.

Igitur etiam Thierschio melius de hac re egit Hermannus. Quae hujus viri est de digamma Homerico sententia, ejus compendium confecit ad hymn. in Vener. v. 86. Fallitur tamen duabus in rebus. Putat elisiones quarundam particularum (nam quod valet in particula δέ, in aliis valeat necesse est) huic literae non obstare; obstare tamen brevium syllabarum in consonas literas desinentium correptiones. Quod utrumque ut est falsum, ita alterum alteri obstat.

Atque de Homerico digammi usu post hos viros accurate disputatum non est. Attamen id postea est effectum, ut constet digamma in linguae Graecae quibusdam dialectis ne recentioribus quidem temporibus defuisse. Cf. Ahrens. de dialect. Graec. p. 30. all. Hinc de antiquioribus dialectis, qualis est Homerica, licet concludere. Quamquam patet digamma Homericum nisi ex ipsis carminibus Homericis non posse domonstrari.

Hoc priusquam faciamus nosmet ipsi (fatemur autem ingenue nos sperare fore ut nostra disputatione haec lis dirimatur), necesse est quaeramus in universum de digammi natura.

§. 98. — Haec quaestio, nisi de natura reliquarum literarum spirantium ante breviter quaesiverimus, absolvi non potest.

Sunt autem literae spirantes, quae nunc dicuntur, om-

nino quatuor: s, j, h, w. Litera s efficitur dentibus, j consona efficitur palato, h efficitur gutture, w efficitur labris. Has literas medias esse inter literas mutas et vocales satis constat, nec ignoramus hodie multis modis eas in vocibus evanuisse. Mollisimae sunt enim consonae; quae quo sunt molliores, eo facilius et obliterantur et varie mutantur. Quod hoc facilius accidit apud Graecos, quod fuit gens in pronuntiando quodammoda fastidiosa. Patet tamen ne in Graeca quidem lingua antiquitus harum literarum unam defuisse. Utebantur enim etiam Graeci iisdem articulis, quibus utuntur ceterae gentes: dentibus, palato, gutture, labris.

§. 99. — Agimus primo loco de spirantibus s, h, j, ubi hae sunt in mediis vocibus.

Atque s harum literarum firmissima est. Quae etsi saepissime in mediis vocibus servabatur, tamen non raro est obliterata. Tum potissimum accidit, cum media fuit haec litera inter vocales duas. Constat ita factum esse *γένεος* ex *γένος-ος* (g e n e r - i s), *γένες-ος*, all.; *τύπτου* ex *τύπτεσο*, *τύπτεο*; *ὑψοῦ* ex *ὑψόσε*. Excidit igitur saepissime haec litera nullum sui vestigium relinquens. Sed est etiam, ubi vocalem priorem producat. Unum addimus exemplum, quod est instar omnium. Etenim *φλοιός* quin idem sit atque Latinorum f l o s, f l o r - i s (f l o s i s), dubitari vix potest. Hinc concludimus voces *ὁμοῖος*, *παντοῖος*, *ὁποῖος*, initio fuisse *ὁμόσος*, *πάντοσος*, *ὁπόσος*. Restant enim adverbia *ὁμόσε*, *πάντοσε*. Mutata forma paullulum mutata est harum vocum vis. Eodem modo quin ortus sit initio genitivus in — *οιο* equidem non dubito. Fuit *ἄνεμος*, *ἀνέμοσο*. Duo sunt enim declinationis substantivorum adjectivorumque genera. Alterum est, quod utitur genitivo qui desinit in os; alterum in genitivo omittit literam s finalem: *παιδός* — *Ἀτρείδαο*, *ἀνέμοιο*. Et eodem modo se habent declinationes Latinae: n a v - i s, e x e r c i t u - i s — R o m a i, E p h e s o i, s p e i.

Litera h spirans (differt haec ab litera h aspirata) in

mediis vocibus apud Graecos in usu non fuit. Mitto enim Lacedaemoniorum μῶἁ, qua in voce spiritus asper ortus est ex litera σ. Mitto etiam interaspirationem, de qua egit Lehrsius in Aristarcho, pag. 316. sqq.

Litera j consona Graecos egere dixit Quintilianus. Egebant sane ipsius temporibus. Sunt tamen ejusdem literae, quae mediis quidem in vocibus antiquitus in usu videtur fuisse apud Graecos, tenuissima quaedam vestigia, quae supra demonstravimus, cf. §. 92. Abiit enim in hanc literam litera ι brevis, ubi fuit post consonas *) ante vocales, eodem modo quo factum est apud Gothos Germanosque, cf. sand-j-an, nostrum senden, all. Ita oriuntur ὑπολίζων ex ὀλιγίων, (ὀλίγος); Ζεύς ex Διεύς; ζάθεος sim. ex διάθεος **). Quae cum ita sint, patet θάσσων, βράσσων, ἧσσον, ἆσσον orta esse ex ταχjων, βραδjων, ἡκjων, ἀγχjον. Ita fit ut plurimis in comparativis producatur ea vocalis, quae est ante terminationem ιων, cf. Buttm. §. 67. not. 3. Mitto nunc verba, veluti τάσσω, et substantiva nonnulla veluti φύζα all.

§. 100. — Quomodo se habent hae literae ubi sunt in vocum initio?

J consona apud Graecos in initio vocum non invenitur. Mature est obliterata aut abiit in spiritum asperum, cf. Ahrens d. d. I, p. 24. sqq.

Nec h satis firma fuit litera; umbra est literae, pronun-

---

*) Hoc neglexisse videtur Ahrens. d. diall. I, p. 47. sqq.

**) Certe ζάδηλος apud Alcaeum, 10. 8. Schneidew., aperte est διάδηλος, pellucidus, h.e. scissus (καὶ λακίδες μεγάλαι κατ' αὐτό). Falluntur igitur Hartung. de part. I, p. 350. Naegelsbach. Annot. p. 9. Ahrens. I, p. 46. At augendi vis inest in ζάθεος! Concedo hanc non inesse in ζάδηλος. Sed nonne prope accedunt ad hanc notionem nonnulla composita, veluti διαείδεται Jliad. ν, 277, coll. εἴσατο Odyss. ι, 281?

tiationis quasi genus. Haec etiam litera paulatim debilitabatur, evanuit fere apud Jones.

Utrâque firmior est litera s. Hanc initialem ante multas quidem literas consonas satis mature evanuisse supra demonstravimus, §. 92. 5. Sed ne ante vocales quidem semper servata est. Abiit saepissime in spiritum asperum: ἕξ, ἕπτα, ἕρπω. Ita oritur εἷρπον ex σέσερπον, εἷλκον ex σέσελκον (cf. Latinorum sulcus, ὅλκος). Sed vel asper spiritus debilitatur in voce ἔχω. Retinuit eum futurum ἕξω. Quin fuerit σέχω dubitari non potest, coll. ἔσχον h. e. ἔσεχον. Cf. ἑσπόμην, σεσεπόμην, sequor. Itaque non dubito quin συνεχές, producta antepenultima, antiqua mensura utatur, orta ex συνσεχές. Cave hanc vocem confundas cum iis vocibus, quae ob metricam versus heroici rationem producunt breves syllabas, veluti ἀθάνατος, ἀπονέεσθαι, ἀποδίωμαι.

Quum ea ita sint, patet multarum vocum mensuram Homericam originem habere ex antiquiore lingua. Sed difficile est de his quaerere, quod doctioribus relinquimus. Id tantum addimus, nos hanc ob causam compositorum minus rationem habuisse. Apparet haec non eodem modo se habere omnia, quo se habent productiones syllabarum finalium brevium. Noluimus etiam de productione, quae est in βέλος ἐχεπευκές libb. α, 51. δ, 129. eandem sententiam dicere, quam tulimus de συνεχές. Potest tamen esse formula metrica antehomerica.

§. 101. — Venio ad digamma ante vocales literas initiale. Equidem si dico digamma, literam spirantem labialem intelligo, nostrum w; non quamvis literam antiquam postea amissam. Non intelligo literam χ, amissam in λιαρός; non κ, amissam fortasse in ὥρα; non σ, amissam in νίψ; all.*).

*) Ceterum non nego, nonnullis in vocibus digamma abire potuisse in alias literas. Nam idem accidisse in litera σ, quae saepissime abiit in spiritum asperum, ipse demonstravi. Cf. proxima. Nunc dico antiquissimam literae naturam.

Labialis est igitur spirans digamma. Hanc antiquis temporibus non defuisse in lingua Graeca, eo minus potest dubitari, quod litera j, Graecis molestissima, non defuit; et quod a nonnullis gentibus Graecis etiam recentissimis temporibus servabatur. His omnibus dialectis, quales nos novimus, cum multo antiquior sit Homerica; dubitari non potest, quin apud Homerum nonnullis in vocibus servata sit haec litera.

Patet autem de digamma concludi posse et ex linguis cognatis et ex ipsius linguae Graecae dialectis. Sed nisi ex labialibus literis de digamma concludere non licet.

Labiales literae sunt v, w, b, p, f, m. Harum durissima cum sit p, mollissima w; patet maximam esse harum literarum differentiam. Ac ne unum quidem inveni exemplum, in quo digamma initiale abierit in π; et ubi in lingua Latina legitur p, eadem litera obtinet in eadem radice in lingua Graeca. Ab reliquis vero labialibus si incipiunt voces in linguis et Latina et Germanica, patet eandem radicem apud Graecos antiquissimis temporibus non eguisse litera labiali. Quae si evanuit, mollis fuerit necesse est; spirans igitur plerumque fuit, reliquis labialibus mollior. Tali modo concludentes haud facile fallemur, et succurrunt saepissime quaedem dialecti Graecae. Addo ex litera Germanica b tum tantum de digamma posse concludi ubi eadem excipitur litera consona. Idem valet in Latinorum f. Sed hanc rem supra demonstravimus. Contra ex Latinorum v, nostro w, etiam ante vocales si deest consona initialis, de digamma recte concluditur. Eodem modo se habet nonnullis in vocibus nostrum f, si antiquioribus temporibus fuit v, aspirata litera. Non enim dubito ad eandem radicem referre ἄστυ et nostrum f e s t, v e s t, quod olim fuit f a s t i. Sed rarius accidit. — Superest cognatarum linguarum litera m. Fateor, nisi alia adduntur argumenta, ex hac litera de digamma vix posse concludi. Attamen constat vocem ἄναξ digamma uti; et est sane eadem radix, quae est in ἀν-ήρ. Est nostrum m a n. Hoc cum satis certum sit, sequitur ut ex La-

tinorum mas (măris), Mars possimus quidem concludere de antiquo digamma vocum Ἄρης, ἄρσην, ἄρνες.

Sed si licet ita concludere de antiquiore lingua Graeca, tamen patet Homeri temporibus has voces non omnes digamma fuisse ornatas. Multis in vocibus plane evanuerat, in aliis varie erat mutatum. Utrumque fieri potuisse ex eo efficitur, quod reliquae literae spirantes et ipsae varie sunt mutatae. Oritur igitur quaestio, quonam modo mutata sit haec litera apud Homerum, ad quem solum revertimur, in vocum initio, si excipitur litera vocali. Mittimus nunc eas hujus literae mutationes, quae sunt in mediis vocibus. Has aliquando docebit Ahrensius. Nos id agimus, ut, si fieri potest, e metrica carminum Homericorum ratione de varia horum carminum aetate concludamus. Qua in re paene nihil juvamur iis, quae fiunt in mediis vocibus. Haec accepit plerumque Homerus, et ipso sunt saepissime antiquiora. Hac in re quis non meminerit nostrarum vocum satis multarum, veluti, ne exempla desint, nachtigal, bräutigam, obrist. Constat haec antiquissimorum temporum (saec. 9—11.) monumenta hodie servari. Quibus qui utitur, num reliquis etiam in superlativis utitur litera i, sim.? Unum attuli exemplum, sexcenta dare poteram.

§. 102. — Et primum digammi loco invenitur litera γ in voce γέντο. Vix putaverim hanc vocem pronuntiatam esse gento, sed wento (Fέντο); scribendi errore factum est γ. Cf. Ahrens. d. d. I, p. 73.

Ita ut statuam maxime ea re commoveor, quod durior est litera γ quam digamma. Jam, quod sciam, nullum praeter has voces invenitur apud Homerum exemplum, in quo digamma in duriorem literam abierit. Numquam mutatum esse videtur in β (Ahrens. I, p. 32. sqq.); numquam in π seu φ (ph), nisi forte hoc accidit in σφός post literam σ. Sed vel haec res admodum dubia videtur esse. Quae cum ita sint, patet etiam in voce μία literam μ non ortam esse ex digamma

vocis ἴος, ἴῃ, ἴον. Nam vel hac in voce digamma Homericum demonstrari non potest.

Igitur digammi in duriores literas commutati apud Homerum certa indicia non sunt.

§. 103. — Contra saepissime in mediis vocibus in molliorem literam υ abiit digamma. Hujusmodi voces Homericas nonnullas supra demonstravimus, veluti ταλαύρινος, καλαῦροψ θεουδής. Fit maxime ante literas consonas. Sed patet tamen molliri potuisse hanc literam. Quaeritur igitur, quonam modo molliatur in initio vocum ante vocales.

Respondeo abire saepissime apud Homerum in vocalem initialem ε. Intelligitur facile me non dicere augmentum, quod est in ἔειπον, all.; sed earum vocum habere rationem, quae binis utuntur formis, veluti ἶσος, ἔισος; ἔλπομαι, ἐέλπομαι; ἕδνα, ἔεδνα. Agemus de his infra, §. 142. Id constat, eas formas, quae utuntur ε addito, apud Homerum digamma non uti; exceptis tamen perfectis, quae fiunt per reduplicationem, veluti ἔοικα, ἔολπα. Sed ubi deest illud ε, digamma valet initialis litera.

Sunt tamen, qui putent digamma fuisse post literam ε. Ita censet Heynius. Demonstrent ita fuisse! Sed non poterit demonstrari. Non enim solet aliis in vocibus abundare litera ε initialis (augmentum mitto); cur igitur abundat tam saepe ante digamma? Et obstat id potissimum, quod εε saepissime contrahitur in εἰ (εἰρύω, εἰαρινός all.) Patet igitur digamma abiisse in literam ε.

Quae cum ita sint, dubito num recte Ϝάστεος scripserit Boeckhius pro ἐάστεος, quam certam esse emendationem dixit Ahrens. d. d. I, p. 170; nec minus incerta est emendatio Ϝοικία pro ἐοικία, quae eodem loco memoratur. Eo magis autem offendor hac Ahrensii sententia, quod ipse in ima pagina addit, formas pronominis tertiae personae (mitto vitium typograph.), quae incipiant ab litera ε, digamma ignorare apud Homerum. Quamquam ne hoc quidem verum est.

§. 104. — Haec igitur prima fuit digammi ante vocales initialis mutatio. Mox altera successit, ut coalesceret illud ε, quod ex digamma diximus ortum, cum vocali proxima. Nec hujus rei indicia desunt in lingua Homerica.

Etenim ἰ, si excipitur altero ε, cum hoc coalescit in diphthongum ει. Ita exsistit εἰρύω, nec alio modo se habet εἰαρινός. *) In his formis digammi apud Homerum nullum est indicium. Patet eodem modo fortasse ortum esse εἰοικυῖα (Spitzner ad σ, 418. θ, 308.) ex ἐϜοικυῖα, ἐοικυῖα; sive ex ἐεϜοικυῖα (h. e. ϜεϜοικυῖα).

Quod cum ita sit, patet ex antiquis literis Ϝα oriri posse ἐα. Jam literae ἐα initiales possunt fortasse abisse in ᾱ longum. Haec antiquior literae α initialis mensura servari videtur apud Homerum in vocibus ἀνήρ, Ἄρης, quae digamma egent apud Homerum (cf. §. 101.), sed saepissime initialem vocalem producunt in arsi. Contra ἄν-αξ, ad eandem radicem (man) pertinens, uti servat in universum literam Aeolicam apud Homerum, ita ne semel quidem producit vocalem initialem.

Haec attuli, ut qui me sunt doctiores accuratius de his rebus quaerant. Id patet, non valere digamma, si fit contractio.

Attamen facere non possum, quin nonnullas voces commemorem, quarum mensura vocalis initialis anceps ex antiquo digamma, postea soluto, originem videtur ducere. Fateor huc pertinere mihi videri voces permultas; non omnes huc pertinere, quae hac mensura utuntur, facile perspicitur. Nam veluti in ἐπειδή (χ, 379. all.) quis cogitaverit de antiquo digamma? Sed in mentem venit Ἀπόλλων, pestilentiae deus et subitae mortis, qui interfecit Pythonem ex lutulenta tellure (Ovid. Met. I. 434.) natum; cujus oraculum est ubi vapores e rima tolluntur. Atqui saepissime producitur hujus nominis syllaba prima. Hanc ob causam ab antiqua radice Ϝαπ- (Lat. văpor)

*) Cave confundas cum his vocibus ea verba quae radicis brevem vocalem producunt in praesenti.

vocis ἷος, ἷῃ, ἷον. Nam vel hac in voce digamma Homericum demonstrari non potest.

Igitur digammi in duriores literas commutati apud Homerum certa indicia non sunt.

§. 103. — Contra saepissime in mediis vocibus in molliorem literam *υ* abiit digamma. Hujusmodi voces Homericas nonnullas supra demonstravimus, veluti ταλαύρινος, καλαῦροψ θεουδής. Fit maxime ante literas consonas. Sed patet tamen molliri potuisse hanc literam. Quaeritur igitur, quonam modo molliatur in initio vocum ante vocales.

Respondeo abire saepissime apud Homerum in vocalem initialem *ε*. Intelligitur facile me non dicere augmentum, quod est in ἔειπον, all.; sed earum vocum habere rationem, quae binis utuntur formis, veluti ἶσος, ἐΐσος; ἔλπομαι, ἐέλπομαι; ἕδνα, ἔεδνα. Agemus de his infra, §. 142. Id constat, eas formas, quae utuntur *ε* addito, apud Homerum digamma non uti; exceptis tamen perfectis, quae fiunt per reduplicationem, veluti ἔοικα, ἔολπα. Sed ubi deest illud *ε*, digamma valet initialis litera.

Sunt tamen, qui putent digamma fuisse post literam *ε*. Ita censet Heynius. Demonstrent ita fuisse! Sed non poterit demonstrari. Non enim solet aliis in vocibus abundare litera *ε* initialis (augmentum mitto); cur igitur abundat tam saepe ante digamma? Et obstat id potissimum, quod ἐε saepissime contrahitur in εἰ (εἰρύω, εἰαρινός all.) Patet igitur digamma abisse in literam ἐ.

Quae cum ita sint, dubito num recte Fάστεος scripserit Boeckhius pro ἐάστεος, quam certam esse emendationem dixit Ahrens. d. d. I, p. 170; nec minus incerta est emendatio Fοικία pro ἐοικία, quae eodem loco memoratur. Eo magis autem offendor hac Ahrensii sententia, quod ipse in ima pagina addit, formas pronominis tertiae personae (mitto vitium typograph.), quae incipiant ab litera *ε*, digamma ignorare apud Homerum. Quamquam ne hoc quidem verum est.

§. 104. — Haec igitur prima fuit digammi ante vocales initialis mutatio. Mox altera successit, ut coalesceret illud ε, quod ex digamma diximus ortum, cum vocali proxima. Nec hujus rei indicia desunt in lingua Homerica.

Etenim ι, si excipitur altero ε, cum hoc coalescit in diphthongum ει. Ita exsistit εἰρύω, nec alio modo se habet εἰαρινός. *) In his formis digammi apud Homerum nullum est indicium. Patet eodem modo fortasse ortum esse εἰοικυῖα (Spitzner ad σ, 418. θ, 308.) ex ἐϜοικυῖα, ἐοικυῖα; sive ex ἐεϜοικυῖα (h. e. ϜεϜοικυῖα).

Quod cum ita sit, patet ex antiquis literis Ϝα oriri posse ἐα. Jam literae ἐα initiales possunt fortasse abisse in ᾱ longum. Haec antiquior literae α initialis mensura servari videtur apud Homerum in vocibus ἀνήρ, Ἄρης, quae digamma egent apud Homerum (cf. §. 101.), sed saepissime initialem vocalem producunt in arsi. Contra ἄν-αξ, ad eandem radicem (man) pertinens, uti servat in universum literam Aeolicam apud Homerum, ita ne semel quidem producit vocalem initialem.

Haec attuli, ut qui me sunt doctiores accuratius de his rebus quaerant. Id patet, non valere digamma, si fit contractio.

Attamen facere non possum, quin nonnullas voces commemorem, quarum mensura vocalis initialis anceps ex antiquo digamma, postea soluto, originem videtur ducere. Fateor huc pertinere mihi videri voces permultas; non omnes huc pertinere, quae hac mensura utuntur, facile perspicitur. Nam veluti in ἐπειδή (χ, 379. all.) quis cogitaverit de antiquo digamma? Sed in mentem venit Ἀπόλλων, pestilentiae deus et subitae mortis, qui interfecit Pythonem ex lutulenta tellure (Ovid. Met. I. 434.) natum; cujus oraculum est ubi vapores e rima tolluntur. Atqui saepissime producitur hujus nominis syllaba prima. Hanc ob causam ab antiqua radice Ϝαπ- (Lat. văpor)

*) Cave confundas cum his vocibus ea verba quae radicis brevem vocalem producunt in praesenti.

mihi quidem videtur descendere. Nescio tamen, utrum deductione facta sit haec vox, an compositione. Potest esse vaporibus interficiens (ὄλλυμι).

Eodem modo mihi explico ancipitem antepenultimam vocis Ὄλυμπος (Οὔλυμπος). Hanc vocem deduxerim a volvo, ut sit principio coelum, quod vertitur. Fateor dubium hoc esse.

Eodem refero ὄφιν, quod producta antepenultima legitur μ, 208. Potest tamen alio modo explicari.

Verisimilius est, vocem ὕδωρ hanc ob causam nonnullis locis legi producta vocali ῡ. Constat enim in hac voce antiquitus fuisse digamma, Ahrens. I, p. 29. Id enim offendit maxime, quod ne una quidem vox digammi ante υ initiale apud Homerum habet indicia. In spiritum asperum digamma num abierit ante υ, quae Ahrensii est sententia, dubito equidem.

Nolo quidem de hac re plura disserere; sed ne plane contemnatur haec mea sententia, nonnulla addam necesse est. Etenim nota illa plusquamperfecta ἐώλπειν, ἐώργειν, ἐῴκειν, quin hanc ipsam ob causam producant antepenultimam vix potest dubitari. Hoc enim certissimum videtur esse, in mediis vocibus digamma multo maturius inter duas vocales fuisse commutatum, quam in initio vocum; quod idem accidit in litera σ, quam supra demonstravimus. Ita ancipitem vocalem initialem vocis ἀΐσσω explico; sed in hac voce digamma fuit post α. Cf. Latinorum avis: h. e. animal, quod (in auras) se tollit. Eadem radix ἀϜ-est in αἰετός, ἀετός.

Sed finem facio conjiciendi. Satisfeci mihi, si demonstravero, soluto digamma initio ancipitem fieri vocalem initialem. Quod si ita est, patet eodem modo explicari posse literam η in imperfecto ἐήνδανον. Nec minus patet, si in mediis vocibus facilius solvitur inter duas vocales digamma, et imperfectum ἐῳνοχόει Homeri temporibus fieri potuisse et ἐήνδανον; licet οἶνος et ἀνδάνω digamma iisdem temporibus uterentur. Εὔαδεν ita oritur ex ἔϜαδεν.

§. 105. — Alteram indicavi digammi initialis ante vocales mutationem. Tertia est si plane evanescit haec litera. Hoc si factum est, patet vocalem initalem, si per se corripitur, posse corripi. Itaque in ἀνήρ, Ἄρης rell. ne vestigium quidem restat digammi.

Ceterum hac in re id ante omnia est tenendum, non in omnibus vocibus, quae ad eandem pertinent radicem, eodem tempore evanescere hanc literam. Hoc enim omnibus in linguis accidit, ut voces deductae recedant a natura radicis. Verba quidem antiquae radicis formae sunt tenacissima. Ita verbi ἄγνυμι digamma proditur nonnullis hiatibus apud Homerum. Quae deducta sunt substantiva, veluti ἀκτή (ἄχνη?) digamma apud Homerum ignorant; evanuerat in his radicis notio. Ita ὀργή digamma amisit, retinuit ἔργον. Eandem sententiam infra dicemus de ἶνες, ἶφι, ἴς; quorum quod ultimo loco posuimus, ἴς, digamma apud Homerum vix utitur; retinent hanc literam et ἶνες et ἶφι. Nam vocem Ἰδομενεύς taceo, quae incredibili erore et a Thierschio et a Spitznero refertur ad ἰδεῖν. Pertinet ad montem Cretae Idam eodem modo, quo Ἰδαῖος ad montem Asiae; id quod vel mensura literae ι demonstratur.

§. 106. — Superest ut addam discrimen esse apud Homerum inter eas voces, quas digamma ornatas fuisse verisimile est. Harum eae, quae utuntur spiritu aspero, in initio antiquitus plerumque habuerunt literas σF. Huc pertinet pronomen tertiae personae οὗ, οἷ, ἕ; possessivum ὅς, quod, digamma soluto in literam ε, fit ἑός; ἑκυρός; ἁνδάνω, ἡδύς (rad. est ἁδ-), all. Confer voces Latinas et Germanicas: sui (h. e. svi), suus; swâger; suad-eo, suavis, cf. Ahrens. d. d. I, p. 29. Minus mihi constat de vocibus ἑκάς et ἕκαστος (quae ad eandem radicem videntur pertinere cum Latinorum sec-are, secus), ἑκών. Demonstrabimus infra, has voces et similes nonnullas apud Homerum incepisse a litera consona;

sed utrum haec fuerit σ, an σF initiales fuerint literae, demonstrare non possumus.

Contra quae leni utuntur spiritu a solo digamma antiquitus videntur incepisse. Patet igitur ex antiquissimis inde temporibus differre radices vocum ἔτης et ἕταρος, licet in utraque voce subsit paene eadem notio cognationis. Harum illa digamma utitur apud Homerum, in hac deperiit. Licet igitur in mentem veniat vox Germanica vetter, tamen spiritu differunt inter se voces Graecae.

Quod relicuum est, moneo lectores me, sicubi mihi non constet, qualis fuerit litera initialis earum vocum, quae apud Homerum a consona incipiunt, in universum dicere digamma instructas fuisse eas voces.

---

§. 107. — His peractis restat ut eas demonstremus voces, in quibus digamma initiale valet in Jliade. Valuisse hanc literam tribus potissimum rebus potest probari; productionibus vocalium longarum seu diphthongorum, hiatu, productionibus syllabarum finalium brevium. Ad haec argumenta accedunt alia nonnulla, quae cum ad singulas tantum pertineant voces, non ad omnes, suo loco addentur. Odysseam nisi in iis vocibus, in quibus de digamma ex Iliade minus certo potest concludi, non adhibemus plerumque.

Caput secundum.

Recensentur eae voces, in quibus initiale fuisse ante vocales digamma concluditur et ex productionibus vocalium longarum diphthongorumque et ex hiatu.

§. 108. — Certissima digammi testimonia ea esse, quae

peti possunt ex productionibus vocalium longarum diphthongorumque, apparet ex iis, quae de his productionibus supra diximus. Haec bene teneant lectores.

Atque minus certa sunt ea argumenta, quae peti possunt ex his vocalibus productis in arsi; exceptis iis vocibus, quas demonstravimus §. 60. Putat quidem Hermannus φράσομαι, τελέσαι, ἔμεναι all., ubi producantur in arsi quarta, digamma prodere (ad h. in Vener. 86); at sunt tamen ejusmodi productiones satis multae. Itaque hae possunt adhiberi, si plura sunt praeterea argumenta; ex his solis certo concludere non licet. Vix ex quinta arsi concluserim α, 604. all. Contra quas voces enarravimus in fine §. 60., hae si vel in arsi producuntur, certissimi sunt digammi testes.

Multo certius ex his syllabis de digamma concluditur, si producuntur in thesi. Sed vel hac in re caute est agendum. Nam nisi alia sunt digammi argumenta, ex thesi prima vix potest concludi, nisi ubi caesura est post arsin pedis primi.— Paullo certiora argumenta praebet ea productio, quae est in fine pedis quarti, licet caesura mascula plane desit. Nam in fine pedis quarti paullo rarior productio est, nec solent in hac versus regione eae terminationes produci, quae sunt levissimae, veluti αι et ει. Minus certo concludi potest vel hac in caesura ex productis quibusdam terminationibus nominum, veluti ῃ, η, ῳ, ου. Certius concluditur ex producta dipthongo οι; certius etiam ex αι et ει. — Itaque certissima digammi indicia videntur esse, si producuntur in thesi eae voces, quas demonstravi §. 60. Deinde, si in thesi tertia, quinta, secunda producuntur vocales longae, maximae eae, quas leviores esse demonstravimus. Tum, si in thesi prima post caesuram masculam, interpunctione firmatam (§. 47, pag. 55), producuntur; aut in thesi quarta, praevalente caesura semiseptenaria. Alia nonnulla, quae per se intelliguntur, nunc mitto, brevitati studens.

Ceterum non nego, vel his in rebus nonnullis locis nos

posse falli. Nam vocem *μοι*, in altera thesi in hiatu productam *α*, 505. supra demonstravimus. Possunt talia etiam aliis locis fieri. Nec tamen facile fallemur, cum plerumque multa sint indicia. Illud enim unicum est ejusmodi exemplum.

§. 109. — Non minus certa argumenta ex hiatu illicito (h. e. non excusato, §. 67. init.) petuntur. Mittimus enim hiatum, qui aut ex metrica versus ratione habet excusationem, aut ex natura vocalis finalis. Qui supersunt hiatus illiciti, quos demonstravimus §. 67., et sunt pauci, et nonnullis in libris ne unus quidem invenitur. Jam si ante unam vocem *ἴδον* hiatus illicitus paene centum locis legitur, ante *ἕκαστος* paene quinquaginta; quis hoc numero non adducatur, ut de digamma statuat? Addimus igitur maximi esse momenti eum hiatum, qui est in pede tertio post caesuram majorem (§. 65.) Ejusdem momenti est, qui est post caesuram masculam praevalentem in pedibus primo et quarto. Prope accedit hiatus qui est in pede quinto et secundo.

Restat ut singulas voces enarremus. Harum quae sunt deductae ad radicem revocantur. In reliquis vocalium ordinem sequimur; primo tamen loco ponentes pronomen tertiae personae, ne distineantur quae unum efficiunt et sibi ferunt auxilium.

§. 110. — Pronominis tertiae personae quae sunt singularis formae, *ἕο, εὗ, ἕθεν, οἷ, ἕ*, digamma utuntur omnes certissimo. Nec dubitant fere viri docti, quin his quidem in vocibus valuerit apud Homerum digamma. Mitto enim Spitznerum, quem constat nulla in voce hanc literam agnovisse. Ahrensii sententiam attuli §. 103. s. fin; quam ex paucissimis ejusdem verbis nondum satis perspicio.

1. Atque dativum *οἷ*, qui legatur saepissime, primo loco nominamus.

a. P r o d u c u n t u r ante hanc vocem in thesi tertia *καί*:

ζ, 91. ϑ, 331. ι, 591. κ, 213. ν, 420. ξ, 93. τ, 332. — αἵ: ω, 479. αἵ: ν, 710. Sufficiunt haec excempla. Quare nolo rationem habere earum productionum, quae sunt in thesi prima: ι, 24. χ, 203. ψ, 560.

In arsi producuntur καί: κ, 328. ψ, 564. (est arsis quinta). Cf. ζ, 93. 274. ι, 156. λ, 789. μ, 350. π, 829. ϱ, 273. 570. σ, 142. υ, 410. φ, 121. χ, 114. ω, 514. 537. — ἐπεί: μ, 407. ϱ, 577. — In prima arsi infirmissima (§. 75, 3.) productio est vocis οἵ (qui): ζ, 316. ι, 586. Eadem vox producitur in arsi altera ξ, 430. In quinta producitur αἵ: λ, 228.

b. In hiatu legitur (liceat ita dicere) post finem pedis tertii multis locis: ϑ, 216. κ, 290. λ, 192. 300. ξ, 172. 253. ϱ, 99. τ, 39. 204. φ, 64. χ, 131. ψ, 149. ω, 29. 467. — Finem pedis quarti hac in voce magni facimus. Tollitur enim, cum vox sit enclitica, ea caesura, qua in fine pedis quarti hiatum excusari supra demonstravimus. Ita se habent ε, 682. λ, 604. all. — Supersunt hiatus in caesura quarti pedis trochaica: ε, 10. ϑ, 129. 329. ι, 376. λ, 233. all.; in pede quinto: γ, 348. ε, 709. ζ, 281. η, 259.; in pede secundo: ζ, 203. 405. ϑ, 41. μ, 351. 396.

Jam si quis dicat, nullum esse ante hanc vocem, ut quae sit enclitica, hiatum; tolli enim caesuras: egregie fallitur. Tollitur enim vocis intermissio ea, qua opus est ad efficiendam caesuram, nec tamen tantopere coalescunt voces ut prioris vocis ultima fiat penultima. Hoc si esset, non posset corripi vocalis longa ante voces enclicitas a vocali incipientes, quod ubique fit, veluti ε, 248. ante ἐστί, et ante οἱ apud poetas recentiores, qui digamma nesciunt.

c. Casu accidit ut antiquioris scripturae quaedam servarentur vestigia, quae digamma demonstrent. Ita legitur οὐ, non οὐχ, libb. β, 392. ε, 53. ξ, 141. all. — Eodem modo factum est, ut υ, 418. legatur προτὶ οἷ δ' ἔλαβ', non προτὶ δ' οἷ. — Mittimus alia.

2. Genitivi formas ἕο, εὖ, ἕθεν non possumus distinere.

a. Producuntur in thesi tertia καί: ω, 293. 311.; in arsi secunda ἐπεί: ο, 165.; in prima οἱ: ο, 199. υ, 305.; in quarta ἄνευ, quae particula raro producitur ante vocales, ϱ, 407. — Mitto ε, 96. κ, 27.

b. Ex hiatu, qui est in caesura trochaica pedis tertii β, 239., nihil potest demonstrari.

c. Antiqua scriptura servatur α, 114: οὐ ἕθεν, all. — Huc accedit quod saepissime legitur ἕο δ᾽ αὐτοῦ; non δ᾽ ἕο αὐτοῦ, quod uno omnino loco invenitur, τ, 384. Cf. Odyss. ϑ, 211. all.

3. Item accusativus ἕ digamma non eget

a. Producitur καί in arsi prima ω, 532. 586. (hunc locum cum novisset, qui intulit postea in Iliadem versus 569. 570, digamma causam productionis fuisse ignorans, putavit fieri posse, ut produceretur καί in arsi prima 570. — cf. §. 60. 4.); in quinta γ, 408. — οἱ et αἱ in prima δ, 534. ε, 625. all. χ, 474. — Mitto β, 11. ε, 766. υ, 171.

b. Hiatus est in pede quinto: α, 510. ε, 103. 613. λ, 249. 589. ϱ, 551. σ, 132. ψ, 323. all.; in pede altero ϱ, 27.; in trochaeo pedis quarti α, 236. δ, 541. ε, 391. ϑ, 301. 310. 322. ι, 239. κ, 245. all. Pedem primum (δ, 495. ζ, 511. η, 85. ο, 241. 268. 574. all.) mitto.

c. Antiqua scriptura est οὐ ἕ: ω, 214.

§. 111. — ἁνδάνω, ἡδύς. Harum vocum eandem esse radicem, quae est vocum suad-eo, suavis demonstravimus supra, §. 106.

1. Verbi ἁνδάνω initialem literam digamma fuisse apud Homerum ex Iliade demonstrari non potest. Mitto enim α, 24. ο, 674. et compositum ἐπιανδάνει: η, 407. Eas vero formas, quae aut augmento utuntur syllabico (ἑήνδανε-cf. ἕαδα), aut ex soluto digamma videntur ortae (εὔαδεν: ξ, 340. all.) Homerus ex antiquiore poesi potuit accipere. Itaque ad Odysseam confugimus. In qua semel producitur καί in thesi quarta: β, 114. — semel οἱ in arsi quarta: ζ, 245.

2. Item constat de digamma adjectivi, quod ad radicem ἀϝ-haud dubie pertinet (cf. ἀὴρ ἠέριος, ἠερόεις all.) Quod cum rarius legatur adhibemus Odysseam.

a. Producuntur καί in thesi quarta δ, 17. η, 387. Odyss. υ, 69.; et terminationes quaedam nominum, quas etsi minoris sunt momenti tamen afferre juvat. Huc pertinet ῳ product. in thesi quarta ψ, 784. Odyss. υ, 358. φ, 376.; praeterea ου product. in quarta thesi Odyss. β, 340, in prima Odyss. γ, 391. Nec possum tacere, me aliquid tribuere illi productioni, quam attuli ex Iliadis libro ψ. Hujus enim libri pars posterior non favet productionibus, quae sunt in hiatu; favet iisdem pars prior (1—652).

b. Hiatum, qui est φ, 508, mitto. At majoris momenti est λ, 378; est enim hiatus post caesuram semiseptenariam praevalentem.

§. 112. — ἄστυ. Hanc vocem aliis in dialectis Graecis digamma non egere demonstravit Ahrens. Nos hanc vocem referre ad Germanorum fest (fasti) supra diximus.

a. Producitur in Iliade καί in thesi quarta ρ, 144. Minoris momenti est Ἴμβρον: ξ, 281.; item in quarta thesi productum. — Ex Odyssea addimus μετάλλα: τ, 190. (est thesis 4.); verbi est enim terminatio; et οἱ product. in thesi secunda ε, 106.

b. Hiatum mittimus eum, qui est in προτὶ ἄστυ, περὶ ἄστυ, πρὸ ἄστεος, quo nihil probatur. In fine pedis tertii hiatus est ω, 778. Odyss. κ, 118. Deinde saepisse leguntur κατὰ ἄστυ: β, 803. η, 296. σ, 286. φ, 225. χ, 1. 394. 433. ω, 327. 662 (est pes alter); χ, 409. ω, 703. 740 (ped. 5); ζ, 287. ubi est in fine pedis quarti post caesuram semiseptenariam — ἀνὰ ἄστυ in fine pedis secundi: ζ, 505. θ, 517. σ, 493. all. — Addo ex pede secundo ζ, 331. φ, 309.; ex quinto ζ, 392. η, 32. ι, 589. λ, 706. — Mitto φ, 209.

c. Et nonne mirandum est, numquam legi in tanta

hujus vocis frequentia κατ᾽ ἄστυ, ἀν᾽ ἄστυ, δι᾽ ἄστεος? Est igitur digamma initiale.

§. 113. — ἕννυμι, εἷμα, ἔσθος. Ex his concludimus de ἑανός, all. Egit de his vocibus Hermannus ad h. in Ven. v. 89. — Latinorum est ves-tis (σϜέσνυμι, ἕννυμι; cf. ἐσμί, εἱμί; ἕσμα, εἷμα; cf. φάεσνος, φάεννος, φάεινος; εἷμαι perfect., oritur ex ἕσμαι *). — Cf. Ahrens. d. d. Gr. I, p. 52.)

1. εἷμα.

a. Producitur καί in thesi tertia γ, 392; in quarta Odyss. ζ, 144. — τοί in altera Iliad. χ, 510.

b. In fine pedis tertii hiatus legitur χ, 154., qui locus nihil demonstrat. Est enim ὅθι. Majoris momenti est hiatus in fine pedis quarti post semiseptenariam β, 261. — Mitto ε, 905. π, 670. 680. σ, 517. ψ, 67.

2. ἕννυμι.

Productiones cum ante hanc vocem nullae inveniantur, concludimus

b. ex hiatu, qui saepissime invenitur in pede quinto: β, 261. ε, 905. π, 670. 680. σ, 451. 517. ψ, 67. Odyss. κ, 542. λ, 191. π, 199. ψ, 115. ω, 59. 158. 250. In pede altero est Odyss. π, 457. — Item in fine pedis tertii legitur Odyss. τ, 327. — Mitto Iliad. ο, 389. η, 207. ξ, 282. ψ, 803. δ, 432.

c. Addo numquam legi ἐφειμένος, semper ἐπιειμένος, semel καταειμένος Odyss. ν, 351. — Mitto augmentum, veluti ἐέσσατο Iliad. κ, 23. all.

3. ἔσθος semel legitur in hiatu pedis quinti Iliad. ω, 94.

4. Hoc modo cum de digamma ex multitudine exemplorum constet, verisimile est hanc literam non defuisse in ἑανός. Certe ante hanc vocem numquam corripiuntur vocales longae, nec invenitur ante eandem elisio in Iliade.

---

*) Deest reduplicatio eodem modo, quo deest in οἶδα (rad. Ϝιδ-), collato πέποιθα (πιθ-).

§. 114. — ἑκάς, ἑκάεργος, ἕκατος, ἑκατηβόλος, ἑκηβόλος, Ἑκαμήδη. — ἕκαστος. Hae voces ad unam radicem pertinent. Servant Latini literam s in vocibus secus, secare, in quibus eadem inest separandi notio. Digamma fuisse in vocibus Homericis non possumus demonstrare; incerta enim videntur esse, quae ex Hesychio attulit Thierschius §. 153. 17. Certe consona fuit initialis litera.

1. Quas priore loco posuimus voces, harum consonans initialis neque productionibus, quae sunt in Iliade, licet harum nonnullae rarius inveniantur (ο, 243. φ, 478. χ. 220.), satis demonstratur (α, 479. ο, 231. π, 94); neque hiatu, qui est in pede primo ε, 791. ν, 107. (v. lect.) Unum tantum et hoc satis certum indicium invenimus in Odyssea; producitur enim ἐπεί ante ἑκάς libr. ε, 358. — Patebit ex iis, quae infra disputaverimus, paene nulla re nos impediri, quominus ita statuamus.

2. ἕκαστος ad eandem radicem refero equidem. Est quodamodo superlativus (vel is, qui longissime abest, deinde quisque). Atque ob vocis mensuram productiones vocalium longarum ante eandem non possunt inveniri. Hoc majoris est momenti, quod rarissime (locos infra demonstrabo) ante hanc vocem in tanto mensurae incommodo (υ-ῡ) vocales longae corripiuntur. — Contra in hiatu haec vox legitur in quovis pede, locis in Iliade quinquaginta novem; nec rarius in Odyssea. Mittimus locos, quos longum est enumerare*), qui se offerunt paene quavis pagina. Legitur item saepissime post ν ἐφελκυστικόν, rarissime post syllabas breves in consonas literas desinentes. Hinc, si quid video, de litera consona initiali licet concludere. Quae cum ita sint Ahrensii sententiam (d. d. Gr. I, p. 170.) non possumus facere quin improbemus.

3. Ad eandem radicem pertinent fortasse ἑκάτερθεν et

---

*) Infra, inde a §. 272, loci ex ordine librorum allati sunt.

Ἑκάβη. Sed notionem eam, quae inest in ἑκάς non servarunt et digammi ne minimum quidem apud Homerum est vestigium. Obstant praeterea elisiones, cf. υ, 153. ω, 273. 747. all.

§. 115. — ἕλιξ, ἑλικῶπις, ἑλίσσω. — Ἑλικώνιος, ἑλελίζω. De radicis forma antiqua non constat.

1. Vocis ἕλιξ consonantem initialem demonstrat productio particulae καί, quae invenitur in notissima versuum clausula καὶ ἕλικας βοῦς: σ, 524. Addo Odyss. μ, 136. ω, 66. Mitto ο, 633.

2. Quae sunt ante ἑλικῶπις vocalium longarum productiones nihil demonstrant: α, 98. γ, 234. α, 389. χ, 190. Sed nulla re impedimur, quin consonam literam initialem fuisse censeamus.

3. Ante ἑλίσσω hiatus est in trochaica tertii pedis caesura, quo nihil demonstratur: θ, 340. μ, 74. σ, 372. φ, 11. Quominus digamma valere statuamus, seu aliam consonam literam initialem, vix impedimur quibusdam locis, quos infra tractabimus.

4. Hinc de voce Ἑλικώνιος licet concludere. Sed desunt certa testimonia.

5. Contra verbum ἐλελίζω huc non retulerim. Digamma enim non potest demonstrari et amisit haec vox, si ad eandem radicem initio pertinuit, spiritum asperum.

§. 116. — εἴκω, cedo, est nostrum weichen (wîchen).

1. Producuntur καί in thesi quarta ω, 718; οἷ in arsi secunda ν, 807. Odyss. χ, 91. αἰδοῖ in thesi quinta Iliad. κ, 238. Addo ex Odyss. ξ, 262. ρ, 431. ὕβρει εἴξαντες, cf. §. 50. 8. Mitto Odyss. ξ, 221.

2. Hiatu (ω, 100. Odyss. λ, 515. ν, 143) nihil demonstratur; nec concludere licet ex ἀποείκω libr. γ, 406. Nec aliter se habet ὑποείκω; addo tamen hoc legi saepissime: ο, 211. 227. π, 305. υ, 266. ψ, 602. Contra ὑπείκω semel legitur: α, 294.

§. 117. — εἶπον, ἔπος. Ahrens. d. d. Gr. I. p. 31. 171. De antiqua radice non constat. Verisimile est, in hac fuisse literam σ, cf. ἔσπετε, ἄσπετος.

1. εἶπον. Addito augmento est ἔειπον.

a. Producuntur in thesi secunda οἱ: ω, 113. μοί: Odyss. δ, 379. 468. τ, 162. — in arsi secunda οἱ: ν, 821. ω, 75. Odyss. ο, 525. — in arsi prima καί: Odyss. χ, 133; eademque vox in arsi secunda Iliad. ο, 57.

b. Hiatum haec vox efficit saepissime. Mitto finem pedis quarti (ε, 600. ζ, 86. ψ, 204. — μ, 60. 210. ν, 725. ρ, 334). In pede secundo hiatus legitur α, 85. — κ, 384. 405. ω, 197. 380. 656. — λ, 403. π, 513. ρ, 90. σ, 5. τ, 257. υ, 343. φ, 53. 552. χ, 98. ψ, 143. — υ, 375; in quinto pede α, 90. δ, 404. θ, 373. ι, 313. σ, 508. all. Ex Odyssea addo unum locum: χ, 288; est finis pedis tertii.

2. ἔπος.

a. Ex productionibus quibusdam rarioribus (veluti ι, 100. ψ, 489. ξ, 44. ε, 816. α, 304.) vix concluserim.

b. Hiatus in pede secundo legitur π, 686; in quinto ο, 234. — Saepissime legitur in caesura trochaica pedis tertii: α, 419. γ, 204. 398. δ, 350. ε, 170. ζ, 253. 406. κ, 540. 542. ξ, 83. 232. ο, 206. 566. σ, 384. 423. τ, 7. 121. υ, 250. φ, 356. Hoc ex numero duo loci (κ, 540. ο, 566.) digamma fortasse demonstrant. Est enim post arsin quartam interpunctio major, qua debilitari caesuram pedis tertii secundum Hermannum supra demonstravimus (§. 28.) — Mitto γ, 83. all. λ, 652. ψ, 544.

c. Certius est argumentum, quod in Iliade numquam corripiuntur ante hanc vocem vocales longae. Hoc eo pluris facimus, quod commodissimum erat tali modo efficere thesin dactylicam, si ἔπος excipitur voce a consona litera incipiente, quod saepissime accidit.

§. 118. — ἔργον. — ἔρδω, ἔοργα, ἐργάζω. Cf. Hermann. ad

h. in Ven. 86. Ahrens. l. l. — Nostrum est werk, wirken.

1. ἔργον.

a. Producuntur in thesi hae voces: καί in quarta libr. σ, 473. Odyss. ζ, 259. η, 26. — αὐτοῦ in secunda: ε, 92. — δή in secunda, Odyss. ρ, 226. — In arsi secunda producitur καί libr. ν, 432. Mitto ο, 234.

b. In hiatu saepissime legitur haec vox. Mitto hiatum, qui est in fine pedis quarti (γ, 131. ζ, 324. η, 465. ϑ, 130. λ, 310. μ, 271. π, 392. τ, 131 ψ, 263. ω, 213.); est tamen etiam post semiseptenariam ζ, 348. λ, 734. τ, 150. In fine pedis secundi legitur α, 518, 573. γ, 321. (mitto δ, 539.) ε, 303 η, 444. ι, 527. κ, 282. 303. λ, 838. ο, 97. π, 208. υ, 286. ψ, 705. In fine pedis quinti est β, 37. 137. 252. δ, 14. ε, 428. 757. 872. η, 236. ϑ, 9. 453. ι, 443. 595. κ, 39. 289. 524. λ, 719. μ, 283. 416. ν, 366. 730. ξ, 3. 61. ρ, 179. 549. σ, 77. τ, 339. υ, 116. φ, 19. χ, 395. ψ, 24. 176. — Ex Odyssea unum addo locum φ, 239. Praepositio est enim παρά.

2. ἔρδω hiatum efficit in pede quinto ξ, 261. Odyss. ο, 360.

3. De digamma perfecti ἔοργα nisi ex hiatu non potest concludi. Efficit hiatum in pede quinto β, 272. ε, 175. ϑ, 356. ι, 320. π, 424. Odyss. δ, 693.

4. ἐργάζω in hiatu legitur in fine pedis quarti: σ, 469. ω, 733.

§. 119. — ἦνοψ, Ἤνοψ. — Ἠνιοπεύς. Radix non constat. Patet deduci non posse has voces ab α priv. et ὀπ —; digamma enim utuntur.

1. ἤνοψ adjectivum.

a. Producitur καί in quarta thesi π, 408.

b. Hiatus est σ, 349: ἐνὶ ἤνοπι χαλκῷ. Conf. Odyss. κ, 360. Hinc nihil potest concludi.

2. Ἥνοψ, nomen proprium, hiatum efficit in fine pedis quarti π, 401. ψ, 634., quo nihil demonstratur.

3. Ad eandem radicem pertinere Ἠνιοπεύς verisimile est. Haec vox producit diphthongum ου in thesi quarta ϑ, 120.

His in vocibus quominus digamma fuisse censeamus, nullo Iliadis loco impedimur.

§. 120. — ἵεμαι, cupio. Differt haec vox a verbo ἵημι et ab ἵεμαι (ire). Ceterum ἵεμαι et ἵεμαι nonnullis locis in codicibus confunduntur. Cf. Ahrens., conjug. in μι, p. 24.

a. Producuntur ante hanc vocem in thesi prima πρόσσω: π, 382. ο, 543. εἶα: π, 396. ἑστη: υ, 280. φ, 70. αἰχμή: υ, 399. ϑ, 495. μ, 46. (v. lect.) — in altera πρόσσω: ν, 291. Cf. §. 54. 6.

b. Mitto hiatum qui est in fine pedis quarti: β, 589. ε, 434. ϑ, 301. 310. ν, 414. et in pede primo β, 154. Restat hiatus in fine pedis quarti post semiseptenariam λ, 537. ν, 386; et in fine pedis tertii υ, 502.

c. Huc accedit, quod in Iliade vocales longae ante hanc vocem non corripiuntur.

§. 121. — Venio ad radicem Fιδ- (video)*), digammi apud Homerum tenacissimam. Quae ad hanc radicem pertinent voces, earum pro varia notione aciem instruimus triplicem.

Atque triariorum locum sibi vindicant eae voces, in quibus notio est sciendi. Huc pertinent οἶδα, et quae inde deducuntur formae (ἴδμεν, εἰδῶ, εἰδώς, ἰδέω, ἰδυῖα, ἴστωρ, ἰδρείη); ᾔδεα (νείδης all.); futurum εἴσομαι.

Alterum locum tenent eae formae in quibus videndi est notio. Sunt aoristi II. formae, quae incipiunt a vocali ι. — De εἶδον cf. §. 176, 1.

*) ΕΙΔΩ, οἶδα, ἴδον eodem modo se habent quo πείθω, πέποιθα, ἔπιθον — λείπω, λέλοιπα, ἔλιπον.

Tertium locum obtinent eae voces, quae utuntur notione apparendi: εἴδομαι, εἰσάμενος. Significant etiam similem esse. Ad eandem notionem pertinent quaedam substantiva: εἶδος, εἴδωλον.

§. 122. Sciendi notio in quibus inest vocibus, hae aut a vocali ι incipiunt, aut ab ει, aut ab οι, aut ab η. Hae iterum sunt distinguendae.

1. Ante ι initiale producitur καί in thesi quarta: η, 281; πού in arsi secunda α, 124. Mitto (τοι: ξ, 235.) λ, 719. ψ, 890. — Hiatum efficiunt hae formae in pede secundo β, 252. 301; quinto σ, 420; in fine pedis tertii ν, 273. Mitto ψ, 312. et hiatum τι ἴδμεν: β, 486. κ, 100. — Hae verbi sunt formae.

Ἰδρείῃ hiatum efficit in fine pedis tertii π, 359. — ἵστωρ legitur in hiatu post praepositionem ἐπί libr. σ, 501. — ἰδυῖα legitur in hiatu caesurae tertii pedis trochaicae σ, 380. 482.

Mitto composita ἄϊστος, ἄϊδρις all.

2. Participium εἰδώς (ejusdem participii femininum in hiatu non legitur unquam in Iliade) producit particulam οὔπω in thesi altera ι, 440. Mitto particulam εὖ, productam saepissime in thesi quinta. — Hiatum efficit in fine pedis tertii λ, 710; in quinto pede δ, 218. η, 278. ο, 633. ρ, 325. ψ, 709. ω, 88.

Conjunctivus hiatum efficit in fine pedis tertii χ, 244; in fine pedis quarti post caesuram semiseptenariam interpunctione firmatam θ, 18 π, 19; in pede altero υ, 122. ψ, 322; in quinto pede ο, 207.

Futurum εἴσομαι hiatum efficit in fine pedis tertii η, 226. ξ, 8. Addo in quarta thesi produci particulam καί, Odyss. τ, 501.

Omisi in hac disputatione hos locos: α, 363. κ, 360. π, 73. φ, 292, e quibus concludere non licet.

3. Ante οἶδα producitur in Iliade τευ in thesi altera σ, 192. In Odyssea producuntur καί in thesi quarta σ, 228. υ, 309; ἤδη in thesi secunda ω, 407. — In hiatu hae formae

leguntur saepissime. Ita in pede secundo β, 192. γ, 308. δ, 361. ζ, 447. η, 238. all.; in pede quinto π, 50. σ, 363. φ, 440. ω, 41; in fine pedis quarti post semiseptenariam υ, 201. 432. Mitto α, 85. 343. ε, 406. 761. λ, 653. 657. ο, 93.

4. Quae verbi formae incipiunt ab η, hiatum efficiunt in pede quinto β, 213. ι, 64. 326. τ, 115. 219; in secundo ϑ, 366. λ, 741. ν, 355. Mitto β, 38. ν, 674. υ, 466.

5. Haud parvi facio, quod in tanta harum vocum frequentia uno solo in Iliade loco corripitur, ante οἶδα, diphthongus: τ, 421.

§. 123. — Videndi notio inest in aoristo secundo; cujus quae formae incipiunt a vocali ι haud dubie digamma apud Homerum non egent.

a. Producuntur ante has formas καί in arsi quinta ρ, 179. Odyss. φ, 405. χ, 233; ἐπεί in secunda δ, 217. ο, 279; in quarta ε, 510. ϑ, 397. ι, 195. λ, 745. μ, 83. π, 427. σ, 225. χ, 236.

b. Hiatum hae formae in Iliade efficiunt locis omnino centum tribus. Quos longum est enumerare. Mitto igitur caesuram trochaicam pedis tertii et pedem primum. In quinto pede sunt: α, 262. β, 237. γ, 130. δ, 476. ε, 221. 725. ζ, 176. 365. ϑ, 76. 105. 376. ι, 373. κ, 97. 430. μ, 268. ν, 229. ξ, 286. ο, 85. 147. π, 354. ρ, 681. σ, 83. 377. ω, 484; in secundo: γ, 217. δ, 279. 375. ζ, 284. ν, 184. 503. π, 610. ρ, 305. 526. α, 63. τ, 144. φ, 61. χ, 274. ω, 366. 653. Saepissime in eodem pede legitur ὑπόδρα ἰδών: α, 148. β, 245. δ, 349. all.

c. Antiqua scriptura est ἐγὼ (non ἐγὼν) ἰδέειν: ε, 475.

d. Quartum est argumentum, quod longae vocales seu diphthongi in Iliade ante has aoristi formas numquam corripiuntur.

§. 124. — Apparendi notio inest in εἴδομαι, εἰσάμην.

a. Producitur δή in thesi prima ν, 98. et, quod majoris est momenti, οἱ in arsi secunda β, 215. μ, 103.

b. Omissis ε, 785. π, 716. ρ, 73. φ, 213. ν, 69. — δ, 138. ρ, 518. ε, 588. υ, 81. ω, 319. hiatus restat in compositis διαείδεται: ν, 277. καταείσατο: λ, 358. Hae enim praepositiones in compositis ante vocales non servant unquam vocalem finalem. Rectissime igitur Schol. A. Herodiani auctoritate commotus καταείσατο deducit ab εἴδω (rectius tamen ab εἴδομαι), antiqua praesentis forma; et fallitur egregie Lehrsius Arist. p. 327, deducens ab εἶμι. Haec enim vox cum digamma numquam utatur, patet καταείσατο nullo modo inde deduci posse. Est igitur: „ubi ei humi apparebat hasta." — Contra ἐπιείσομαι (§. 64. b.) est aggrediar: λ, 367. φ, 424. υ, 454.

c. Addo ne ante has quidem voces corripi vocales longas in Iliade.

2. Ad eandem notionem pertinent substantiva εἶδος, εἴδωλον.

Atque ante εἶδος, in quarta thesi producitur saepissime καί: χ, 370. ω, 376. Odyss. ε, 213. ζ, 16. ξ, 177. Non minoris momenti est τοι, productum in arsi secunda κ, 316. — Hiatus est in pede altero γ, 55. Mitto enim γ, 39. ν, 769; ε, 787. θ, 228; φ, 316.

Ante εἴδωλον producitur καί in altera arsi ψ, 104. Mitto ψ, 72. ε, 449.

Longae vocales ante has voces in Iliade non corripiuntur.— Constat igitur digamma hujus radicis servari apud Homerum. Nec dubito quin hanc ob causam legatur semper Ἀΐδης, numquam Ἅιδης. Hanc vocem alia ex radice (Voss. ad h. in Cer. 348.) nullo modo deduxerim.

§. 125. — Ἴλιος. Ἶλος, Ἰλιονεύς.

a. Producuntur ante Ἴλιος particula καί in thesi tertia ζ, 493; οὔπω in thesi quarta υ, 216. Addo verborum terminationem η, productam in quarta thesi δ, 164. ζ, 96. 277. 448. In Odyssea producitur relativum οἵ in thesi tertia θ, 495.

b. Hiatum haec vox in Iliade efficit locis quadraginta

tribus. Hoc ex numero mittimus ὑπὸ Ἴλιον (non legitur tamen unquam ὑπ' Ἴλιον), προτὶ Ἴλιον, finem pedis quarti: δ, 46. 416. ζ, 403. θ, 551. 561. κ, 12. ρ, 159. 163. φ, 515. 442. ω, 27. 145. 383. Contra non mittimus pedem primum φ, 295; nulla est enim inter κατὰ Ἴλιον caesura. Restat finis pedis tertii: κατὰ Ἴλιον, θ, 131; ὅτε Ἴλιον: ε, 210. ζ, 461. Odyss. σ, 252.

c. Jam nisi digamma valuisset in hac voce; qui fieret, ut ne uno quidem loco in Iliade legeretur ante Ἴλιος elisio praepositionum earum, quae desinunt in vocales?

2. Hinc de digamma vocum Ἴλος et Ἰλιονεύς nostro jure possumus concludere; cf. κ, 415. ξ, 501.

§. 126. — ἶφι, ἰνίον, ἶνες; Ἰφιάνασσα. — ἴς (vis), ἴφθιμος; Ἰάνασσα, Ἴαιρα, Ἴκαρος, Ἰκάριος, simill.

1. ἶφι, Ἰφιάνασσα.

a. Producitur saepissime ante has voces particula καί. Fit ante ἶφι sim. in notissima versuum clausula καὶ ἴφια μῆλα: ε, 556. θ, 505. 545. ι, 406. all. In eadem thesi producitur haec particula ante Ἰφιάνασσα: ι, 145. 287. Mitto diphthongum ου productam in eadem thesi Odyss. ρ, 443.

b. Hiatus legitur ante ἶφι in fine pedis quarti: α, 38. 452. σ, 14. τ, 417. φ, 208; in pede primo ι, 466. ψ, 166. (utroque loco est ἴφια μῆλα).

Hinc concludimus digamma fuisse in Ἴφικλος et Ἰφιδάμας. Cf. λ, 257. ν, 698.

2. ἶνες, nervi.

Haec vox uno tantum loco in hiatu legitur, sed est finis pedis tertii; ψ, 191: χρόα ἴνεσιν.

3. ἰνίον, h. e. ea capitis pars, in qua in unum concurrunt τὼ τένοντε.

Digamma demonstratur hiatu, qui est in fine pedis tertii ε, 73: κατὰ ἰνίον. Nec minoris momenti est ξ, 495: διὰ ἰνίου; est pes primus, sed caesurae, ut post praepositionem, nulla vis.

§. 127. — Ago nunc de iis vocibus, quas alterum ordi-

nem servare supra jussi. In quibus quominus digamma agnoscam multis rebus impedior. Etenim

1. ἶς, vis

nisi in fine pedis quarti (veluti Odyss. ι, 538.) in hiatu numquam legitur. Restat, ex qua de digamma concludas, productio particulae καί Iliad. μ, 320. (mitto enim λ, 668.), quae est in arsi sexta. Obstant tamen duo loci in Iliade: ϱ, 739. φ, 356. Horum illum nullo modo correxerim. Et φ, 356. quamvis ipse olim putaverim legendum esse καὶ τότε ἶς (legitur enim καίετο δ' ἶς); tamen quominus probem hanc conjecturam, nunc me impedit ψ, 177. Nam hoc etiam loco ad finem procedit narratio per solam particulam δέ. His causis permotus supra demonstravi particulae καί productionem recentiore aetate illatam esse in librum μ (cf. §. 60, pag. 76.), cum de producendi corripiendique usu Homerico non constaret. Infra de hoc loco accuratius agemus. Cf. §§. 235. 290.

2. ἴφθιμος

digamma apud Homerum non utitur. Etenim non raro et elisio legitur ante hanc vocem et correptio vocalium longarum. Cf. α, 3. λ, 373. π, 659. ϱ, 749. ψ, 260. — μ, 410. π, 620. υ, 356. — γ, 336. ο, 480. π, 137.

Non deerunt fortasse, qui dicant hanc vocem non ad ἶφι esse referendam, sed ad aliam radicem. Auxilium possunt sane petere ex Etymologico magno, in quo legitur antepenultimam longam esse θέσει. Hoc num verum sit dubito. Certe eadem notio videtur inesse in ἴφια μῆλα et βοῶν ἴφθιμα κάρηνα. Itaque, quamvis non constet de hac voce, tamen putaverim eandem esse radicem; sed servari nonnullis tantum in vocibus antiquam literam initialem apud Homerum (ἶφι, ἶνες, ἴωλον), in reliquis fuisse obliteratam.

3. Contra voces Ἴανασσα, Ἴαιρα, ad radicem ἰν- vix pertinent antiquitus. Certe syllaba initialis haud dubie brevis est. Nescio tamen unde deductum sit illud ι initiale, nisi forte, quod pro certo non confirmaverim, abundat in his vocibus.

Addi potest vox Ἰάνειρα, quae eodem modo orta videtur esse, et Ἰάνθη (h. in Cer. 418).

Ut de digamma agamus, confugimus ad hymn. in Cererem 422. sqq. Etenim Ἴαιρα Iliad. σ, 42. digamma aperte eget; eget eodem modo in hymno, quem dixi, digamma vox Ἰάνειρα, de qua voce ex Iliad. σ, 47. concludere non possumus. Restat igitur Ἰάνασσα, ante quam vocem σ, 47. in quinta arsi producitur καί. Jam quominus digamma fuisse statuamus impediunt duae res. Primum non pertinet haec vox ad radicem ἰν-. Tum antiquitus hic libri σ locus suspectus est ob characterem Hesiodeum, cf. Lehrs. Aristarch. p. 358. Huc accedit, quod simillimus est locus h. in Cer. 418. sqq. Et hoc quidem loco (424. Herm.) item producitur καί ante vocem digamma haud dubie antiquitus egentem (Ἄρτεμις). Quae cum ita sint; non dubito, quin illa particulae καί productio recentiorem oleat interpolationem. Unum addo. Memoratur nympha ibidem Ἀμάθεια (48), quae vox haud dubie deducta est ab ἄμαθος, ut sit arenosa. Patet de arena litorum esse cogitandum, cum sit Nereis. Attamen nec in Iliade nec in Odyssea haec notio est vocis ἄμαθος, sed ψάμαθος; quae verissima est Aristarchi observatio, cf. Lehrs. pag. 128. Nam etsi in hymno in Apoll. 439. hac notione legitur ἀμάθοις, apud Homerum ἠμαθόεις est pulverulentus. Constat enim ex Strabone Pylum minime arenosam fuisse.

Itaque censeo digamma non fuisse in his vocibus. Ceterum facere non possum, quin hoc quidem loco addam, fortasse Ἴσμαρος eodem modo oriri ex radice σμαρ-, de qua supra (§. 88, i, b.) scripsi. Nolui tamen ex hac voce, quae elisione afficitur Odyss. ι, 40, meam sententiam probare.

4. Superest Ἰκάριος, quae vox vocalem ι habet longam. Digamma fortasse utitur, sed non constat ex β, 145. Odyss. α, 329. δ, 840. π, 435. ρ, 562. simill.; nec magis constat de radice. Ceterum quominus digamma statuamus fuisse, nullo loco impedimur.

§. **128.** — *οἶκος, οἰκίον*, simill., firmissimo et in Iliade et in Odyssea utuntur digamma. Latinorum est vicus, nostrum wîk.

a. Productiones mitto eas, quibus nihil demonstratur (*β*, **158. 174.** *δ*, **180.** *ω*, **581.**), quamvis rarius legantur nonnullae (veluti *β*, **290.** *γ*, **390**). In thesi producuntur: *καί* in quarta *ϑ*, **513.** Odyss. *δ*, **520.** *ξ*, **210.**; in altera Odyss. *ψ*, **7. 27. 108.**; *μοί* in altera Odyss. *δ*, **318.**; *δή* in altera Odyss. *φ*. **332.** *ψ*, **36.** Praeterea *καί* et in prima arsi producitur Iliad. *ο*, **498**, et in altera Odyss. *ζ*, **181.**

b. Hiatus est in pede quinto *ζ*, **56.** *ρ*, **738**; in fine pedis quarti post caesuram semiseptenariam *μ*, **221.** — Mitto enim *α*, **30.** *ζ*, **500.** *ϑ*, **284.**; pedem primum: *β*, **668.** *η*, **79** *χ*, **342.**; finem pedis quarti: *γ*, **404.** *ζ*, **15.** *η*, **221.** *π*, **261. 595.** *ω*, **287.** all.

c. Longae vocales ante has voces non corripiuntur in Iliade.

§. **129.** — *οἶνος*, simill. Adduntur nomina propria *Οἰνόμαος*, *Οἰνεύς*.

1. *οἶνος*, simm.

a. In thesi producuntur: *καί* in quarta: *ι*, **489.** Odyss. *ι*, **165.** *μ*, **327.** *ν*, **69.** *ο*, **323.** *γ*, **479.**; in secunda Iliad. *γ*, **246.** *μοί* in altera: Odyss. *β*, **349.**; in prima Iliad. *ζ*, **264.** In arsi secunda producitur *καί*: *ι*, **706.** *τ*, **161.** Odyss. *ξ*, **46.** Addo *τοί*: Iliad. *ι*, **71.**

b. Saepissime in quinto pede legitur *αἴϑοπα οἶνον*: *α*, **462.** *δ*, **259.** *ε*, **341.** *ζ*, **266.** *λ*, **775.** *ξ*, **5.** *ω*, **641.** Adde hiatum, qui legitur in eodem pede *γ*, **269. 300.** *κ*, **579.** *ω*, **306.** Ex Odyssea addo hiatum, qui est in fine pedis tertii *ν*, **32.**

Mitto *υ*, **234.** *ψ*, **237. 250. 316.** *ω*, **791.** (in hiatu est vocalis *ι*) — similia sunt *α*, **350.** *ε*, **771.** *η*, 88. *ψ*, **143.** Mitto etiam *ζ*, **258.**; *υ*, **84.**; *β*, **127. 128.**; *ϑ*, **506.**; **546.**; *ι* **579.**

2. *Οἰνόμαος* hiatum efficit *ν*, **506.** in pede secundo; mitto

μ, 140. Hinc concludimus de Οἰνεύς, licet nihil probetur hiatu qui legitur ι, 581. ξ, 117.

Addo longas vocales in Iliade ante hanc radicem non corripi.

§. 130. — Quas hucusque demonstravimus voces, in his cum ex hiatu, tum maxime ex productionibus vocalium longarum licuit de digamma certo concludere; et firmantur exemplorum multitudine, quae disputavimus. Restant voces nonnullae quae rarius leguntur, sed quas a digamma incepisse e quibusdam productionibus concludi potest. Hae sunt ἦρα, ἰτέη, ὄαρ.

1. Atque in voce ἦρα initiale fuisse digamma, quin statuamus nullus impedit locus. Ut concedam non multum valere ad demonstrandam hanc literam eam productionem, quae legitur ξ, 132; majoris momenti est diphthongus ῳ, producta in altera thesi Odyss. σ, 56. Addo compositum ἐπίηρα; quo quamvis digamma non demonstretur, id tamen magni facimus, quod numquam legitur ἔπηρα omissa litera ι.

2. ἰτέη (weide, wîde antiq. — Lat. vimen. — Hesychii lex.: γιτέα) legitur duobus locis. Altero, Odyss. κ, 510., in tertia thesi producitur καί; altero, Iliad. φ, 350., eadem particula corripitur in eadem thesi. Patet alterum falsum esse, alterum verum; igitur productio antiquior est, quae cum molesta esset recentioribus, intulerunt in Iliadem particulam τέ ante καί. Cf. infra §. 194, 2, a. Odysseae locus fugit eorum diligentiam. Quem quominus recentiorem dicam, multae me impediunt causae; maxime ea, quod in hoc Odysseae libro duobus tantum locis negligitur digamma: 190. 194. Liceat nunc conjicere conjungendos esse versus 188 et 203, ita ut legatur καὶ τότ' ἐγὼ δίχα.

3. Multo minus constat de voce ὄαρ. Mitto ε, 486. Sed digammi vestigium prodit una lectionis varietas, quae est Odyss. ϑ, 525: ἄστεϊ καὶ ὀάρεσσιν. Patet ejusmodi vestigia non esse

spernenda. Obstant quidem Iliadis nonnulli loci; sed antequam cognovissem hanc antiquam lectionis varietatem, ego ipse digamma in hac voce fuisse conjeceram. Producitur enim ante hanc vocem in tertia arsi syllaba brevis in consonam literam desinens in Iliadis libro nono (Cf. v. 327). Hac ex re in ceteris Iliadis libris nullo modo concluserim; sed cum in libro nono ne una quidem inveniatur praeter hunc locum talium syllabarum ante vocales productio, apparet de digamma posse quidem concludi.

Caput tertium.

Recensentur eae voces, in quibus initiale fuisse digamma nisi ex hiatu non excusato demonstrari non potest.

§. **131**. — Certius quidem demonstrari posse digamma initiale, si in demonstrando uti possimus et productionibus longarum vocalium seu diphthongorum et hiatu illicito, quam ubi solo hiatu illicito confidamus necesse sit, facile perspicitur. Attamen rarissime invenitur in universum hiatus illicitus; et quibusdam versus sedibus (veluti in fine pedis tertii; in fine pedis quarti et primi post caesuram masculam interpunctione firmatam), nisi alia accedit excusatio, omnino non legitur; et sunt etiam quaedam voces, in quibus secundum ipsarum mensuram ($\upsilon - \bar{\upsilon}$ x), si digamma utuntur, nisi ex hiatu digamma non possit agnosci. Patet de digamma harum vocum vel ex solo hiatu illicito certissime posse concludi.

Itaque hujus disputationis duae sunt partes.

a. De vocibus iis, quae incipiunt ab una syllaba brevi, quam excipit syllaba longa.

§. **132**. — Ad demonstrandum digamma in his vocibus multum juvat, si aut raro aut numquam ante easdem corripi-

untur longae vocales sive diphthongi. Accedunt in singulis vocibus alia argumenta, quae suo loco addentur. — Adjectivum ἕκαστος supra demonstravimus. Restant: ἄναξ, ἄνασσα, ἀνάσσω — ἀραιός — ἕκηλος — ἑκών — ἔθειραι — radix ἰκ- ob perfectum ἔοικα, simm. — ἰωή — ἰωκή, ἰωχμός — ἀλείς, ἔτης, ἁλίσκομαι.

§. 133. — Voces ἄναξ, ἄνασσα, ἀνάσσω apud Aeoles digamma habuisse constat. Pertinere videntur ad radicem Germanicam man. Huc retulimus has voces ob incommodam mensuram; quae etsi non est in vocativo ἄνα, tamen hic casus omnino rarius legitur et post productiones eas, quae nihil demonstrant; veluti ὦ ἄνα, Ζεῦ ἄνα.

Firmissimum servatur harum vocum digamma in Iliade. Leguntur in hiatu, quantum notavi, in Iliade locis octoginta octo, quos longum est enarrare *). Hiatus in quovis pede invenitur. Verbum ἀνάσσω in hiatu legitur α, 38. 452. ζ, 478. ω, 536; cum praepositionibus non componitur. Femininum ἄνασσα in quinto pede hiatum efficit ξ, 326.; sed hoc loco digamma non demonstratur. Reliquis, quos dixi, locis hiatum efficit masculinum ἄναξ.

Addo saepissime legi has voces post ν paragogicum, rarissime corripi ante easdem breves syllabas in consonas literas desinentes, uno tantum loco corripi diphthongum (π, 523).

Sed ne taceam, quod majoris est momenti; numquam ante ἄναξ elisione afficiuntur praepositiones. Quod quamvis in ἀμφί, ἀντί ob vocis mensuram fieri non possit; tamen per metrum commodissimum erat dicere ὑπ' ἄνακτος, all. Itaque certissimum hoc est digammi indicium, quod quae bisyllabae sunt praepositiones, quae utraque syllaba utuntur brevi, numquam ita ponuntur in Iliade, ut praepositionem, nulla interposita voce, excipiat ἄναξ.

---

*) Infra, inde a §. 272, ex ordine librorum loci demonstrati sunt.

§. 134. — ἀραιός (radix non constat) in hiatu pedis quinti legitur ε, 425. σ, 411. υ, 37.

2. ἔκηλος. Mitto ζ, 70. In pede quinto sunt ε, 759. ι, 376. λ, 75. ο, 194. ρ, 340. — Addo Odyss. λ, 184. μ, 301. ν, 423. ξ, 91. 167. φ, 259. 309.

3. ἑκών. Certe ante Homerum consonam initialem fuisse in hac voce probatur fortasse composito ἀέκων. In Iliade hiatus est, ζ, 523. ϑ, 81. δ, 43. η, 197. ν, 234. Majoris momenti est hiatus in pede secundo Odyss. π, 95. — ἕκητι in hiatu legitur Odyss. τ, 86. υ, 42. in pede quinto. Mitto Odyss. ο, 319.

4. ἔϑειραι hiatum efficit in pede quinto π, 795. χ, 315.

Addo ante has quatuor voces in Iliade nusquam corripi vocales longas.

§. 135. — Rad. ἰκ —. Huc pertinent ἔοικα, ἐῴκειν, εἰκώς sim., εἴκελος, ἴκελος. Ex productionibus, quae sunt ante εἰκώς (veluti χ, 151. 321.) all., de digamma concludere non licet. Itaque nisi ex hiatu digammi indicia non possumus petere.

1. Atque perfectum ἔοικα, et quae ab hoc deducuntur formae, hiatum efficiunt saepissime. Ita in pede quinto α, 119. β, 58. γ, 158. λ, 613. μ, 212. ξ, 474. ο, 90. τ, 79. φ, 436. 600. ψ, 493. ω, 258. 630. Addo Odyss. ι, 190. ν, 80. ω, 273. In pede secundo hiatus legitur β, 190. ξ, 212. — Omisi dativum singul. tertiae, qui saepissime legitur ante ἐοικώς: α, 47. 104. β, 20. γ, 170. 219. 449. ε, 87. 604. λ, 546. μ, 385. ν, 357. ξ, 136. ο, 237. 586. π, 582. 742. ρ, 323. ψ, 430. ω, 347.

Longae vocales non corripiuntur ante has formas.

2. εἴκελος. Mitto dativum sing. declin. tertiae, qui ante hanc vocem legitur in hiatu et in fine pedis quarti et in fine pedis tertii: δ, 253. ν, 330. σ, 154 — ν, 35. (v. l.) 688. ρ, 88. υ, 423.

Digamma demonstrat μάλα εἰκέλω, quod in fine pedis tertii

legitur Odyss. τ, 381. Addo compositum ἐπιείκελος, nam non legitur unquam ἐπείκελος

Omisi χ, 134. — Ceterum quominus digamma fuisse statuamus, nullus impedit in Iliade locus.

3. Hinc concludimus, etiam in ἴκελος digamma non defuisse. Confer. §. 170. 1.

§. 136. — ἰωή. Hiatum efficit in pede quinto δ, 276. λ, 308. π, 127; sed excipit semper genitivum desinentem in -οιο. Hac ex re cum de digamma non liceat concludere, addimus unum tantum in Iliade obstare locum κ, 139: ἤλυθ' ἰωή. Sed vix obstat, nam potest fuisse ἦλθε ἰωή. Idem legitur Odyss. ρ, 261. hymn. in Mercur. 421.

§. 137. — ἰωκή, ἰωχμός. Illud in hiatu pedis quinti legitur ε, 521. 740. Hinc concludimus de digamma vocis ἰωχμός. — Ceterum ego vix putaverim has voces pertinere ad διώκω, quae Thierschii est sententia.

§. 138. — Voces ἁλίσκομαι, ἅλην (εἴλω), ἔτης huc referre ob eam causam non dubitavi, quod quae earum formae in hiatu leguntur, hac quam dixi mensura utuntur incommoda. Non ignoro quidem ἁλούς semel legi producta penultima (ε, 487), sed plerumque hanc syllabam corripi satis constat. Item neutrum ἁλόν (ψ, 420.) incommoda mensura non utitur, sed rarissime legitur. Vocis ἔτης nominativus pluralis molestior erat poetis (nam nisi ante vocales corripi non poterat αι); molestiores etiam sunt reliqui ejusdem vocis casus. Vocativum et genitivum legi apud Homerum non memini.

1. ἁλίσκομαι hiatum efficit in quinto pede μ, 172. ξ, 81. φ, 281. Mitto ι, 592. φ, 495. Quominus digamma statuamus fuisse nihil impedit.

2. εἴλω. Aoristus ἅλην (qui addito augmento est 'εάλην, quam formam a digamma non incipere patet, cf. υ, 278.) hiatum efficit in pede quinto φ, 607; in secundo χ, 308. Odyss.

ω, 538. Mitto enim hiatum qui est π, 403. ι, 823. σ, 286. φ, 571. χ, 12.; α, 409. (ἔλσαι); χ, 47; et productionem β, 294.

Quae cum ita sint, concludimus etiam reliquas hujus verbi formas digamma habuisse. Atque perfectum ἔελμαι (Fέ Fελμαι) in hiatu legitur σ, 287. ω, 662; sed non licet hinc concludere.

Majoris momenti est, quod longae vocales ante has voces in Iliade non corripiuntur. Elisio quidem uno loco legitur: σ, 294.

3. ἔτης hiatum efficit in pede quinto ζ, 239. π, 456. 674. Odyss. ο, 273; in secundo η, 295. ι, 417. — Obstat nihil.

b. De vocibus iis, quae incommoda mensura non utentes, in hiatu cum legantur, digamma videntur habuisse.

§. 139. — Sunt quaedam voces, in quibus initiale fuisse digamma, vel ex solo hiatu certo possit concludi. Huc pertinent:

1. ἔθνος. Ut mittam β, 87. λ, 595. ο, 591. ρ, 114. Odyss. ξ, 73; restat in fine pedis quarti hiatus, qui est post caesuram semiseptenariam. Ita legitur μέγα ἔθνος: μ, 330. μετὰ ἔθνος: η, 115. ρ, 581. κατὰ ἔθνος: ρ, 680.

Nec elisio ante hanc vocem est in Iliade, nec corripiuntur unquam longae vocales.

2. Nec quominus digamma censeamus fuisse in καταείνυον (pertinet ad ἕννυμι. Cf. §. 113.) libr. ψ, 135, impedit quidquam.

3. ἔῤῥω hiatum efficit in pede quinto θ, 239. ι, 364. Mitto ζ, 384. σ, 421.

4. ἤθεα quamvis in Iliade post elisionem legatur ζ, 511. ο, 268; digamma tamen demonstratur hiatu, qui est in fine pedis tertii Odyss. ξ, 411: κατὰ ἤθεα.

5. ἠρίον. Hiatum efficit in tertii pedis fine (μέγα ἠρίον) ψ, 126. Nec obstat quidquam.

6. οὐλαμός. Hiatus est in fine pedis quarti post caesuram

semiseptenariam: δ, **251**. **273**. ν, **113**. **379**: ἀνὰ οὐλαμὸν ἀνδρῶν. Obstat nihil.

Hinc concludimus digamma fuisse in adjectivo οὖλος, si significat densus. Demonstrare quidem non possumus, sed nec elisio legitur unquam ante hanc vocem, nec corripiuntur vocales longae. Contra ubi οὖλος est pro ὅλος, et ubi significat perniciosus, digamma nec potest demonstrari et obstant elisiones et correptae longae vocales. Cf. Duncani lexicon Rost:.

7. κατὰ ὦλκα legitur ν, 707. in pede secundo. Est Latinorum sulcus. Consonam fuisse (digamma non dixerim) literam initialem verisimile est. Obstat nec elisio, nec correpta vocalis longa. Ceterum mitto Odyss. σ, **375**.

§. 140. — Item vox ἄγνυμι quin digamma utatur apud Homerum dubitari vix potest. Mitto quidem compositum ἀαγής et aoristum ἔαξα, qui saepissime legitur; hae enim formae uti antiquum digamma demonstrant, possunt tamen ad Homerum pervenisse ex antiquiore aetate. Sed legitur hoc verbum in hiatu pedis quinti Iliad. ε, **161**. ϑ, **403**. ψ, **341**. **467**; in fine pedis quarti π, **769**.

Nec parvi est momenti, quod duo tantum obstant loci: ψ, **392**. Odyss. τ, **539**. Utroque loco legitur ἦξε (Contra Odyss. φ, **111**. pertinet ad ἄγω). Confer infra § **176**, **3**.

At in voce ἀκτή evanuerat haud dubie digamma Homeri temporibus. Nullum est enim digammi indicium et saepissime haec vox legitur post elisiones.

§. **141**. — **1**. Possit quispiam conjicere, etiam in voce ὑφνός digamma non defuisse. Legitur enim in hiatu pedis quinti δ, **158**. **435**. ϑ, **131**. Sed veram hanc esse sententiam vix putaverim. Etenim per totam Odysseam ne unum quidem digammi indicium invenitur. Obstant praeterea in Iliade γ, **103**. **119**. β, **550**. χ, **263**; in Odyssea δ, **85**. ι, **226**.

Huc accedit, quod quae ad eandem radicem pertinent voces, Ἄρης, ἄρσην, digamma apud Homerum numquam utuntur (veluti ἄρσην Odyss. ι, 238. ν, 81. ξ, 16 — Ἄρης locis sexcentis).

Addo Iliadis libros δ et ϑ, in quibus in hiatu haec vox legitur, plures praebere hiatus illicitos. Quae cum ita sint, qui ex his locis de digamma concludit, agit incaute.

2. Paulo aliter statuo de voce Ἶρις, in qua digamma fuisse plerique homines docti contenderunt. Nec nego antiquitus fortasse fuisse digamma, sed apud Homerum non est.

Etenim primum desunt vocalium longarum productiones, ex quibus concludere possimus. At legitur haec vox saepissime in hiatu! Concedo. Sed ex hiatu, qui est in pede primo (ο, 158. ω, 144. all.) et in fine pedis quarti (ψ, 201. ω, 117), quis quaeso concludat? Supersunt igitur hiatus duo. Alter est in pede secundo: ϑ, 409 ω, 77. 159, qui idem est versus: ὣς ἔφατ᾽. ὦρτο δὲ Ἶρις. Alter est ὠκέα Ἶρις, qui nisi in versus clausula non legitur. Est aut πόδας ὠκέα Ἶρις (γ, 129. λ, 199. σ, 202. ω, 87. 188), aut ποδήνεμος ὠκέα Ἶρις (β, 786. ε, 368. λ, 195. ο, 200. σ, 166. ω, 65.) Jam cum nisi in quibusdam et certis illis dictionibus hiatus ante hanc vocem non inveniatur; facere non possum quin ad eam confugiam poesin, quae fuit ante Homerum. Cf. quae s. fin. §. 67. disputavimus. Contendo has dicendi formulas fortasse factas esse eo tempore, quo vox Ἶρις utebatur digamma; receptas esse a poetis recentioribus. Probari videtur haec mea sententia eo, quod elisio ante Ἶρις legitur ε, 353. (potest tamen haec esse apocope) λ, 27. ψ, 198; semel corripitur ante eandem vocem οἱ, cf. ε, 365. Atque hic locus (ε, 365.) maximi est momenti. Cum enim ε, 368. legatur hiatus; ε, 365. corripiatur οἱ; facile intelligitur hunc hiatum jam antiquitus fuisse in usu. — Quae cum ita sint, de varia carminum Homericorum aetate ex hac voce concludere non licet.

Mendicum deae auxilium ferre indignum est; sed suc-

currit illud Sophocleum καὶ μέγας ὀρθοῖθ' ὑπὸ μικροτέρων, ut mittam particulam ἄν. Accedat igitur Ἶρος, in arenamque descendat. Ecce hiat ter! Odyss. σ, 73. 333. 334. Sed vers. 73. hiatus est in pede primo; 333. hiatus est in voce ὅτι (cf. §. 64. sqq.); restat igitur 334. Obstant tamen tres loci: 38. 56. 233, quos corrigere periculosum est. Praestat utique hiatum, qui est 334, dicere illicitum. Etenim eadem est hujus libri Odysseae indoles, quae est Iliadis librorum, α, ξ, λ, φ, qui excellunt et hiatu illicito et productis in thesi ante vocales vocalibus longis; cf. vers. 176. 420. Hoc accuratius aliquando docebimus. Restat igitur, ex quo de digamma concludas, id unum, quod Ἶρος versu 73. dicitur Ἄϊρος. Sed ne hoc quidem certum esse digammi indicium, intelligitur ex voce simillima ὄαπτος (omitto alia nonnulla veluti ἀάατος, Il. ξ, 271.); nam ἅπτω digamma non utitur. Ignave igitur rem gessit Irus; mittamus εἰς Ἔχετον βασιλῆα.

Sed fortasse utrique voci (Ἶρις, Ἶρος) digamma ex etymologia possumus vindicare. Dicit Homerus (Odyss. σ, 7). Irum hunc hominem ob eam rem esse vocatum, quod nuntios ferebat. Ego si quid video, ea de causa dictus est, quod Ἶρις est nuntia (deorum). Itaque qui (hominum) est nuntius, per jocum dici potest Ἶρος. Contra tam incaute hunc locum intellexeruut docti homines, ut certatim dicerent nuntiandi notionem inesse in his vocibus. Quod cum opinarentur, deduxerunt utramque vocem ab ea radice, in qua dicendi est notio, h. e. a verbo εἴρω. Hanc digamma servare apud Homerum intelligi poterit ex §. 151. 1. Sed falsissima haec est deductio. Etenim εἴρω cum sit verbum liquidum, patet radicem esse ἐρ- (Latin. ser-ere). Haec enim verba ubi in praesenti habent diphthongum ει (σπείρω, τείνω all.) radicis vocalis est ε; itaque recte hujus verbi futurum est ἐρ-έω. Contra verba muta ubi ει habent in praesenti, radicis vocalis est ι; brevis illa, non longa (Ἶρος et Ἶρις utuntur longa). Patet hinc non posse deduci has voces. — Oppono huic sententiae aliam.

Etenim vocis Ἶρις stirps est ἰριδ-, quacum egregie concinit Latinorum virid-is. Radix est igitur vir-, in qua laeti vividique coloris inesse videtur notio. Succurrit urbis nomen Ἰρή (Iliad. ι, **150.**), in quo virendi inest aperte notio, nam additur ποιήεσσα. Haec vox digamma eget et ipsa. Attamen Latinorum vir- brevi utitur litera i; hae Graecae voces longa. Quae fortasse orta est ex soluto antiquo digamma initiali, cf. §. **104.** Hoc si verum est (sed tam accurate non servantur ubique longae vocales radicum in utraque lingua et breves, ut certo possimus concludere ex hac differentia), patet hiatum, qui est in quibusdam dictionibus ante Ἶρις, ex antiquo quidem digamma excusationem non habere. Patet autem virendi notionem in nomine mendici vix inesse, sed per jocum esse eum appellatum.

3. Restat vox ἆλις, in qua digamma fuisse vulgo statuunt. Nec tamen sufficiunt causae quae ex Homeri Iliade possunt afferri. Primum enim nec ex γ, **384.** χ, **473.** certo potest concludi; nec ex hiatu qui est in pede primo (ι, **137.** all.) aut in tertii pedis caesura trochaica (ξ, **122.** φ, **352.** χ, **340**). Itaque unus superest hiatus in pede secundo, β, **90.** Sed hic liber plures habet hiatus illicitos, et, quod maximi est momenti, in eodem versu illicitum hiatum fert pes quintus. Confugiendum igitur ad Odyss. ν, **136**, ubi hiatus nulla est excusatio metrica (§. 66, a, pag. 88), cum sequatur interpunctio seu vocis intermissio caesuram semiseptenariam. Cf. hymn. in Venerem v. **140.**

Quominus digamma fuisse statuamus non impediunt quidem ε, **349.** (cf. ρ, **450.** ψ. **670.**) φ, **236.** Atque elisio, quae est φ, **344.**, facile potest removeri; nam hic versus eodem modo utique est scribendus, quo φ, **236.** Obstat praeterea ρ, **54**; sed Zenodoti lectio potest adhiberi, cui accommodatum est quod conjecit Bentlejus ὅ. In Odyssea nihil obstat.

Quae cum ita sint, statuimus apud Homerum valere hujus vocis digamma.

Caput quartum.

Recensentur voces eae, quae duplici utuntur forma; altera, in qua initiale est digamma; altera, quae hac litera eget.

§. **142.** a. — Teneant quaeso lectores, quae supra §. **103. 104.** demonstravimus. Agimus enim nunc de iis vocibus, quarum altera forma ex soluto digamma videtur orta. Abiit digamma in literam ε. Hoc ut probemus, necesse est demonstremus formas primitivas certissimo uti apud Homerum digamma; formas deductas hac litera egere. Quod facile poterit demonstrari.

Jam illud ε, quod ex soluto digamma oriri diximus, si est ante vocalem ε; patet ex εε oriri posse ει. Haec altera est mutatio et haud dubie recentior.

Ceterum de augmento (ἔειπον all.) hoc loco non agitur.

Pertinent vero ad hoc genus hae voces: ἕο, εἷο; οἷ, ἑοῖ; ἕ, ἑέ — ὅς (suus), ἑός. — ἔαρ, εἰαρινός. — ἑανός, εἱανός. — ἕδνα, ἔεδνα. — εἴκοσι, ἐείκοσι. — εἰσάμενος, ἐεισάμενος. — ἑλίσσω, εἱλίσσω? — ἔλπομαι, ἐέλπομαι, sim. ἔλδομαι, ἐέλδομαι, ἔλδωρ, ἐέλδωρ — ἔργω, ἐέργω, εἴργω. — ἕρση, ἐέρση; ἑρσήεις, ἐερσήεις. — ἴσος, ἔισος; sim. ἴσκω, ἐΐσκω. — Ultimo loco agemus de difficillimis vocibus: ἐρύω (εἰρύω?) — εἴρω, εἴρομαι, εἴρημαι; collatis ἐρέω, ἐρέομαι, ἔρομαι.

Ex hoc numero supra demonstravimus pronomen tertiae personae, εἰσάμενος, ἑλίσσω, ἑανός. Quod quidem ob eam rem fecimus, quia nonnullae tantum voces ad has radices pertinentes duplici forma utuntur; plures una sola forma feruntur. Alio autem modo cum explicaverimus εἰοικυῖα, quod ortum diximus ex soluto digamma eo quod in m e d i a voce antiquitus erat; patet hoc loco perfecti ἔοικα rationem haberi non posse.

§. **142.** b. — Juvat igitur primum agere de ἕο, οἷ, ἕ — εἰσάμενος — ἑλίσσω — εἱανός.

1. Atque ἕο, οἷ, ἕ firmissimo uti digamma supra demonstravimus. Restat ut demonstremus, εἷο, ἑοῖ, ἑέ hac litera non uti. Fateor hoc demonstrari non posse, nam rarius leguntur. Concludo tamen ex analogia quam dicunt. Itaque satis habeo demonstrare digammi in his vocibus nullum esse indicium. Etenim hiatus, qui est ante εἷο Iliad. δ, **400.** est in fine pedis primi. Ante ἑοῖ producitur syllaba brevis in consonam desinens literam ν, **495.** in caesura seminovenaria, quae successit in locum semiseptenariae. Quod digammi indicium non esse docuimus §. 74. Restat ἑέ, cf. υ, **171.** ω, **134**; quibus locis digamma non demonstratur.

2. De digamma vocis εἰσάμην diximus §. 124. Mitto nunc eas formas in quibus ἐ potest esse augmentum (veluti ἐείσατο, ἐεισάσθην: ο, **415. 544**). Restat igitur ἐεισάμενος; sed num demonstrant digamma β, **22.** π, **720.** ρ, **326.** υ, **82.** all.?

3. De voce ἕλιξ diximus §. **115.** Sunt quidem qui putent μ, **49.** recte legi εἱλίσσεθ'! Sed nec locum recte explicaverunt, nec praesens quidem εἱλίσσω apud Homerum omnino legitur.— Cf. praeterea §. 86. 1. a. not. — Poteram igitur mittere hanc formam.

4. εἱανός semel legitur π, 9.

§. **143.** — ὅς, suus; ἑός.

1. ὅς. Firmissimo utitur apud Homerum digamma.

a. Producuntur enim in thesi: καί in quarta α, **307.** Odyss. γ, **235.** κ, **61**; αἰεί in quarta, Odyss. χ, **117**; item in quarta ἀμύνει: Iliad. π, **265.** ἐνίσπῃ: Odyss. θ, **101. 251.** κατάσχῃ: Odyss. ο, 200; in secunda ἔγνω: Iliad. α, **333.** θ, **446.** π, **350.** χ, **296.** (cf. π, **636**). — In arsi secunda producitur ἐπεί Iliad. ψ, **350**; addo ex Odyss. καί: α, **240.** ξ, **370.** Mitto Iliad. ν, **667.** ο, **64.**

b. Hiatum saepissime efficit haec vox. Ita in pede secundo τ, **20.** υ, **235.** Odyss. κ, **61**; in fine pedis tertii ζ, **516.** (sed hoc quidem loco nihil demonstratur). Mitto praeterea

Iliad. β, **292**. δ, **306**. ϱ, **133**. **200**. **442**. η, **153** — ϑ, **284**. ν, 8. **489**. ψ, **769**. δ, **428**. ε, **314**. ψ, **371**. ϱ, **27**. ζ, **500**. π, **445**. — Attamen silentio non possum praeterire quod legitur

c. ἀπὸ ὧν (β, **292**. δ, **306**.), nam numquam legitur ἀφ' ὧν.

2. Contra ἑός digammi indicium praebet nullum. Ubi hiatum efficit, aut in pede primo efficit (cf. quod demonstravimus §. 66.), aut in caesura trochaica pediis tertii. Atqui quominus digamma statuamus et elisiones impediunt (ζ, **483**. η, **190**. κ, **204**. **256**. ν, **513**. π, **192**. all.) et correptae longae vocales (veluti χ, **404**).

§. **144**. — ἔαϱ, εἰαϱινός.

1. ἔαϱ (ver) duobus tantum legitur locis, qui quominus digamma statuamus initiale fuisse in hac voce nihil impediunt: ζ, 148. Odyss. τ, **519**. (quo loco producitur brevis syllaba finalis in arsi tertia). — Contra digamma fuisse

2. in adjectivo εἰαϱινός demonstrari non potest. Nam ϑ, **307**. hiatus est in fine pedis quarti.

§. **145**. — ἕδνα, ἐέδνα, simm.

1. ἕδνα in hiatu pedis quinti legitur π, **178**. **190**. χ **472**. — Odyss. ν, **378**. in quarta thesi producitur καί.

2. ἐέδνα, sim., digamma non habere intelligitur ex ν, **382**. Odyss. ζ, **195**. ϑ, **318**.

§. **146** — εἴκοσι, ἐείκοσι, simm.

1. εἴκοσι digamma utitur. Hoc ex eo probatur quod in thesi producitur καί in compositis, veluti β, **510**. **748**. ψ, **264**. all.

2. ἐείκοσι digamma non utitur. Cf. α, **309**. π, **810**. **847**. σ, **373**. **470**. τ, **244**. ω, **765**. Odyss. δ, 778. — Quare nihil interest, utrum Iliad. ω, 765 legas τόδε εἰκοστόν, an τόδ' ἐεικοστόν.

§. **147**. — ἔλπομαι, ἔλδομαι, sim.; ἐέλπομαι, ἐέλδομαι, sim.

1. Quae formae ab uno ε incipiunt, certissimo utuntur di-

gamma. Quod quamvis in vocibus ab ἐλδ- incipientibus demonstrare non possimus (ἔλδωρ non legitur umquam); concludimus tamen, cum demonstrare facile possimus in vocibus ab ἐλπ- incipientibus.

Etenim ante ἔλπομαι producitur καί in thesi secunda Odyss. φ, 157; eademque vox ante ἐλπίς in thesi quarta Odyss. τ, 84. Mitto enim π, 101. — Hiatum efficit ἔλπομαι in fine pedis tertii Iliad. ι, 40. ο, 288. Omitto ι, 371. α, 545. ν. 309. 41. ρ, 404. 406. 603. φ, 605. — Restat ἔολπα, quod in Iliade hiatum non efficit. Est tamen in Odyssea in pede secundo: β, 275. γ, 375. ι, 379. Incommoda cum sit hujus vocis mensura; id quidem magni facimus, quod in Iliade longae vocales ante hanc vocem non corripiuntur.

Hinc concludimus de digamma vocis ἔλδομαι, licet unus obstet locus. Cf. §. 194, 7.

2. Quae a duplici ε incipiunt formae, ne minimum quidem praebent digammi indicium, cf. ϑ, 196. ν, 8. ρ, 488. — π, 494. α, 41. 455. 504. ο, 74. π, 238. η, 4. 7. ν, 638. ξ, 276. all. Od. ε, 219. σ, 164.

§. 148. — ἔργω, ἐέργω, εἴργω, simm.

1. Vocem ἔργω, simm. digamma uti concludimus ex hiatu, qui in fine pedis tertii legitur λ, 437: χρόα ἔργαθεν.

2. Contra ἐέργω digammi indicia non praebet, cf. Odyss. λ, 503. Mitto enim Iliad. χ, 121. et eas formas, in quibus alterum ε potest esse augmentum (λ, 569. π, 395. σ, 512. ω, 238. 544.). — Nec in εἴργω digamma fuisse concludere licet ex Iliad. ψ, 72, ubi hiatus est in pede primo. Quare haud immerito hanc formam ibidem tuentur optimi codices.

§. 149. — ἔρση, ἐρσήεις; ἐέρση, ἐερσήεις.

1. Si vera sunt, quae demonstravimus; patet ἔρση et ἐρσήεις digamma non egere. Favet huic sententiae varia lectio Odyss. ν, 245: τεθαλυῖά τε ἔρση. Hanc num recte removerit Wolfius nescio. Nescio enim, num recte statuat Rostius (in

lex. Duncan. s. h. v.) rorem semper dici apud Homerum ἐέρση, numquam ἔρση, quam formam rarius omnino legi non nego.

Ceterum quominus digamma initiale fuisse statuamus, impedire videntur hi loci: Iliad. ξ, 348. ω, 757. Odyss. ι, 222. De quibus cf. §. 193, 2. 194, 1.

2. Quae a duplici ε incipiunt formae digammi indicia habent nulla.

§. 150. — 1. ἴσος, ἰσόθεος, ἰσοφαρίζω, ἴσκω, ἰσάσκετο — 2. ἐΐση, ἐΐσκω.

1. Ante voces a vocali ι incipientes rarius leguntur vocalium longarum productiones. Mitto vocalem φ productam in thesi quarta λ, 295. μ, 130. ν, 802. Majoris momenti est μετηύδα productum in thesi quarta ψ, 569; verbi est enim terminatio. Ex Odyssea addo καμινοῖ, product. in thesi altera σ, 27. — Mitto nonnullas productiones, quae sunt in arsi Iliad. λ, 799. π, 41. ω, 607. Ceterum uno tantum in versu corripitur ante ἴση dipthongus οι, cf. Iliad. λ, 705. Odyss. ι, 42. 549.

Multo saepius hiatum efficiunt hae voces. Hic est ante ἴσος in pede secundo λ, 336. α, 163. Odyss. ξ, 203. — Omisi ν, 39. μ, 436. ο, 413. μ, 423; et eos locos, quibus in pede quinto post dativum singular. tertiae legitur ἴσος: ε, 438. 884. λ, 747. μ, 375. π, 705 786. σ, 56. 437. υ, 51. 447. 493. φ, 18. 227. χ, 460. Mitto deinde hiatum qui saepissime legitur in fine pedis quarti ante has voces: μ, 40. φ, 315. ψ, 823. — γ, 310. δ, 212. η, 136. ι, 211. λ, 472. 644. ο, 559. π, 632. ψ, 677. — ι, 390. Mitto etiam pedem primum ι, 603.

Patet tamen hunc hiatuum numerum esse permagnum. Hinc de digamma licet concludere.

2. Feminimum ἴση alteram formam praebet ἐΐση, quae nusquam legitur in hiatu. Praeterea notissima est elisio πάντοσ' ἐΐσην, cf. η, 250. all. Ceterum hanc formam non quatuor tantum in dictionibus legi, quae Passovii erat sententia, testimonio

sit Iliad. β, **765.** — Nec aliter se habet ἔισκω, quod quin egeat digamma ego non dubito. Legitur in hiatu caesurae pedis tertii trochaicae γ, **197.** ν, **446**; quibus ex locis de digamma concludi non potest. Nec magis concludere licet ex ω, **371**: πατρὶ ἔισκω. (simil. Odyss. θ. **159.** ν, **313.** υ, **362.** — de δ, **148.** cf. §. **62.** a.) Maxime enim, quominus digamma statuamus, impedit augmentum, quod est in ἠΐσκομεν temporale: φ, **332.** Addo Odyss. λ, **363.**

Quae cum ita sint; patet hiatum, qui in pede quinto legitur ε, **181.** recte inter hiatus illicitos a nobis supra §. **67.** esse relatum. Accedit, quod liber quintus Iliadis prae ceteris hiatu illicito maximopere excellit.

§. **151.** — Transeo ad voces difficillimas: εἴρω, εἴρομαι; ἔρομαι? — ἐρέω, ἐρέομαι — εἴρημαι, ἐερμένος

1. Atque εἴρω, (dico) praesens, hiatum efficit in pede quinto Odyss. β, **162.** λ, **137.** ν, **7.** Quominus consonam literam agnoscamus in hac dictione nulla re impedimur. Videtur autem hoc praesens eodem modo esse factum, quo σπείρω (producta radicis vocali); non ex soluto digamma et contractis duobus ε ortum.

Hujus verbi futurum est ἐρέω (dicam), quod saepissime producit vocem τοί in arsi secunda. Cf. α, **204. 233.** β, **257.** ψ, **326.** — α, **297.** γ, **177.** δ, **39.** ζ, **334.** ι, **611.** ο, **212.** π, **444. 851.** φ, **94.** ψ, **82.** Mitto Odysseae multos locos, qui idem praebeant. Cf. praefationem voluminis I, pag. **XXXV.** et §. **156, 1.**

Eadem dicendi notio etsi inest in perfecto εἴρημαι, futuro εἰρήσομαι; patet tamen has formas non pertinere ad praesens εἴρω, sed ad Ϝρέω, (Ϝέ Ϝρημαι, ἐέρημαι). Digammi indicia apud Homerum non inveniuntur.

Addo, mihi has quas dixi voces pertinere videri ad Latinorum — sero (dissero). Certe eadem est vis. Atque quae antiqua harum vocum est notio (conjungendi, nectendi); haec apparet in ἐερμένος, ἔερτο, cf. Odyss. σ, 295. ο, 460.

2. Contra in vocibus εἴρομαι, ἔρεσθαι, ἐρέομαι cum quaerendi seu interrogandi sit notio; has voces putaverim pertinere ad radicem eandem, quae est in Latinorum quaerere. Habuerunt fortasse digamma hae voces antiquitus, sed apud Homerum nullum est ejus literae indicium. Non enim licet concludere ex hiatu, qui est Odyss. α, 405: ξείνοιο ἔρεσθαι, cf. γ, 77. Nec raro hae voces leguntur post elisiones et correptas vocales longas. De εἴρομαι cf. composita διείρομαι, ἀνείρομαι, et Iliad. ο, 247. all. Odyss. ο, 263. ρ, 571. (τ, 95. non obstat) ν, 137. ω, 114. 474. 478. — de ἔρεσθαι Odyss. ο, 362. π, 465. γ, 69. 243. ξ, 378. — de ἐρέομαι Iliad. θ, 445. ι, 671. λ, 611. Odyss. κ, 63. 109. ρ, 509. ψ, 106.

Eadem vis est verbi ἐρεείνω, quod item digamma eget, cf. Odyss. η, 31. ψ, 365.

§. 152. — ἐρύω. Hujus verbi formae nonnullae incipiunt a diphthongo ει, de quibus infra agemus. In iis formis, quae incipiunt ab uno ε, digamma fuisse vix potest negari et probatur eo quod digamma initiale fuisse in ῥυστάζω, ῥύομαι, ῥυτήρ, verisimile est, cf. §. 84. 5. Videntur enim hae voces per syncopen ortae esse ex ἐρύω.

1. Praesentis ἐρύω digamma uno tantum loco satis aperte videtur demonstrari, Iliad. ρ, 396. Cf. infra §. 156, 1.

Reliquae formae ab uno ε incipientes indicia habent plura.

Producitur ante has οἱ in arsi tertia: ε, 298. καί in quinta, Odyss. γ, 65. 470. υ, 279. — Hiatus legitur in pede quinto Iliad. π, 781. Odyss. δ, 780. ι, 99. 194. κ, 444; in pede secundo Iliad. γ, 271. 361. τ, 252. Mitto hos locos: Iliad. α, 485. Odyss, π, 325. 359. Iliad. θ, 23. σ, 174. α, 190. ξ, 495. φ, 116. 173. δ, 530. Nec Homericum digamma probari potest ex composito αὐέρυσαν, quod ortum videtur esse ex ἀνFέρυσαν. Cf. §. 168. Misi etiam δ, 137.

2. Contra quae a diphthongo ει incipiunt formae digammi indicia non habent. Nam de perfecto et plusquamperfecto concludi non potest ex Iliad. ξ, 75. ο, 654. De reliquis formis cf. Iliad. θ, 143. λ, 9. σ. 276. Odyss. θ, 85. π, 459. 463. all. — Non nego tamen, perfecti et plusquamperfecti diphthongum ει fortasse non ortam esse ex digamma soluto; in his enim quominus initiale fuisse digamma statuamus nullo loco impedimur.

3. Addo ante eas formas, quae incipiunt a vocali ε, numquam corripi apud Homerum longas vocales. — Contra verbi ἐρύκω nec trahendi est notio, nec servandi, sed retinendi. Pertinet quidem haec vox ad eandem radicem, sed digamma Homeri temporibus jam amiserat. Cf. ε, 262. ζ, 217. ε, 321. υ, 458. all.

Verbum ἐρητύω item digamma eget. Hoc non pertinere ad eandem radicem mihi admodum verisimile est.

Caput quintum.

De syllabis finalibus brevibus, quae in consonas literas desinentes producuntur ante digamma.

§. 153. — Intelligitur ex iis, quae de digammi natura (§§. 98—106, §§. 142—152) disputavimus, omnium literarum consonarum hanc esse mollissimam. Ita fit ut facillime in vocalem ε abeat haec litera, quae multis in vocibus Homeri temporibus plane evanuerat. Restat igitur, ut quaeramus, quantum valeat apud Homerum haec litera ad producendas syllabas finales breves in consonas literas desinentes. Hujus disputationis duae sunt partes.

a. De productione, quae est in thesi.

§. 154. — Comparatis omnibus qui huc pertinent locis, facile intelligitur, ad producendas in thesi has, quas dixi, syllabas digamma plerumque non sufficere. Primum enim paucissima sunt hujus productionis exempla. Tum productio nisi ante pronomen tertiae personae et ante radicem Fιδ- (video) non invenitur.

1. Atque in thesi tertia, omnium infirmissima, nisi ante οἱ productio non invenitur. Haec legitur ε, 695. ξ, 166. π, 460. ρ, 324. et nonnullis locis Odysseae.

2. In thesi secunda productio est ante οἱ Iliad. ζ, 157. ϑ, 190. κ, 129. ρ, 699. φ, 570. χ, 438. Addo λ, 792. ο, 403, qui idem est versus. In Odyssea non rarius legitur in hac thesi productio. — Genitivus εὗ productionem efficit in eadem thesi ι, 377. — Ex Odyssea deinde addo ϑ, 215, quo loco productio est ante οἶδα.

3. In thesi prima producit οἱ: ε, 7. ζ, 194. ι, 131. 392. λ, 543. μ, 103. ξ, 521. ο, 183. φ, 547. 586. — Nec dubito quin vera sit lectio Ἕκτορ libr. ρ, 142; ubi productio est ante εἶδος.

Omisi in hac enarratione particulam πρίν (χ, 17. 158), quam constat in quavis thesi ante vocales initiales posse produci, cf. §. 71, 1. Nonnullas praeterea voces, quae digamma ornatae incommodam habent mensuram (§. 132), patet positionem efficere non posse.

Nec minus facile perspicitur, majoris momenti esse eas productiones, quae sunt in thesi tertia et secunda, quam quae sunt in thesi prima; quam firmissimam esse supra multis locis demonstravimus. Quod si verum est; potuit fortasse fieri, ut nonnullorum librorum, si qui sunt recentiores, auctoribus ob digammi paullatim molliti infirmitatem nisi in thesi prima non liceret vel ante has quas demonstravi voces productionibus uti syllabarum brevium. Sed difficilis haec est quaestio;

quam hoc quidem loco habere nos non possumus. Temere enim ageremus.

b. De productione, quae est in arsi.

§. 155. — Saepissime vel ante vocales initiales produci juvante caesura breves syllabas supra §. 73. sqq. satis demonstravimus. Patet etiam facilius effici harum syllabarum productiones, si accedit auxilium digammi, etsi infirma haec est litera. Hoc uti per se intelligitur, ita nos nunc id agimus, ut ex quibusdam productionibus demonstremus, digamma valere ad producendas in arsi syllabas breves. Hac in re pedum numerum non possumus sequi, sed alio ordine erit agendum. Conferant igitur lectores §§. 73. sqq. 94—96.

§. 156. — Constat ex §. 75. tribus omnino versus regionibus rarissime inveniri brevium syllabarum in arsi productionem. Harum regionum ante omnia rationem habemus.

1. Atque in semiternaria minore (cf. §. 86, 2), exceptis iis vocibus quas a binis literis consonis incepisse supra demonstravimus, quatuor tantum locis in Iliade invenimus ante vocales productionem brevium syllabarum in consonas literas desinentium, cf. §. 75. 1. — Contra ubi altera vox incipit a digamma, saepius legitur productio: ante οἱ libbr. ι, 284. ν, 661; ante ἐρέω: ε, 836. θ, 21. ρ, 396; ante ἐρέω: ι, 56. λ, 652; δ, 182. ζ, 462. η, 91.

2. In seminovenaria minore item productio legitur ante οἱ: ψ, 298; ante ἴδον: ω, 583. Addo tamen productiones arsis quintae nonnullas, quae idcirco ejusdem sunt momenti, quod excipiunt caesuram majorem, quae est in fine pedis quarti. Hoc si fit, patet seminovenariam in locum semiseptenariae non succedere. Sunt ante οἱ: β, 184. ξ, 178. ρ, 583. ω, 85.

3. Item in prima arsi productio est ante *οἱ*: γ, 372. δ, 500. η, 222. ι, 285. 392. μ, 450. ο, 463. 534. π, 691; ante ἤδη: ζ, 351. Maximi deinde momenti est productio ι, 147: πρὸς οἶκον, quo loco post praepositionem nulla est caesurae vis. — Mitto compositum *παρειπών*: λ, 793. ο, 404, quod eodem modo per apocopen factum est quo *παρφάμενος*. Patet tamen caesura non juvari hanc productionem, quae est in media voce. — Ex voce *πρὶν* φ, 225. de digamma non licet concludere. —

Ceterum hac in disputatione addendum est, quod facile intelligitur, eas productiones, quae sunt ante *οἱ*, caesurae vi non posse juvari. Enclitica est enim haec vox, de cujus digamma satis constat.

§. 157. — In ordine metrico secundo productiones brevium syllabarum adjuvat harum vocum digamma:

ἄγνυμι — δ, 214.
ἅλις (cf. 141. 3) — χ, 473.
ἕλιξ, simm. — π, 569. ι, 466.
ἑκάς, simm. — η, 83. υ, 295. λ, 624. ξ, 6.
ἕννυμι — ξ, 178.
εἴλω — ψ, 420.
ἐρύω — ο, 354.
ἔπος — 1: α, 108. ω, 56. — λ, 788. ω, 744. η, 375. — ξ, 212.
θ, 8. ρ, 701. ω, 767.
2: κ, 461. λ, 379. ξ, 500. ρ, 537. υ, 424. φ, 183. —
δ, 241. ο, 210. — σ, 233. ρ, 119. 215. χ, 329. ψ, 492.
ἴδον — ε, 845. λ, 243. ο, 488. χ, 25. Mitto ρ, 5. — π, 377.
εἰκυῖα — ι, 399.
ἶφι — γ, 375.
ὅς — θ, 406.
οἶκος — α, 606. ζ, 189.
οἶνος — θ, 232.

§. 158. — In semiternaria majore productiones efficiunt hae voces:

ἑκάς — ι, 564.
ἐρύω — ο, 351. ϱ, 277.
ἔπος — μ, 249.
εἶπον — π, 502. 855. — ζ, 459. 479. χ, 106. — β, 271. γ, 319. 297. δ, 81. 85. ζ, 62. η, 87. 121. 178. 201. ϱ, 414. 423. χ, 372. 375. ψ, 575.
εἰκυῖα — γ, 386.
ὅς — η, 173. ι, 220. λ, 783. ω, 85.
οἶκος — δ, 18.
οἶνος — ι, 543. (Οἰνεύς).
οἱ locis omnino septemdecim, quos longum est enumerare, quamvis caesura non adjuvetur haec productio.

§. 159. — In semiquinaria sunt:

ἕ — χ, 42: κέν ἑ.
ἑκάς, simm. — ε, 444. π, 711.
ἕλιξ, simm. — φ, 448. υ, 404.
ἑανός — ξ, 178. φ, 507.
εἶδος — ϱ, 279.
ἔλπομαι — μ, 261.
ἐρέω — γ, 83. κ, 534.
ἐρύω — δ, 506. ν, 598. ξ, 79. ϱ, 159. 235. 287. 317. 419.
εἶπον — α, 593.
ἔπος — β, 109. 361. δ, 203. ε, 871. η, 356. θ, 496. λ, 815. ν, 462. ξ, 234. 356. ο, 48. π, 236. 829. υ, 204. φ, 368. χ, 377. ψ, 557. ω, 92. 224. σ, 324.
Ἴλιος — φ, 558.
ὅς — ϱ, 260. v. lect.
ὄαρ — ι, 327.
οἱ — locis tredecim.

---

intelligitur, quum ea ita sint, ad efficiendas in arsi harum syllabarum productiones digamma sufficere.

Caput sextum.

De syllabis finalibus brevibus, quae in consonas literas desinentes corripiuntur ante digamma. — De apocope, quae est ante hanc literam.

§. 160. — Jam cum demonstraverimus ad efficiendas in arsi harum syllabarum productiones sufficere digamma, ad ejusmodi productiones in thesi efficiendas in universum non sufficere; patet digammi naturam non eam esse, quae reliquarum est literarum consonarum, sed mediam quodammodo esse hanc literam inter vocales et consonantes. Quare haec est ejusdem natura. Impedit vocalium longarum diphthongorumque correptionem, impedit elisionem. Contra syllabas breves, quae in consonas cadunt literas, efficit quasi ancipites; ita tamen, ut rarius in universum producantur in thesi, saepius corripiantur.

Idem igitur accidit in hac litera, quod accidisse vidimus in iis vocibus, quas Homeri temporibus a binis literis consonis incepisse demonstravimus §§. 83. sqq.

Quae cum ita sint, intelligitur praepositionem ἐξ ante hanc literam recte uti litera ξ finali.

Restat igitur ut demonstremus harum quas diximus syllabarum correptiones, quae sunt ante digamma initiale. Qua in re egregie falluntur homines docti. Putant enim has syllabas ante digamma corripi non posse; amissum igitur esse digamma, si corripiantur. Hoc si verum esset, haud dubie saepius producerentur hae syllabae ante digamma in thesi.

Nec tamen nego, primum, esse quandam differentiam harum vocum, quae utuntur digamma ante vocales initiali, h. e. nonnullis in vocibus firmiorem quasi esse hanc literam, in nonnullis minus firmam esse eandem; tum molestam in universum fuisse harum syllabarum correptionem; postremo nonnullas theses minus favere correptioni. Item patet correptioni magis favere eas voces, quas incommoda uti mensura supra demonstravimus.

Attamen ordinem vocalium in enarrandis correptionibus servemus necesse est. Solum pronomen tertiae personae primo loco tractare praestat.

§. 61. — οἷ, ἕ.

1. Dativus οἷ correptionem non impedit his locis: ε, 338. ζ, 90. 101. 289. λ, 339. (v. lect.) ν, 561. π, 735. (masculinum est enim μάρμαρος, cf. μ, 381.) υ, 282. ψ, 865. ω, 53. 72.*) In tanta hujus vocis frequentia exiguus sane est correptionum numerus. Attamen conjecturis, quae ζ, 90. ν, 561. ultro se offerunt, abstinendum esse censeo. Jam si quis dicat, amissum esse digamma his locis; demonstret quaeso libro ζ versum 91. (ibi producitur καί in thesi tertia) stare posse remoto versu 90. Demonstret item, in Iliade elisionem esse ante οἷ, longasve vocales corripi ante hanc vocem. Hoc in Iliade non accidit. In Odyssea quidem bis invenitur elisio: λ, 442. ο, 101.; quos nunc mitto locos, infra tractaturus. Patet tamen vel hos locos, si recte se habent, non multum efficere; nam circiter quinquies millies dativus οἷ legitur apud Homerum.

---

*) Addit Hermann. Orphic. p. 775. libr. β, 665. Hoc loco scholiorum auctoritate commotus Wolf. posuit pronomen. Putaverim articulum esse οἱ, si licet ita dicere, cf. Naegelsbach. p. 333.; κ, 408. Hujus rei summa cum redeat ad accentum, scholiorum nulla est auctoritas.

2. Ante ἵ semel corripitur in Iliade brevis syllaba: ξ, 162. Sed vel hoc loco maxime displicet conjectura ἐντύνασα, a Bentlejo proposita. Nam aliter se habet ρ, 551.

§. 162. — Transeo ad eas voces, quae incipiunt a vocali α.

1. Ante ἄγνυμι correptas has syllabas in Iliade non legi.

2. Ante ἅλις semel corripitur brevis syllaba: φ, 236.

3. Ante ἁλίσκομαι numquam.

4. Ante ἄναξ, simm., quae voces incommoda utuntur mensura, correptio invenitur his locis: η, 162. ο, 453. (mitto conjecturam κροτέοντε). 639. (v. lect.) τ, 124. υ, 67. ψ, 49. 288. ω, 449. 452. Addo Aristarchi lectionem ν, 28.

5. Ante ἁνδάνω, ἡδύς correptio non invenitur. Idem accidit

6. in voce ἀραιός.

7. ἄστυ semel correptionem non impedit: σ, 274.

8. Vocem ἀρνός digamma non uti verisimile est. Ceterum correptas has syllabas ante hanc vocem in Iliade non legi.

§. 163. — Ab ε incipiunt harum vocum radices:

1. ἔαρ. Correptas has syllabas non legi. Eodem modo se habet

2. ἕδνα.

3. Ante ἔθνος legitur ἐπιῤῥέον: λ, 724. Potest esse synizesis, cf. λ, 282. σ, 493. all.

4. Ante ἔθειραι non corripiuntur hae syllabae.

5. Eodem modo se habet εἴλω.

6. εἷμα, ἕννυμι simill. Correptio est γ, 57. σ, 352. 613. ψ, 254.

7. Ante εἴκω non legitur.

8. εἶπον, ἔπος. — Correptio est ante ἔπος: ε, 683. η, 108.; ante εἶπον: α, 106. 230. β, 70. Patet igitur et ἔννεπον recte se habere et ἔνεπον; illud in arsi, hoc in thesi.

9. Ante εἴρω, dico, non legitur. Ante ἐρέω ob vocis mensuram non potest esse. Eodem modo se habent

10. ἑκάεργος, ἕκατος, ἑκατηβόλος, Ἑκαμήδη. Ceterum ante hanc radicem correptio est α, 21. 438. υ, 422. — Multo saepius est ante ἕκαστος: λ, 634. 748.; β, 719. ι, 88. (v. l.) 180. 203. ο, 288. τ, 332. ψ, 55. 370. ω, 1. Addo notissimum versum, qui legitur ε, 470. 792. λ, 291. ν, 155. ο, 500. 514. π, 210. 275. Patet hanc vocem incommoda uti mensura.

11. Ante ἑκών correptio est ψ, 434. 585.

12. Ante ἕκηλος: ϑ, 512.

13. Ante εἴκοσι non est.

14. Ante stirpem ἑλικ — legitur ν, 204. ψ, 320.

15. Ante radicem ἑλδ — seu ἑλπ — non legitur.

16. Ante ἔργον, rell., legitur β, 751. ι, 374. κ, 503.

17. Ante ἔργω (arceo) non legitur.

18. Ante ἔῤῥω non legitur. Nec est correptio

19. ante ἔρση.

20. Ante ἐρύω, est ρ, 635. 713. υ, 311. — χ, 303?

21. Ante ἔτης non est.

§. 164. — Ante eas voces, quae incipiunt a litera η (ἦρα, ἤϑεα, ἦνοψ sim., ἠρίον) non invenitur correptio. Sed rarissime leguntur hae omnes.

§. 165. — Transeo ad radices a litera ι incipientes.

1. Fιδ. — Ante eas voces, quae notione sciendi utuntur, correptio legitur ζ, 151. υ, 214. At η, 198. melior est Aristarchi lectio quam Aristophanis. Restat χ, 280.: ἐκ Διὸς ἠείδης, quae

forma orta potest esse ex ἐϜείδης (cf. εἴαδεν, h. e. ἔϜαδεν) et digamma fortasse eget. — Ubi videndi est notio, quae formae saepissime mensuram habent incommodam, correptio est: β, 269. 384. γ, 224. 453. δ, 232. 240. 374. 516. ο, 155. (cf. Thiersch. §. 204. 6.) χ, 450. ω, 337. Gravior est locus α, 203; ancipiti enim ultima utitur ὕβριν, cf. §. 71, 3. Poteram addere ἰςιδών: χ, 407. — Ubi apparendi est notio, correptio legitur ξ, 472. At ν, 191. potest fuisse χρώς, non χροός, cf. ν, 279. ρ, 733.; scripsit ita Zenodotus. Ante εἶδος et εἴδωλον non est.

2. ἵεμαι. Correptio est δ, 77; sed notio est volandi, non cupiendi; et alia est radix. Cf. §. 120.

3. Ϝικ. — Ante ἴκελος non potest esse correptio, ante εἴκελος non est. Incommoda cum sit perfecti ἔοικα mensura, non miror correptionem: β, 233. δ, 286. υ, 371. 372.

4. Ἴλιος simill. Correptio est ε, 204. ζ, 386. ν, 349. φ, 81. 128. 156. ω, 67.

5. Ante ἶφι est β, 720. δ, 287. ε, 606. μ, 367. Ante ἶνες, ἰνίον non est. — De ἴς, ἴφθιμος supra diximus; cf. μ, 417.

6. Ante ἴσος, simill., est ι, 142. ο, 209.; ζ, 101. φ, 194. 411.

7. Ante ἰτέη non legi.

8. Idem accidit in voce ἰωή.

9. Ante ἰῶκα est λ, 601.

10. Vocem Ἶρις supra demonstravimus; correptio ante hanc vocem non est.

§. 166. — A vocali ο incipiunt hae voces:

1. ὄαρ. Correptio non legitur

2. οἶκος, simill. Semel legitur correptio, libr. β, 750.

3. οἶνος, simill. Est η, 467. σ, 545.; ι, 706. 813. Varia lectio est η, 467; sed hac efficeretur in thesi quarta productio, et unicum esset hujus rei exemplum. Quare hanc lectionem parvi facimus.

4. ὅς. Est α, 609. ϑ, 535. τ, 4. ψ, 748. Addo versum notissimum λ, 403. ϱ, 90. σ, 5. υ, 343. φ, 53. 552. χ, 98.

5. Ante οὖλος, οὐλαμός non legitur.

§. 167. — Item ante ὦλκα correptio non legitur.

Loci sunt centum viginti quatuor. Ex his qui pertinent ad primam thesin et quartam, si hae theses antecedente caesura non debilitantur, (cf. §. 66. b, c.) correptionis finem videntur attingere. Hos enarrabimus, si quis velit uti; omissis η, 198. χ, 280. λ, 724. ζ, 101. φ, 411. Sequimur hac in re librorum ordinem.

β, 720: ἶφι in thesi quarta. — 750: οἶκος (4) — 751: ἔργον (4).

γ, 57: ἕννυμι (1).

δ, 287: ἶφι (4).

ε, 606: ἶφι (4) — 706: οἶνος (4).

ζ, 289: οἶ (1).

η, 467: οἶνος (4. var. lect.)

ϑ, 535: ὅς (1).

140: ἴσος (4).

μ, 367: ἶφι (4).

ν, 349: Ἴλιος (4).

ο, 209: ἴσος (1).

σ, 274: ἄστυ (4).

τ, 4: ὅς (4).

φ, 194: ἴσος (4). — 128: Ἴλιος (4).

ψ, 748: ὅς (4). — οἶ: 865 (4).

Multo minus molesta est correptio in caesura trochaica pedis tertii; proxime tamen accedit ad eam correptionem, quam modo demonstravimus. En locos: β, 269. 384. quibus locis infirmior est caesura. — δ, 232. 240. — ε, 683. — η, 108.

162. — λ, 601. — ν, 204. — ο, 155. 453. — ϱ, 635. 713. — σ, 352. 613. — τ, 124. — υ, 311. — φ, 236? ἅλις. — χ, 450. ψ, 49. 254. 288. 320. 434. — ω, 337.

Saepissime correptio est in thesi quinta. Sed nolo his diutius morari.

§. 168. — His expositis si demonstravimus medium esse digamma inter vocales literas et consonas; sequitur nonnullas voces, quae apocope afficiuntur ante consonantes initiales, idem pati posse ante digamma. Dicimus eas voces, quas demonstravimus §. 7. coll. 63. Jam si est apocope, nam de elisione non agimus, idem accidit, quod accidere solet in syllabis brevibus in consonas literas desinentibus, ut fiant ancipites. Ergo in arsi possunt produci hae syllabae, cujus rei mentionem fecimus (παϱειπών) §. 156. 3.; possunt tamen etiam corripi in thesi. Quae cum ita sint, patet recte semper produci primam syllabam vocis αὔεϱυσαν (ἀνϜέϱυσαν, quae nisi in arsi non potest legi in versu heroico; cf. §. 152, 1.; patet vero etiam, multos locos, quos literae Aeolicae obstare docti homines putaverunt, non obstare. Nam non est elisio, sed apocope.

Juvat omnes locos enumerare, in quibus apocopen esse potest statui.

1. Praepositio πάϱ ita legitur λ, 166. ante Ἴλου. Referenda est ad σῆμα, sed invenitur ejusmodi ante consonantes initiales apocope γ, 272. λ, 499. all. Addo παϱεῖπῃ: α, 555.

2. Eodem modo fortasse se habet κατιδών: η, 21. δ, 508. coll. κάββαλεν all.

3. Item praepositio ἀνά apocopen patitur saepissime. Haec potest esse in εἰσανιδών: π, 232. ω, 307; in ἀν᾽ ἰωχμόν: ϑ, 158; fortasse etiam in ἀν᾽ ἑκάστην: ι, 383.

4. Eodem pertinet fortasse ἄϱ᾽, quod nunc legitur ante εἴδωλον: ε, 451.; ante οἶνος: η, 472; ante ἕκαστος: π, 169. —

Ceterum ideo dubitanter hos locos addidi quod ε, 451. η, 472. sunt in thesi prima; π, 169. facillime potest deleto ἄρ' scribi δέ.

5. Non dubito eodem referre ἀπειπόντος quod legitur τ, 75. Negant quidem nonnulli (cf. §. 63. not.) recte legi in Odyssea ἀππέμψει; intelligunt ex scholiis, fuisse ἄμ (h. e. ἀνα) πέμψει: sed hos falli supra satis demonstravi. Addo idem licere in praepositione ἀπό, quod licet in ὑπὸ (ὑββάλλειν); et apocopen esse in compositione, qua multo arctius conjunguntur duae voces, quam ubi ante substantiva est praepositio. Sed ubinam legitur certissimum illud ὑββάλλειν? Legitur τ, 80. h. e. paene eodem loco quo legitur ἀπειπόντος correptum. Itaque quin haec sit apocope, nullo modo licet dubitare.

6. Hoc si verum est, patet eodem modo statui posse de ὑπείξομαι: α, 294.

Caput septimum.

De vocalibus finalibus brevibus productis ante digamma.

§. 169. — Conferant lectores quae disputavimus §§. 81. 93. 94. 95. — Demonstravimus supra rarissimam esse harum vocalium ante singulas literas consonas productionem. Jam si verum est, quod diximus, digamma esse infirmiorem literam quam reliquas consonas; apparet molestiorem etiam esse harum vocalium ante digamma productionem. Intelligitur vero etiam, minus molestam esse hanc productionem, quam quae est brevium vocalium ante vocales initiales.

Atque cum in thesi non inveniatur haec productio, de arsi est agendum. Producuntur autem vocales breves in Iliade ante has voces: οἷ, ἕο, ἕθεν, ὅς, ἕκυρος, ἰκέλη. De vocibus ἰαχῇ, ἰάχω infra agam.

§. 170. — 1. Diximus supra admodum firmam esse vocalem ι et facillime eandem produci ante singulas consonantes. Ante digamma haec producitur: φ, 507. προτὶ οἷ (ars. est sexta). — tum in notissima versuum clausula πόσεϊ ᾧ: ε, 71. π, 512. ω, 36. — Addo postremo ἀνδρὶ ἰκέλῃ, quod est in semiternaria minore δ, 86.

2. Secundo loco ponimus duas productiones, quae tam saepe inveniuntur et in Iliade et in Odyssea, ut videantur esse receptae ex antiquiore poesi (similem rem indicavimus §. 76. 141. 2.) Sunt ἀπὸ ἕο: ξ, 427.; ε, 343. ν, 163. υ, 261. — ἀπὸ ἕθεν: ζ, 62. κ, 465. μ, 205. υ, 478.

3. Eodem modo se videtur habere notissima clausula θυγατέρα ἥν: ε, 371. ζ, 192. ν, 376.

4. Restant igitur hae productiones: ἐπίσταιτο ἧσι: ξ, 92 (3.) — οὐδὲ οὗς: β, 832. λ, 330. (4.) — ἄρα ᾧ: ρ 196. (4.) — φίλε ἑκυρέ: γ, 172. (4). — Omnium durissima est τό οἱ: χ, 307. Est enim in prima arsi ante vocem encliticam. Haec durior videtur esse quam quae legitur π, 228: τό ῥα.

§. 171. — Restant voces ἰαχή, ἰάχω, quae tales productiones usque ad librum Iliadis φ efficiunt saepissime.

In semiseptenaria legitur γένετο ἰαχή: δ, 456. μ, 144. π, 366. ο, 396. (v. l.) In semiternaria minore sunt hae formulae: μέγα ἰάχων: ξ, 421. ρ, 213. σ, 160. ἰάχουσα: ε, 343. σμερδαλέα ἰάχων: ε, 302. θ, 321. π, 785. τ, 41. υ, 285. 382. 443. Formulas dixi ex antiquiore fortasse poesi receptas. Digamma antiquitus in his vocibus fuisse verisimile est, si confers nostram vocem quîken; nam de amissis literis qu- supra §. 76. egimus.

At apud Homerum non servatur digamma. Etenim ex ξ 1. ρ, 266. λ, 463. de digamma non licet concludere. Et obstat aperte primum elisio: α, 482. ρ, 29. σ, 229. φ, 10.; δ, 125.; β, 316.; ε, 860. ν, 835.; ν, 822. 834. ρ, 723. ψ, 216.; σ, 219.;

tum correptum καί: υ, 62.; postremo vocalis ι, producta in imperfecto ῑαχον, quae produci non poterat, si valebat digamma.

Supersunt igitur duo loci, quibus productio ad harum formularum similitudinem est facta: ο, 175: ὑπὸ ἰαχῆς; π, 373: δὲ ἰαχή. Confer quae de voce ὥς supra diximus §. 76.

§. 172. — Restant duae productiones, quae sunt in compositis; quae nulla juvantur caesura: ἀποέρσειε: φ, 320. cf. 283. — et ἀποειπών: τ, 35. Hae non minus molestae sunt quam ο, 175. π, 373. Putaverim non ex antiquiore poesi eas esse receptas; sed recentioribus temporibus esse factas, cum de H o m e r i c a producendi ratione non constaret. Infra de his locis accuratius (§. 225, 3.) egimus. Damnamus igitur quae scripsimus §. 79, pag. 109.

QUAESTIO QUINTA.

QUAERITUR, QUOMODO STATUENDUM SIT DE LOCIS ILIADIS, IN QUIBUS NEGLECTUM ESSE DIGAMMA VIDEATUR.

Caput primum.

1. *Congeruntur quae de digamma reliquisque consonis antiquis ante vocales initialibus in quaestione quarta dicta sunt.* — 2. *Cum eorum locorum, in quibus antiquae consonae initiales neglectae sunt, plerique facillimis conjecturis sanari possint; quaeritur in universum, quando et cur antiqua orationis forma mutata sit.* — 3. *Quaeritur quomodo in sanandis his locis agendum sit.*

§. 173. — Valuisse iis temporibus, quibus confecta sunt carmina Homerica, consonas literas initiales multis in vocibus, quae nunc a vocalibus incipientes in his carminibus feruntur, supra satis demonstravisse nobis videmur. Juvat nunc et quae hujus sententiae fuerint causae, breviter proponere; et quae de earum consonarum natura variis locis in quaestione quarta diximus, in unum locum congerere.

Atque valuisse illas literas, primum ex eo probavimus, quod, quae in consonas literas desinunt syllabae breves, non

solum in arsi ante ejusmodi voces saepissime producuntur (§. 155. sqq.), sed paucis locis in ipsa thesi (§. 154.) Neque illud neglegimus, produci ante has voces in thesi haud raro eas syllabas, quae desinunt in longas vocales seu diphthongos; produci etiam eas voces, quae aut nunquam producuntur in hiatu, aut, sicubi producuntur, dant summam suspicionem (§. 60. — cf. praefat. volum. I.) Accessit quod, quae in vocales breves desinunt syllabae, quae hiatus excusationem ex firmitate vocalis finalis non habent, hiatum vel in iis versuum sedibus efficiunt, quas hiatus impatientissimas esse demonstravimus; et quod in arsi ejusmodi vocales nonnullae ante illas voces, quas saepe dicimus, vel producuntur (§. 169. sqq.) Est etiam ubi antiquae scripturae servata sint quaedam et certissima vestigia (§§. 110, 1. c. — 2. c. — 3. c. — 123. c. all.) Postremo illud magni fecimus, quod, cum quarundam vocum incommoda sit mensura, tamen hoc incommodo quasi vinculo poetae se constringi passi sint, neque commodiore verborum conjunctione unquam fuerint usi (§. 132. 133. sqq.) Addo, quod supra omisi, rarissime legi κατιδών, ἐπιδών, ἐπιδεῖν, simm. Quae formae quam commodae sint in versu heroico, facile lectores intelligunt. Cur igitur his paene abstinet Homerus, quamvis formis καταϊδών, ἐπιϊδεῖν non licuerit omnino uti?

Valent igitur antiquae consonae initiales.

Attamen non ea est earum natura, quae est reliquarum consonarum, quibus hae sunt multo infirmiores. Cum enim ad efficiendam in thesi positionem paucae valeant voces (οἱ, εὖ, rad. Fιδ-), nec saepe legatur haec positio; statuendum est correptionem syllabarum brevium, quae in consonas literas desinant, digamma non impediri. Quamquam ante οἱ saepius invenitur productio quam correptio (§§. 160. sqq.) — Sequitur de apocope statui posse in iis vocibus, quae apocope apud Homerum minui solent (§. 168). Quarum si est apocope ante digamma initiale, patet eas tum produci posse tum corripi.

Hactenus quae disputavimus videntur esse certissima. Nituntur enim ipsis carminibus Homericis. Restat ut de Thierschii agamus sententia, quam §. 97. attigimus. Dicit enim Thierschius, Gr. Gr. §. 35, coll. §. 157, 8. δέ particulam minutam esse ante digamma, utens verbis Prisciani: digamma Aeoles est quándo in metris pro nihilo àccipiebant, ut:

ἄμμες δ᾽ Fειρήναν· τόδε τᾶρ θέτο Μῶσα λίγεια. (Cf. Ahrens d. diall. I. pag. 31.) Addo verba Hermanni, quae sunt ad hymnum in Venerem, v. 86: Ut veniam ad vocabulum ἔργον, v. 6. legitur πᾶσιν δ᾽ ἔργα μέμηλεν. Id quidem, etiam si digamma servetur, recte se habere, puto. Sic Iliad. δ, 470. ρ, 279. Odyss. λ, 549. — Cf. Voss. ad h. in Cerer. v. 140. — Thiersch. Gr. Gr. §. 158. 6, sqq. Quae quidem sententia, licet multis placuerit, tamen falsa est. Nam ut concedamus omnia in illo versu, quem laudat Priscianus, recte se habere (cf. tamen Ahrensium l. l.); δ᾽ εἰρήναν aut apocope est, aut elisio. Apocope est, si in εἰρήνη valebat digamma, quod confirmat Priscianus. Statuamus recte confirmavisse. Quid sequitur? δέ particulam apud Alcmanem (?) apocope deminutam fuisse. Hinc quid de Homero concludendum? Nihil. Apud quem cum constet δέ particulam nisi elisione non minui, temerarium est inferre quae valent apud Alcmanem. Quod qui concedat, non video quomodo negare possit legendum esse apud Homerum τοπρὶν ἐπ᾽ εἰρήνας, non εἰρήνης; invenitur enim apud Alcmanem. Sed hac in re ea est apud me Prisciani auctoritas, ut omnem fidem ei derogem. Puto enim sicubi pro nihilo digamma Aeoles acceperint, digamma vere nihil fuisse; obliteratum igitur fuisse. Ergo elisio est δ᾽ εἰρήναν. Perstabo in hac sententia, donec valuisse illis temporibus, quibus hic versus confectus est, in voce εἰρήνη digamma homines docti demonstraverint. In Homericis certe carminibus tantam esse in hac litera firmitatem, ut elisio ante eam non possit esse, satis de-

monstravimus. De qua firmitate si quid amplius detraheremus, digamma non consona esset sed spiritus.

Sed redeo ad inceptum, confidens ipsa mea demonstratione. Intelligent enim homines docti, tam facile paene omnes Iliadis locos, in quibus neglectum esse digamma videatur, sanari posse, ut hac Prisciani opinione optime careamus.

§. 174. — Quaerendum est autem, quando et quibus de causis antiquior orationis forma in carminibus Homericis mutata sit.

Ac primum quidem patet, quamdiu valuerit digamma hanc literam negligi non potuisse. Mutata est igitur antiqua oratio postquam obliteratum est digamma. Deinde intelligitur non uno tempore in omnibus vocibus hanc literam evanuisse, sed firmiorem eam fuisse in aliis, in aliis minus firmam. Ergo paulatim aucta est antiquae orationis mutatio. Ita evenit ut ne uno quidem loco in Iliade inveniatur ante οἷ elisio seu correptio vocalium longarum diphthongorumve. Hic in Iliade est quodammodo mutationis finis, ex quo intelligitur Iliadem paene totam confectam fuisse antequam evanuerit in hac voce digamma; id est diu ante Pisistratum. Contra in aliis vocibus tam mature digamma evanuerat, ut recentiores fortasse p o e t a e, qui ipsi conficerent quasdam hujus carminis partes, nonnullarum vocum digamma ignorarent. Taceo enim de interpolationibus (cf. praefat. vol. I, pag. 19). Quamquam quae modo disputavimus non ita volumus intellecta, quasi nonnullas dictiones e digamma originem ducentes, veluti quosdam hiatus, recentiores et poetae et rhapsodi omnino ferre non potuerint. Quae etsi fortasse posterioribus temporibus aliqua ex parte molestae erant, tamen quasi formulae epicae servabantur. Potuit etiam fieri, ut ad earum similitudinem recentiores poetae ipsi nonnulla efficerent. Rectissime enim ita censuit H e r m a n n u s O r p h i c. p. 688. — Cf. nostras quaestiones, §§. 67. 60, p. 76. 171. all. —

Attamen mutata sunt permulta; nec difficile plerumque fuisse mutare antiquam dictionem ex hac quaestione apparebit. Id unum velim lectores teneant, per nonnulla saecula haec carmina ore rhapsodorum esse circumlata, et quasi vivam fluxamque fuisse poesin. Quod quo melius lectores tenebunt, eo facilius intelligent, et quam facilis fuerit mutatio et qualis existimanda sit. Reputent vero etiam, quam habilis sit lingua Graeca et quam multae insint in poesi epica ejusdem notionis dictiones et formulae, quibus haec poesis paene abundat.

Restat, ut quaeramus, quaenam prae ceteris ad immutandam antiquam orationem valere potuerint causae. Nam omnes quidem enarrare et longum est, nec facile omnes inveniri poterunt. Subsistemus igitur in iis, quae, quod latius patent et quaedam quasi g e n e r a correctionis efficiunt, prae reliquis sunt definiendae.

Atque primam causam dicimus hiatus molestiam; qui quam saepe remotus fuerit ex Iliade, apparebit ex iis, quae infra demonstrabimus. Saepissime enim in promtu fuit ejusmodi correctio. Nam Iliad. α, 288, ubi antiquitus haud dubie legebatur πᾶσιν δὲ ἀνάσσειν, facillime legi potuisse πάντεσσι δ᾽ ἀνάσσειν omnes sua sponte intelligunt. Sunt etiam nonnulli loci, qui ipsi rhapsodos ad corrigendum quodammodo provocaverint. Ex his unum instar omnium liceat addere. Est λ, **517**, ubi deleto asyndeto nunc legitur αὐτίκα δ᾽ ὢν ὀχέων; constat autem αὐτίκα particulam apud Homerum saepissime legi in asyndeto.

Altera causa fuit, quod molestae fuerunt quaedam vocalium longarum diphthongorumque productiones, quae posterioribus temporibus in hiatu fieri visae sunt, cum antiquitus digamma litera efficerentur. Harum ad thesin pertinet pars maxima. Sunt tamen etiam quae ad arsin pertineant, veluti ἐπεί Iliad. ξ, 383. cf. §. 60. Quamquam non nego in quibusdam recentioribus partibus inveniri nonnullas ejusmodi productiones ex male intellecta producendi ratione Homerica ortas, cf. §. 60.

extrem. — Unum affero exemplum: ρ, 145, ubi quod legitur λαοῖσι τοὶ Ἰλίῳ idcirco illatum est in Iliadem, ut tolleretur productio vocis τοί, postea molesta. Legendum esse λαοῖς, τοὶ intelligitur ex Odyss. θ, 495.

Tertia autem ea est causa, ex qua etiam hodie multae nascuntur conjecturae. Decet enim poesin epicam summa simplicitas. Quae cum postea minus placeret; factum est ut in carmina Homerica inferrentur quaedam dictiones, quibus accuratius sententiae declararentur et distinctius. Hoc quidem modo in oratoribus Atticis itemque in tragoediis comoediisque quae minus distincte sunt dicta, saepissime egregiis conjecturis sanata sunt. At aliter res cecidit in poesi epica, in quam qui intulerunt ejusmodi correctiones interdum deleverunt antiquam linguae naturam. Liceat nunc multa, quae huc pertinent, silentio praeterire et consistere in uno correctionum genere, quod late patet. Namque saepissime pro simplicibus composita leguntur apud Homerum. Cujus rei non raro ea est ratio, ut restitutis vocabulis simplicibus digamma possit servari, cum neglectum sit in compositis. Attulit nonnulla ejus generis exempla Hermannus (h. in Apoll. 255.) Sed abstineamus reliquis locis, de quibus infra agemus; proferamus unum ex Odyssea. Nam quod legitur Odyss. α, 37. ἐπεὶ πρό οἱ εἴπομεν ἡμεῖς, ubi neglectum est digamma vocis ειπεῖν, id eo consilio ita est constitutum, ut antiqui simplicis (ἐπεί οἱ εἴπομεν ἡμεῖς), quae hoc loco erat, notio distinctius demonstraretur, licet causa correctionis fortasse fuerit molesta vocis οἱ in thesi productio. At dicat quispiam me causam corrigendi cum corrigendi ratione modo confudisse! Ago enim nunc de causis mutationis. Respondeo tamen, usu saepissime convenire, quae ratione distinentur; et tam angustum esse utriusque rei limitem, ut quae ratio fuerit, quae causa, multis in locis vix possit existimari. Certe illo Odysseae loco equidem eam causam agnosco, quam ipse demonstravi; sunt enim ejusmodi productiones nonnullae ante εἶπον in carminibus

Homericis (cf. §. 117.), quas postea molestas fuisse necesse est.

Quarta est causa, quae proxime accedit ad tertiam, quod nonnullae sive dictiones, sive formae, sive verborum structurae, uti fieri solet, posterioribus temporibus minus in usu fuerunt antiquitatemque nimiam visae sunt redolere. Constat enim antiquissimis temporibus in his rebus esse fluxa multa et minus certa, quae temporum progressu quodammodo coercentur. Jam cum, quamdiu quasi viva est ars, ejusmodi antiquitatis vestigia, quibus nulla ars eget, patiatur quidem, sed non captet; patet interdum deleri potuisse quae nimis antiqua esse seu recedere viderentur ab recentiore dicendi usu. Huc pertinent multa; et plura fortasse, quam quae infra demonstrabimus. Nam difficillima haec est quaestio; periculosa detrimentosaque, nisi cautissime agitur. Nec tamen facere possum quin proponam exemplum, quod, quamvis difficilis sit demonstratio, huc pertinere putaverim. Quae enim ante εἶπον et ἔπος sunt elisiones, cum paene omnes facillimis conjecturis possent removeri, non dubitabam quin, quod nunc legitur ὧδ' εἴπῃσι et quae sunt similia (veluti Iliad. η, 300. — cf. Odyss. ε, 342. 360. all.) antiquitus fuerit ὧς εἴπῃσι. Quod ut demonstrarem totam Odysseam perlegebam. Apparebant quidem quaedam testimonia, de quibus infra dicam, sed ea dubia et minus certa; jamque perlectis etiam Iliadis plerisque libris de certioribus testimoniis desperabam, cum incidi in Iliad. ϱ, 420, ubi ὧς (δέ τις αὖ Τρώων μεγαθύμων αὐδήσασκεν) aperte ad ea pertinet, quae sequuntur. Patet casu servatum hoc esse antiquae dictionis vestigium. Nec dubito quin ob eam rem quibusdam locis deleta sit antiqua lectio, quod posterioribus temporibus ὧς plerumque pertinebat ad ea, quae antea erant demonstrata; ὧδε ad ea, quae sequebantur. Quod ni ita fuisset, mutandae lectionis nulla fuisset causa.

Quinta denique causa etsi multo minoris est momenti, paucis tamen locis videtur valuisse. Putaverim enim interdum

mutatum esse verborum ordinem vel illatas esse particulas monosyllabas, elisione deminutas, ut efficeretur brevium syllabarum in consonas literas cadentium productio, quae antiquitus efficiebatur digamma. Pertinet haec correctionis ratio plerumque ad thesin et ad arses infirmiores veluti ad semiternariam minorem (cf. §. 86, pag. 147.) et ad arsin primam. Ita λ, 792. legendum est τίς οἶδ᾽. — ι, 224. πλησάμενος δὲ δέπας οἴνου. — ζ, 367. in thesi prima οὐ γὰρ οἶδ᾽. — α, 548. vel in tertia thesi τὸν εἴσεται. Habet tamen ea conjecturae ratio, qua ejusmodi productiones in thesi efficiuntur, multas cautiones.

Quae vero causa quovis loco ad mutandam antiquam dictionem valuerit inutile est quaerere. Saepe non unam valuisse sed plures supra demonstravimus. Quare satis habeo de singulis, quae plurimum valent, nunc proposuisse.

§. 175. — Restat ut lectoribus demonstremus, quomodo nobis de iis locis, in quibus neglectum est digamma, statuendum esse videatur.

Primum tenendum est aliam esse editionem, aliam quaestionem. Si ederem Iliadem, quantum fieri potest religiosissime conservarem recensionem Alexandrinam, maxime Aristarcheam; nec inferrem digamma, nec conjecturas, quibus digamma restitueretur. Quaestionis autem nostrae ea est ratio, ut demonstretur quomodo differant singulae Iliadis partes et quid antiquissimum sit in hoc carmine, quid postea additum. Quae ut cognoscantur, una omnino patet via, quam diximus §. 60, pag. 75. Sanandi sunt enim omnes loci, qui facili et probabili conjectura sanari possunt; quibus sanatis videndum est, quid restet, quod sanari non possit. Supererunt enim nonnulli loci, quamvis pauci. Quos ubi deprehenderimus, rursus agendum est de conjecturis, quibus ea, quae illis locis vicina sunt, sanavimus. Videndum deinde, quid ex iis conjecturis tenendum sit, quid omittendum.

Periculosum est autem nonnullos locos, qui per se inter-

polationis dant suspicionem, a correctione prohibere. Ita β, 672, qui antiquitus suspectus est locus, facillime potest emendari, ut removeatur omissi digammi suspicio: Χαρόπου τε ἄνακτος. Agemus igitur ita, nam de hoc loco aliisque similibus rectius statui poterit ex reliquis quaestionibus.

Apparebit ex hac quaestione, cum paene omnes loci facillime possint sanari, una eademque fere linguae aetate maximam partem Iliadis esse confectam et ad recentissimam aetatem perpaucos tantum pertinere locos, de quibus infra accuratius agemus.

Ceterum monendi sunt lectores, ne, quod nostris viribus confidamus necesse est, ob hanc causam putent irrita esse haec conamina, quae certis egeant fundamentis, neque adjuventur amplissimis doctrinae Alexandrinorum copiis. Habemus quidem Iliadem maximam partem Alexandrinam, id est accuratissimis curis castigatam. Neque tamen ita est constituta, uti illis temporibus constitui potuit, quibus quin permulta antiquioris lectionis vestigia in codicibus servata fuerint, nunc deperdita, non licet dubitare. Immo, si modo haberemus omnes editiones Alexandrinas, de multis locis nunc constaret nec conjecturis esset opus. Cum enim φ, 399. conjecissem deleto μ' scribendum esse ὅσσα ἔοργας, magno gaudio affectus sum, cum vidissem ita legi in reliquiis codicis Ambrosiani tenuissimis. Quae licet tenuissimae sint, tamen et hoc loco veram praebent lectionem, et α, 444, ubi rectissime lectionem ἱλασόμεσθά ἄνακτα Wolfius recepit, remota vulgata lectione ἱλασσώμεθ' ἄνακτα, in qua neglectum vides digamma. Cf. Buttmann. schol. in Odyss. pag. 579. sqq.

Neque illud silentio possumus praeterire, quod supra quasi in transitu diximus, caute agendum esse, ne conjecturis eae efficiantur lectiones, in quibus, quae in consonas cadunt syllabae breves, in thesi producantur. Sed de hac re constat ex §. 154. Sequitur ejusmodi productiones nisi ante pronomen tertiae personae radicemve Fιδ- (Video) aut omnino

ferri non posse; aut in sola prima thesi, quam patientissimam esse saepius demonstravimus, posse tolerari. Quamquam vel de hac re valde dubito; nam si licuisset ante quodvis digamma in prima thesi producere breves syllabas, haud dubie plura essent in Iliade et Odyssea ejus rei exempla.

In demonstrandis autem nostris emendationibus triplici modo possumus agere. Aut enim librorum ordinem possumus servare, aut ordinem vocalium initialium; aut singula quasi correctionum genera constituere. Patet quam tertiam diximus disputandi rationem esse optimam. Qua si utimur apparebit multarum emendationum et facilitas et simplicitas, quarum permultae sibi invicem auxilium ferunt. Attamen lectorum in usum duas tabulas addemus, in quibus secundum ordinem et vocalium et librorum emendationes enarrabuntur. Ita enim agentes efficiemus ut lectores persuasum habeant, nos non nostram sententiam solam amare sed veritati studere, ideoque, quae minus recte sint fortasse disputata, nullo modo celare judiciove lectorum subtrahere voluisse.

Caput secundum.

Corriguntur permulti Iliadis loci, in quibus antiquum digamma initiale neglectum est. *)

1. Restituitur nonnullis in vocibus antiquum augmentum syllabicum.

§. 176. — Patet in iis verbis, quae Homeri temporibus initiale habebant ante vocales digamma, nec temporale ferri posse augmentum, nec, quamdiu valuerit digamma contrahi potuisse augmentum syllabicum cum vocali initiali. Sequitur

*) De neglecta positione, item de apocopo, quae potest fuisse ante digamma, supra diximus §§. 160. sqq.

dissolvendum esse in his vocibus, si potest fieri, augmentum temporale; dissolvendam esse contractionem.

1. Est autem contractio in voce εἶδον. Quae dissolvi potest, ubi in thesi haec forma legitur. Nam quamvis firmissimo digamma utatur ἴδον et similia, tamen numquam inveniri apud Homerum ἔϊδον nonne mirandum est? Ergo restituimus ejusmodi formas Iliad. γ, **154**. δ, **275**. ε, **515**. **572**. ξ, **153**. π, **278**. **818**. φ, **207**. υ, **424**. ψ, **874**. — Contra λ, **112**. τ, **292**, ubi in arsi legitur εἶδον, corrigi non possunt, neque de producto augmento (ἔϝιδον) his locis cogitari potest.

2. Pertinet eodem forma ἤνασσε, quae cum in thesi legatur κ, **33**. π, **172**. **572**, quin legenda sit ἐάνασσε eo minus dubito, quod π, **172**. **572**. est in thesi quinta plerumque dactylica. — Cf. A h r e n s d. d i a l l. I, pag. **112**.

3. Restat ἦξε (ἄγνυμι) libr. ψ, 392. Quae forma cum semel apud Homerum legatur, mihi persuasum est legendum esse asyndetos ἱππειόν οἱ ἔαξε. Cf. §. 193, 3. De forma ἔαξα cf. ν, **166**. Odyss. γ, **298**. ε, **316**. **385**. ι, **283**. ξ, **383**. all.

2. D e l e n d u m e s t a u g m e n t u m

§. 177. — ex Homeri consuetudine notissima quibusdam in formis eorum verborum, quae incipiunt aut a diphthongo; aut a vocali, quae positione producitur. Conveniunt variae lectiones.

1. Ita α, **598**. Aristarchus scripsit οἰνοχόει, non ᾠνοχόει. Cf. schol. A.: οὕτως οἰνοχόει Ἀρίσταρχος, Ἰακῶς. Καὶ ἐν τῇ Ἀργολικῇ, καὶ Μασσαλιωτικῇ, καὶ Ἀντιμαχείῳ, καὶ ἐν τῇ Ζηνοδότου καὶ Ἀριστοφάνους. — Schol. Harlej. ad Odyss. ο, **141**: οὕτω διὰ τοῦ ο. — Ergo ξ, **116**. υ, **218**. legendum est οἶκεον; β, **668**. οἴκηθεν. Omitto quae sunt similia.

2. Neque aliter statuendum est de ἤλπετο, quod scribendum est ἔλπετο: ο, **539**. **701**. ρ, **395**. **404**. **495**. **608**. Scripsit Wolfius.

3. Item σ, **510**. legi potest ἄνδανε. Legitur ἥνδανε. Non

minus facile pro ἱήνδανε (ω, 25.) legi potest ἑάνδανε. Cf. tamen §. 104. ext. — De ἰφήνδανε cf. §. 199, 3.

3. Correctione non indigent quidam loci, in quibus synizesin esse verisimile est.

§. 178. — 1. Huc pertinet primum ω, 354: φραδέος νόου ἔργα τέτυκται. Lege νοῦ. Succurrit νοῦς, quod contractum legitur Odyss. κ, 240. Sunt etiam alii loci, in quibus genitivus in οου desinens contractus legitur, veluti Πάνθου pro Πανθόου (Il. ρ, 23. 59. ο, 522), et ἐΰξου (κ, 373.) pro ἐϋξόου. His enim omnibus locis accentu, quem Alexandrinis debemus, non impedior quominus de contractione cogitem.

2. Eodem refero ξ, 478: καὶ Ἰλίου ἶφι ἀνάσσειν. Constat enim synizesin saepissime inveniri in iis vocibus, quae brevem syllabam habent inter binas longas. Quae incommoda est mensura. Cf. σ, 346. 351. 431. τ, 282. φ, (243.) 312. 458. 503. 530. ψ, 361. 717. ω, 438. Et ne desint exempla vocum in ιος desinentium, addimus synizesin, quae in voce δήϊος saepissime legitur, veluti ζ, 82. 331. η, 241. ο, 548. all. Cf. Αἰγυπτίων et sim: ι, 382. Odyss. ξ, 263. 286. all. Ut efficiamus in voce Ἰλίου esse posse synizesin, quamvis praeter hunc locum non inveniatur; primum demonstrandum est, in iis vocibus, quas attulimus, non molestam fuisse synizesin. Hoc ex eo probamus, quod, si molesta fuisset synizesis, aliis quarundam vocum formis uti licebat, veluti Ἀτρείδαο pro Ἀτρείδεω, ἀγοράων pro ἀγορέων, rell. Tum demonstremus necesse est vocalem ι, quae secundam in voce Ἰλίου efficit syllabam, fuisse brevem. Quae etsi producitur interdum in thesi, veluti ο, 66: Ἰλίου προπάροιθε; tamen hanc lectionem ex antiqua scriptura male intellecta ortam esse supra demonstravimus. Cf. §. 72, 2. — praefat. vol. I, pag. 21. Aut enim fuit Ἰλιοο προπάροιθε, aut Ἰλιόου, coll. ὅου Odyss. α, 70. Ergo ex his locis non potest concludi vocalem mediam vocis Ἴλιος produci potuisse.

Attamen Odyss. κ, 36. legitur δῶρα παρ' Αἰόλου μεγαλήτορος. Fuit autem δῶρα παρ' Αἰόλοο μεγαλήτορος, cf. §. 88, 4, b. — Patet igitur brevem esse in Ἴλιος alterum ι, et, cum digamma vocis Ἴρι sit firmissimum, de synizesi esse cogitandum.

3. Constat item in plurali neutrorum terminationem εα synizesi non raro coalescere. Cf. λ, 282. ο, 444. ω, 7. all. Quidni putemus hoc idem in voce ἔπεα fieri potuisse? Nam quod nunc legitur ο, 35. 89. 145. χ, 81: καί μιν (σφεας) φωνήσασ' (sive δακρυχέουσ') ἔπεα πτερόεντα προσηύδα, hoc cum firmissimo vocis ἔπος digamma omnino non convenit. Restituto hiatu lego καί μιν φωνήσασα ἔπεα πτερόεντα προσηύδα. Nec magis offendit ἔπεα quam ἔπει, libr. α, 395, cujus loco plerumque soluta diphthongo legitur ἔπεϊ.

Patet eodem pertinere posse β, 213. Aut legendum est ὅς ῥα ἔπεα φρεσὶν ᾔσιν; aut deleta particula ὃς ἔπεα φρεσὶν ᾔσιν, ut productio efficiatur in arsi prima ante digamma. Cf. §. 156, 3.

4. Restat unus locus λ, 724: ἐπιῤῥόθιον ἰόντα, ubi legi posse ἐπιῤῥόθιον §. 163, 3. demonstravimus. Cf. λ, 282. ξ, 116. ο, 21. σ, 493. υ, 218. ω, 722. Neque tamen opus esse hac lectione intelligitur e §. 160.

4. Succurrit quibusdam locis lectionis varietas.

§. 179. — Omissis reliquis lectionibus variis, quas, cum leviore momento aestimandae sint, suis locis aut supra demonstravimus aut infra tractabimus, restant tres loci, in quibus gravior est lectionis varietas.

1. Horum unum supra attigimus §. 141, 3. Cum enim verisimile sit vocem ἅλις a digamma incepisse; patet ρ, 54. non negligendam esse lectionem Zenodoteam. (Cf. Thiersch. Gr. §. 157, 6.) Quo quidem loco quod legitur ἀναβέβρυχεν, laborat vitio metrico. Est enim producta vocali υ semper βέβρῡχε, cf. ν, 393. π, 486. ρ, 264. Odyss. ε, 412. μ, 242. Taceo de notione verbi, hoc loco minus apta neque omnino neces-

saria (*ἀναβάλλεσθαι μετὰ ψόφου* explicant scholia Didymi, quae vocantur. Inest autem fremitus notio, aptior mari aestuoso quam fontibus). Accedunt testimonia scholiorum. Etenim scholia A haec praebent: *Ζηνόδοτος διὰ τοῦ ο ἀναβέβροχεν, ὡς ἐκεῖ „ἀλλ' ὅτ' ἀναβρόξειε θαλάσσης,“* Odyss. *μ*, **240**. Adde scholia V.: *πιαίνεται ἐξ ὑετῶν*, et scholia minora: *ἀναβέβροχεν ἀντὶ τοῦ ἀναπέπωκεν. ἐὰν δὲ ἀναβέβρυχεν, δηλοῖ τὸ ἀναβρύειν.* Atque Eustathii haec sunt verba: *τὸ δὲ ἀναβέβρυχεν γράφεται καὶ ἀναβέβροχεν, ὅ ἐστι πίνεται —. δῆλον δὲ ὅτι τοῦ ἀναβεβρυχέναι λειότερον τὸ ἀναβλύζειν ἐστίν.*

His igitur causis permotus praefero lectionem Zenodoti, quam qui improbavit, Spitznerus, nihil attulit quo de hujus lectionis auctoritate deminueretur. Ergo *ἀναβέβροχεν* est imbibit, cf. Odyss. *μ*, **240**. *λ*, **586**. Quae si vera est lectio, patet *ὅθι* ferri non posse. Neque tamen intellexerim *ὅτε*, quae particula (cum ad *χῶρος* pertineat *ἀναβέβροχεν*) et ob mutatum subjectum est incommoda et ob notionem (eo tempore, quo) et ob neglectum digamma. Aut igitur legendum est *ὅ*, aut *ὅς* (cf. §§. **160**. **162**, **2**.) — Accedit quod etiam alio loco pro *ὅθ'* restituendum est pronomen; libr. *δ*, **131**. Cf. §. **201**, **4**.

2. Alter locus est *ι*, **510**. Legitur ibi *ὃς κακὰ πόλλ' ἔρδεσκεν*. Adhibenda est autem lectio *ἔῤῥεζεν*. Cf. schol. A.: *Ἀμμώνιος ἐν τῷ περὶ τῶν ὑπὸ Πλάτωνος μετενηνεγμένων ἐξ Ὁμήρου διὰ τοῦ ζ προφέρεται ἔρεζεν*. Negligo enim verba: *Ἀμμώνιος ἔρεξεν*, quae sunt in scholiis Lipsiensibus. Horum quidem scholiorum quanta sit auctoritas, intelligitur ex Aristarcho Lehrsii, pag. 38. sqq. — Cf. *χ*, **380**: *ὃς κακὰ πόλλ' ἔῤῥεξεν* (licet etiam hoc loco in quibusdam codicibus legatur *ἔρδεσκεν*, schol. A.); *κ*, **49**. Alia nunc omitto. Demonstrabo tamen §. **201**, **2**. etiam aliis locis pro *ῥέζειν* in Iliadem illatum esse verbum *ἔρδειν*, quae facillima fuit mutatio.

3. Libr. *ν*, **107**. (collat. *ε*, **791**.) veram lectionem *νῦν δὲ ἑκὰς* habebant Zenodotus et Aristophanes, quam recepit Spitzner. Cf. schol. A.

4. Libr. ο, 114. pro ὀλοφυρόμενος δ' ἔπος ηὔδα varia lectio δὲ προςηύδα restituenda est. Cf. §. 215, 2.

5. **Permultis locis aliae vocum formae, quarum eadem est notio, restituendae sunt removendaeque eae, quae neglecto digamma nunc leguntur.**

§. 180. — Quae dialecti epicae egregia est indoles, ut formis, quarum eadem est notio, paene abundet; haec quin posterioribus temporibus, simul atque evanuit digamma, plurimarum causa fuerit mutationum non dubito. Imo tam facilis plerumque est mutatio, ut aliis locis relicta esse antiquioris orationis vestigia etiam magis fortasse mirabuntur, qui epicae aetatis rationem non satis perspexerunt. Quae quidem antiquioris orationis vestigia quomodo nobis servata sint, qui vult intelligere; id ante omnia teneat necesse est, quasi vivam fuisse illis temporibus poesin. Ex quo fiebat ut non certas quasdam mutationum leges sibi statuerent rhapsodi, sed mutarent libidine quae variis temporibus minus commoda esse viderentur. Nec minus patet fuisse etiam inter ipsos rhapsodos qui magis faverent antiquae dictioni; alios autem huic dictioni non item favisse. Attamen paulatim fortasse paene omnia mutata essent, nisi scribendi usu mutationi permulta essent praerepta. Jam cum inter ipsam quodammodo mutationem carmina Homerica perscriberentur, factum est ut multa antiquioris carminum formae ad nos pervenirent vestigia et recentioris temporis conamina. Certe Pisistratea quidem aetate tantopere mutatam esse antiquam dictionem tantum abest ut credam, ut vel in novissima hac carminum collectione putem religiose servatam esse eam carminum formam, quae illo tempore erat. Nam ne Pisistrati quidem socios in adornandis describendisque carminibus certas leges ubique secutos esse, cum e ratione ejusmodi collectionis, qualem in praefatione vol. I. pag. 16. sqq. demonstravimus, intelligitur, tum

ex ipsa multorum locorum discrepantia, quam illo quidem tempore facillimum erat ita delere ut nullum restaret vestigium.

Sunt tamen inter has, quas nunc demonstraturi sumus, mutationes, quas facillimas et in promtu omnes fuisse supra diximus, nonnullae, quae tam late pateant ut per totam Iliadem constanter inveniantur, ideoque constanter deleta sit antiqua oratio epica. Cujus rei cum ipsa mutationis facilitas causa sit, intelligitur nos quominus restituamus eas lectiones, quae antiquitus valuisse existimandae sunt, non posse impediri. Id enim nostro jure deposcimus nostrae quaestioni, ut, si ejusdem notionis duae sint formae, altera accommodata iis, quae de digamma disputavimus, altera incommoda, eam formam liceat veram habere et fere antiquiorem, quae, si valet digamma, recte se habet. Removebimus igitur formam incommodam.

§. 181. — Ac primo quidem loco demonstramus genitivum singularis declinationis secundae, cujus duae sunt terminationes: *οιο* et *ου*.

Jam cum *γ*, 140. legatur *ἀνδρός τε προτέροιο καὶ ἄστεος*, ubi neglectum est digamma vocis *ἄστυ*; patet formam *προτέροιο* eo demum tempore esse illatam in hunc versum, quo deleto digamma molesta erat in hiatu *καί* particulae productio. Antiquitus haud dubie legebatur *ἀνδρός τε προτέρου καὶ ἄστεος.*

Item *λ*, 25. legendum est: *δώδεκα δὲ χρυσοῦ καὶ εἴκοσι κασσιτέροιο.* Legitur nunc *χρυσοῖο καί.* Nec tanti facio homoeoteleuton. quod est in *χρυσοῖο* et *κασσιτέροιο*, ut hac correctione abstineam. — Item *λ*, 261. legendum est *τοῦ δ' ἐπὶ Ἰφιδάμαντι.*

Sequitur etiam *β*, 672., quamvis olim suspectus hic fuerit locus (cf. §. 175.), restituto hiatu legi posse *Χαρόπου τε ἄνακτος.* Legitur nunc *Χαρόποιό τ' ἄνακτος.*

§. 182. — Altera forma dativi singularis declinationis tertiae duobus locis restituenda est.

Nam quod legitur χ, 302: Ζηνί τε καὶ Διὸς υἱεῖ, Ἑκηβόλῳ, quoniam cum digamma vocis ἑκηβόλος non concinit, scribendum est Διὸς υἷϊ, uti haec forma υἷϊ legitur β, 20: Νηλητῳ υἷϊ ἐοικώς.

Nec minus facilis est ε, 879. correctio. Legitur ταύτην δ᾽ οὔτ᾽ ἔπεϊ προτιβάλλεαι. Restituto antiquo hiatu lege ταύτην δ᾽ οὔτε ἔπει π. De forma ἔπει confer α, 395. ο, 106.

§. 183. — Ut reliquos locos, quibus neglectum est digamma vocis ἔπος nunc addam, liceat relicto declinationum ordine transire ad dativum pluralis declinationis tertiae.

Etenim saepissime post elisionem legitur ἐπέεσσιν, cf. α, 582. β, 342. ε, 30. 893. ι, 376. 526. μ, 391. ο, 127. 156. ξ, 208. υ, 200. 211. 256. 431. φ, 286. ψ, 363. ω, 102. 771. Quae quidem tam facilis fuit mutatio, ut raro hiatus inveniatur ante ἔπεσσιν. Est tamen κ, 542. Cujus ad similitudinem loci illi omnes sunt sanandi, ut restituto ubique hiatu legatur ἔπεσσιν. Hanc sententiam eo dico confidentius, quod restituendo hiatu nusquam efficitur caesura trochaica pedis quarti, quam molestam esse supra demonstravimus, §. 24.

Pertinent eodem α, 288. ι, 73. ο, 701. ψ, 671. Nam quod legitur α, 288: πάντεσσι δ᾽ ἀνάσσειν, non dubito quin fuerit πᾶσιν δὲ ἀνάσσειν, siculi πᾶσιν ἀνάσσει legitur Odyss. ν, 25. — Deinde ι, 73. nunc legitur πολέεσσι δ᾽ ἀνάσσεις. Quo quidem loco cum πολέσιν γὰρ ἀνάσσεις legerit Aristarchus, haud scio an respectu habito scholiorum A (ἔχει δέ τι Ὁμηρικὸν καὶ ἡ διὰ τοῦ δέ) conficienda sit lectio πολέσιν δὲ ἀνάσσεις. Patet enim his in rebus nihil demonstrari dictionibus similibus, veluti πολέσιν γάρ Iliad. λ, 688.— Tum ο, 701, non minus facile legi potest Τρωοὶ δὲ ἔλπετο. Legitur Τρωοὶν δ᾽ ἔλπετο. Ceterum si quis praeferat lectionem Τρωοὶ δ᾽ ἐέλπετο, ne huic quidem obsto. Cum enim id agamus ut restituatur digamma neglectum, constat pluribus rationibus saepissime idem effici posse; nec semper facile posse existimari quaenam verissima sit ratio. — Postremo ψ, 671. ἐν πάντεσσ᾽ ἔργοισιν non dubito quin legendum sit ἐν πᾶσιν

ἔργοισιν, ut in semiternaria majore productio fiat ante ,ἔργον (§. 158.) Potest tamen etiam legi ἔργοις ἐν πάντεσσι.

§. 184. — Venio ad dativum pluralis declinationis secundae; quem constat aut in οις desinere aut in οισι.

Jam cum ρ, 145. λαοῖσι τοὶ Ἰλίῳ ἐγγεγάασιν stare non possit, legendum est λαοῖς τοὶ Ἰλίῳ. Cf. §. 174.

Nec minus facile η, 45. (βουλήν, ἥ ῥα θεοῖσιν ἐφήνδανε μητιόωσιν) legi potest ἥ ῥα θεοῖς ἐπιάνδανε, collat. η, 407? ἐμοὶ δ' ἐπιανδάνει οὕτως. Ceterum non nego etiam hoc loco (cf. §. 174.) simplex legi posse pro composito, ut sit ἥ ῥα θεοῖσιν ἑάνδανε; nam de ἐήνδανε (ω, 25. — §. 104.) fateor mihi non satis constare.

§. 185. — Eadem ratione de quibusdam verborum terminationibus licet statuere.

1. Ita ζ, 281. legitur ἐθέλησ' εἰπόντος. Patet facillime legi posse ἐθέλῃ εἰπόντος, ut deleatur elisio. Cf. Odyss. μ, 349. ν, 60. ξ, 445.

2. Libr. θ, 453. nunc legitur πρὶν πόλεμόν τ' ἰδέειν. Legendum est restituto hiatu πρὶν πόλεμόν τε ἰδεῖν.

3. Praeterea huc quatuor pertinent loci: β, 82: νῦν δ' ἴδεν, ὃς μέγ' ἄριστος. — ε, 166: τὸν δ' ἴδεν Αἰνείας. — ε, 565: τὸν δ' ἴδεν Ἀντίλοχος. — ξ, 294: ὡς δ' ἴδεν, ὥς μιν ἔρως.

Dicat forsitan quispiam his quidem locis aperte confirmari Thierschii sententiam, quam demonstravimus §. 173. At facillima est his locis correctio. Ut enim illud omittam, ε, 166. 565. rectissime asyndetos legi posse τὸν ἴδεν (uti legendum est Odyss. δ, 556. — collat. η, 9. θ, 63. ο, 97.); patet certiorem esse correctionem eam, qua eodem modo omnes loci sanari possunt. Jam cum his quatuor locis ἴδεν legatur ante vocalem, non dubito quin, restituto hiatu vocis δέ, adhibenda sit verbi ἴδε elisio, ut legatur νῦν δὲ ἴδ', ὅς — τὸν δὲ ἴδ' Αἰνείας relL De qua elisione conferant lectores κ, 516. Odyss. α, 118.

§. 186. — Transeo ad nonnullos locos, qui recte se habebunt si restituerimus alias stirpium radicumve formas.

1. De voce ἰωή supra diximus §. 136. Cum κ, 139. neglectum sit digamma: ἦλυθ' ἰωή; patet facile legi posse ἦλθε ἰωή.

2. Nec minus facile ψ, 736. pro ἄεθλα δ' ἴσ' ἀνελόντες legi potest, collatis ejusdem libri versibus 262. 273., ἄεθλα δὲ ἴσ' ἀνελόντες, quae Bentleji est sententia.

3. Item θ, 406. 420. (ὄφρ' εἰδῇ, ὄφρ' εἰδῇς) neglectum est digamma. Nolo confugere ad variam lectionem ξ, 235. (ἰδέω), quod fortasse licet. Imo θ, 406. 420. restituto hiatu legendum est ὄφρα ἴδῃ, ὄφρα ἴδῃς. Ceterum de ἴδῃ et εἰδῇ in codd. haud raro commutatis, quae simillima est res, cf. Pflugk. in Annall. Darmstad. 1840. No. 149.

4. Libr. ρ, 333. pro Αἰνείας δ' ἑκατηβόλον legendum est Αἰνείας δὲ ἑκηβόλον Ἀπόλλωνα.

5. Restat ut de iis vocibus proponam, quas demonstravi §. 142. sqq. Quae cum binis utantur formis; patet quosdam locos, quibus neglectum esse videtur digamma, adhibenda sola altera forma facillime posse sanari. Hos nunc sum demonstraturus; de aliis locis, qui nisi delendis singulis vocibus corrigi non possunt (veluti ξ, 348. ω, 757. all.), infra agam §. 188. sqq.

Ac primum quidem ut ipsam mutationis facilitatem demonstremus varietatem lectionis, quae est ω, 765, silentio praeterire non possumus. Legitur enim in codicibus sive τόδ' ἐεικοστόν sive τόδε εἰκοστόν. Quarum lectionum utra vera sit, haud facile unquam existimari poterit. — Sequitur λ, 25. nihil interesse utrum legas χρυσοῦ καὶ εἴκοσι, an χρυσοῦ καὶ ἐείκοσι; et ο, 701. aeque facile legi posse Τρωσὶ δὲ ἔλπετο atque Τρωσὶ δ' ἐέλπετο. Sed de his locis supra §§. 181. 183. egimus.

Supersunt duo loci. Etenim quod θ, 526. legitur εὔχομαι ἐλπόμενος, cum stare non possit; facilis est conjectura εὔχομ' ἐελπόμενος. Ita εὔχομ' legitur φ, 411; et ἐελποίμην in ipso libro θ,

.196. — Alter locus est ρ, 571. ἦτε καὶ ἐργομένη. Praeferenda est autem lectio cod. Vind. et Aldinae secundae: ἦτε καὶ εἰργομένη. Certe ψ, 72. optimi codices praebent εἴργουσι. Attamen Heynii conjecturam καὶ ἐεργομένη malam omnino non esse comprobat Odyss. λ, 503.

Contra ε, 467. (legitur ibi ὄντ' ἴσον) non ausim scribere ὂν ϝίσον. Constat enim masculinum ubique esse ἴσος, nusquam ϝίσος; licet feminini altera forma sit ἐΐση. cf. §. 150, 2. — Neque ε, 165. ο, 397. π, 522. substituerim formam ἑός. Esset enim synizesis, cujus in voce ἑός nullum inveni exemplum. Nam pessima est ρ, 260. unius cod. Vindob. lectio: τῶν δ' ἄλλων τίς κεν ἑῇσιν ἐνὶ φρεσὶν οὔνομα' εἴποι; quae cum vitio metrico laboret; facile lectores intelligunt, quid auctoritatis insit in synizesi ἑῇσιν.

6. Singularis pro plurali restituendus est

§. 187. — libr. ψ, 309. Lege οἶσθα γὰρ εὖ περὶ τέρμα ἑλισσέμεν. Utitur enim hoc loco singularis eodem jure atque ψ, 323; nec de pluribus metis necessario cogitandum esse demonstrat versus 333., quo τέρματ' de hac sola meta quam constituit Achilles, intelligenda sunt.

Eodem modo corrigi poterit ρ, 260. οὔνοματ' εἴποι, ut sit: τῶν δ' ἄλλων τίς κεν ᾗσι φρεσὶν οὔνομα εἴποι. Succurrit enim γ, 235: νῦν δ' ἄλλους μὲν πάντας ὁρῶ ἑλίκωπας Ἀχαιούς, οὕς κεν ἐῢ γνοίην καί τ' οὔνομα μυθησαίμην. Certe Spitzneri rationes, qui quandam esse inter utrumque locum differentiam statuat, fateor me non intelligere. — Attamen ideo hanc proposui conjecturam, quod, quantum fieri potest, omnes locos, in quibus neglecti digammi sunt vestigia, sanandos esse censui. Qua in sententia nisi perstandum esset, hoc quidem loco conjectura abstinuissem. Primum enim constat versus 260. 261. damnatos esse a Zenodoto (cf. β, 672 — §. 175.); tum totus hic locus ob versus 252.

279. summam movet suspicionem. Sed de hac re in tertio hujus quaestionis capite accuratius agemus.

7. Omittendis vocibus monosyllabis, quas obliterato demum digamma in carmina Homerica illatas esse verisimile est, permulti loci emendari possunt.

§. 188. — Nonnullis locis delenda est particula ῥα, qua plerumque paulum modo sententiam immutari ex disputatione Naegelsbachiana (annot. ad Iliad. p. 191.) intelligimus. Est tamen ubi Naegelsbachium ipsa doctrina fefellerit. Nam cum id ageret, ut vim particulae demonstraret; in eo lapsus est, quod, cum hac particula accuratius sententiam definiri intellexisset, in nonnullos locos Homericos eandem inferre studuit. Minorem igitur, quam par est, concessit poetae in adornanda oratione libertatem Hanc autem libertatem constat eo esse majorem, quo antiquior est poesis; neque inepte dicuntur omnia, quae aliis modis fortasse aptius dici possunt et accuratius. Quare nec Iliad. φ, 144. Naegelsbachio assentior, scribere volenti τῷ ῥ' Ἀχιλεύς pro τῷ δ' Ἀχιλεύς; nec ρ, 403. necessario legendum est γάρ ῥ', cui lectioni favet Hermannus ad h. in Cer. v. 57. —

Jam ut lectoribus probemus, facillime in quibusdam sententiis hanc addi potuisse particulam, nec tamen omnibus locis, in quibus nunc legitur, eam fuisse necessariam, haud alienum est duo afferre exempla. Nam quod legitur Odyss. φ, 366: ὣς φάσαν; et φ, 376: ὣς ἔφαθ', id in versibus 386. 404. est ὣς ἄρ' ἐφώνησεν et ὣς ἄρ' ἔφαν. Patet igitur addita particula paulo accuratius respici ea, quae supra narrata sunt.

Obliterato demum digamma haec particula in hos versus videtur esse illata:

1. Libr. ξ, 383. legitur αὐτὰρ ἐπεὶ ῥ' ἕσσαντο. Quo in versu facillime egemus hac particula, cf. κ, 296. σ, 614. Nam ἐπεὶ

ῥα est postquam igitur, ἐπεί est postquam. — Fallitur enim Naegelsbach. pag. 205, ἐπεί ῥα statuens significare simul atque. Imo α, 484. est: postquam hac navigationis ratione, sive hac secunda navigatione; λ, 641: ἐπεί ῥ' ὤπλισσε κυκειῶ significat: postquam hoc, quem demonstravimus, modo; π, 374. verba ἐπεὶ ἄρ τμάγεν respiciunt ea, quae supra dicta sunt 367: οὐδὲ κατὰ μοῖραν πέρασν πάλιν, quae mox ita describuntur, ut facillime intelligatur divisos esse Trojanos. Est igitur ἐπεὶ ἄρ τμάγεν: postquam, ut demonstravimus, divisi sunt. Neque alia est harum particularum significatio ρ, 658; ubi particula ἄρ explicationem habet ex ipsa leonis natura, quem constat non facile conatu desistere. Item σ, 55. ἄρ explicationem habet ex voce δυςαριστοτόκεια; χ, 258. ex v. 256: οὐ γάρ σ' ἔκπαγλον ἀεικιῶ; ω, 513. ex moribus veterum, quibus erat αἰψηρὸς κόρος γόοιο, Odyss. δ, 103. His ultimis locis duobus, χ, 258. ω, 513. ut ρ, 658. significat fere particula: ut consentaneum est. Patet igitur ῥά particulam etiam in ἐπεί ῥα in lectorum auditorumve animos quodammodo sese insinuare lectoresque commonefacere eorum, quae aut ex narratione superiore aut usu rationeve ipsi memoria tenent.

2. Libr. μ, 389. quod legitur ἤ ῥ' ἴδε, etsi ferri potest (ἀρίστου γὰρ τοξότου τὸ ἐσκεμμένως βάλλειν καὶ τὰ καίρια τηρεῖν. Schol. BL.); tamen non minus bene legi potest ἦ ἴδε. Conferatur ν, 329, ubi pro ἤ μιν ἀνώγει, si per versum licuisset, accuratius dici poterat ἤ ῥα μιν, cum paulo antea (326.) de sinistro cornu Idomeneus dixerit.

3. Libr. λ, 101, ubi nunc legitur αὐτὰρ ὃ βῆ ῥ' Ἶσον succurrit lectio Zenodoti αὐτὰρ ὃ βῆ Ἶσον. Non opus esse particula facile intelligitur. Ceterum facere non possum quin addam lectionem cod. Ambrosiani, qui φ, 205. (αὐτὰρ ὃ βῆ ῥ' ἰέναι) particulam omittit. Nec dubito quin multis locis similibus postea demum particula addita sit.

4. Item δ, 467. pro γάρ ῥ' ἐρύοντα facile legi posse γὰρ ἐρύοντα ex iis lectores perspiciunt, quae supra de ρ, 403. et

ξ, 30. demonstravimus. — Attamen quominus hunc locum corrigamus impedire videtur δ, 492. Cf. §. 207.

5. Libr. π, 169. (ἐν δ᾽ ἄρ᾽ ἑκάστῃ) de apocope statui posse demonstravimus §. 168, 4. Quam qui improbat sententiam, adhibere potest β, 509. Odyss. μ, 90. ξ, 14. His enim comparatis locis intelligitur facilem esse conjecturam ἐν δὲ ἑκάστῃ.

§. 189. — Aliis locis delenda est particula γε, qua item accuratius sententiam definiri satis constat. Potest tamen haec particula multis locis abesse, ubi nunc legitur. Etenim

1. libr. ζ, 474. (αὐτὰρ ὅγ᾽ ὃν φίλον υἱὸν ἐπεὶ κύσε πῆλέ τε χερσίν), quamvis sibi opponantur καὶ τὴν μὲν κατέθηκεν et αὐτὰρ ὃ εἶπεν, tamen non necessariam esse particulam probamus ex locis simillimis. Cf. γ, 379: τὴν μὲν ἔπειθ᾽ ἥρως ῥίψ᾽ — αὐτὰρ ὃ ἂψ ἐπόρουσε. — φ, 33. Addo Odyss. ξ, 411. 413. ω, 165. 167. Collatis igitur versibus Odyss. ξ, 413. ω, 167. (αὐτὰρ ὃ οἷς — αὐτὰρ ὃ ἦν), patet etiam Iliad. ζ, 474. legendum esse αὐτὰρ ὃ ὃν φίλον.

2. Patet item libr. ο, 455. legendum esse τὸν μὲν ὃ Ἀστυνόῳ, non τὸν μὲν ὅγ᾽ Ἀστυνόῳ. Nam cum constet saepissime legi τὸν μὲν ἐγώ (Odyss. λ, 55. 395. 552. all.), intelligitur ὅγε non esse necessarium. Quod ni ita esset, neque ἐγώ legeretur his locis, sed ἔγωγε; neque λ, 80. 99. legeretur πατήρ et ἄναξ, sed πατήρ γε et ἄναξ γε. Qui simillimi sunt loci.

3. Libr. χ, 216. quod legitur νῶϊ γ᾽ ἔολπα, a Naegelsbachio (Annott. pag. 216.) explicatum est: nos demum perficiemus, quod adhuc multi conati sunt, perfecit nemo. Quae quidem oppositio etsi ferri potest, tamen artificiosior est. Certe necessariam non esse testimonio sit υ, 186. quo loco σέγε (cf. vers. 187. ἤδη μὲν σέγε, φημί, καὶ ἄλλοτε δουρὶ φόβησα) multo aptius erat, quam νῶϊ γε in libr. χ, 216. Deleta particula summa vis inest in initio versus: νῦν δή. — Ceterum ut hanc emendationem lectoribus probem nolo confugere ad ρ, 238.

4. Restat α, 548: οὔτις ἔπειτα οὔτε θεῶν πρότερος τόνγ᾽ εἴσεται,

οὔτ' ἀνθρώπων. Ne hoc quidem loco necessariam esse particulam intelligi potest ex Odyss. α, 439: ἡ μὲν τὸν πτύξασα reliquisque locis similibus, veluti Iliad. α, 125: τὰ μὲν — τὰ δέδασται. Neque illud correctioni obstat, quod deleta particula in thesi ante digamma producenda est vox τόν. Ejusmodi enim productionem ante radicem Vid- (Fιδ-) fieri potuisse intelligimus ex Iliad. ρ, 142. Odyss. θ, 215. Cf. §. 155. 2, 3.

§. 190. — Particula demonstrativa — δε ante εἶπον delenda est ι, 688. Legitur εἰσὶ καὶ οἵδε τάδ' εἰπέμεν, οἵ μοι ἕποντο. Restituto hiatu lege τὰ εἰπέμεν. Addo nonnullos locos, in quibus ad superiora referendus est pluralis τὰ, veluti Iliad. ι 359. υ, 255. σ, 527: οἱ μὲν τὰ προϊδόντες ἐπέδραμον. — Odyss. β, 211: ἤδη γὰρ τὰ ἴσασι θεοὶ καὶ πάντες Ἀχαιοί. — γ, 228: οὐκ ἂν ἔμοιγε ἐλπομένῳ τὰ γένοιτ'. — υ, 43: πῇ κεν ὑπεκπροφύγοιμι; τὰ σὲ φράζεσθαι ἄνωγα. — Constat tamen τάδε, nisi ob neglectum digamma corrigendum esset, per se non posse vituperari; cf. Odyss. δ, 738.

Confer de re simillima §. 198. extr.

Eodem pertinet η, 375, ubi legi potest καὶ δὲ τὸ (pro τόδ') εἰπέμεναι πυκινὸν ἔπος.

§. 191. — In nonnullos locos postea illata est particula κε. Huc pertinet

1. α, 64: ἀλλ' ἄγε δή τινα μάντιν ἐρείομεν — ὅς κ' εἴποι ὅ,τι τόσσον ἐχώσατο Φοῖβος Ἀπ. Particulam cum explicaverit Naegelsbach. ad h. l.: non necessariam esse, quamvis simillimis locis haud raro legatur, veluti Odyss. β, 213. ε, 142. 166. all., demonstrandum est nobis.

Intelligitur autem simillimos esse locos Iliad. μ, 228. ρ, 70. Odyss. δ, 753. ν, 291, quibus omnibus addita est particula; et Iliad., κ, 247. 556. Odyss. γ, 231. ubi deest particula. Patet enim his locis, quos modo demonstravimus, particulam γε aptissimam esse nec mutandam eandem cum particula κε. Certe Iliad. κ, 247. haec inepta est correctio.

Omissa autem α, 64. particula quaeritur quomodo sententia intelligenda sit. Sunt enim duae potissimum rationes. Namque ὅς aut demonstrativum potest esse, uti ἥ Iliad. ζ, 399. Odyss. η, 13. (ita hos locos aliosque similes intelligo) δ, 653. et ὅς Odyss. δ, 389. Hac igitur ratione si statuimus, optativus eodem modo intelligendus est quo Odyss. ξ, 407. ρ, 597. — Aut, quam ego praetulerim explicationem, ὅς εἴποι potest esse quicumque dicet, (sive est μάντις, sive ἱερεύς, sive ὀνειροπόλος) ut ὅς positum sit pro ὅςτις (Thiersch. Gr. §. 347, 1), cf. Iliad. ω, 139. σ, 508. — Postremo, collat. Odyss. ο, 458. Voss. ad hymn. in Cerer. 443, de sententia finali potest fortasse cogitari. Haec tamen minus placet explicatio.

2. Libr. υ, 250. multo facilius ejici potest particula κε: ὁπποῖόν κ' εἴπῃσθα ἔπος. Cf. Thiersch. Gr. Gr. §. 346, 2—6.

Quod reliquum est, et υ, 250. et α, 64. ante digamma in arsi produci posse syllabas breves intelligitur ex §§. 156, 3. 158.

§. 192. — Libr. σ, 194. (ἀλλὰ καὶ αὐτὸς ὅγ', ἔλπομ', ἐνὶ πρώτοισιν ὁμιλεῖ) delenda est vox ὅγε. Non nego stare posse per sententiam αὐτὸς ὅγ'. Attamen καὶ αὐτός non addito pronomine tam saepe invenimus apud Homerum, ut ὅγε necessarium omnino non sit. Ad tertiam personam pertinere vocem αὐτός intelligitur ex voce ὁμιλεῖ, augetur praeterea vocis αὐτός vis addita particula καί. Patet igitur ideo mutatam esse antiquam versus lectionem, ne conjungeretur αὐτός cum ἔλπομ'. Sequitur adhibita altera verbi forma legendum esse: ἀλλά καὶ αὐτός, ἐέλπομ', ἐνὶ πρώτοισιν ὁμιλεῖ.

De καὶ αὐτός cf. ζ, 363. π, 497. ρ, 623. υ, 201. ω, 560. Odyss. ε, 215. μ, 57. ν, 203. π, 100. φ, 257.

§. 193. — Paucis locis omittenda est particula δέ. Atque haec quidem, quam modo dixi, locorum paucitas certissime demonstrat, minus recte Thierschium (cf. §. 173.) statuisse

hujus particulae elisionem literae digamma non obstare. Quae si non obstaret, non paucis locis inveniretur, sed saepissime. Accedit, quod quae hujus particulae ante digamma in Iliade inveniuntur elisiones, facili negotio omnes removenda particula possunt deleri.

Constat autem deleta hac particula exsistere asyndeton, Qua de causa facere non possum, quin in universum provocem ad egregiam eam disputationem, quam de asyndeto Homerico instituit Naegelsbach. Annot. ad Iliad. pag. 266. Sed videamus locos.

1. Libr. λ, 517. legitur αὐτίκα δ' ὢν ὀχέων ἐπεβήσετο. Hoc quidem loco quin legendum sit αὐτίκα ὢν ὀχέων, non potest dubitari. Constat enim saepissime asyndeton esse in voce αὐτίκα Cf. Naegelsbach. pag. 275. — Iliad. δ, 5. 69. 105. all.

2. Item ω, 757. (νῦν δέ μοι ἐρσήεις) aut legendum est νῦν μοι ἐρσήεις, aut νῦν μοι ἑερσήεις (cf. ω, 419: οἷον ἑερσήεις).

Hoc quidem loco constat vehementissimam esse oppositionem. Haec est enim sententia: te semper amaverunt dii. Nam non solum redditus es mihi, cum reliquos filios amiserim; sed etiam integrum inviolatumque tuum corpus video, quamvis crudelissime saevissimeque ab Achille tractatum. Sed quominus ita sententiam Hecuba proferat, impedit eam crudelissimi facti Achillei recordatio. Hac commota additis verbis τὸν ἔπεφνες· ἀνέστησεν δέ μιν οὐδ' ὧς sententiam ad finem perducit. Interrupta igitur hoc modo sententia aptissimum videtur esse asyndeton. Incipit enim denuo oratio, qua demonstratur praesens rerum conditio, quam patet longe aliam esse atque exspectari potuit. Conferatur de ejusmodi asyndetis Naegelsbach. s. n. 5. et 6. Intelligitur autem vocem νῦν, uti saepissime legitur in orationum initio (veluti post vocativos α, 59. θ, 186. — post imperativos θ, 498. ξ, 271. — μὴ νῦν libr. ο, 115.); ita asyndetos legi posse, sicubi novae orationum partes addantur. Confer β, 193: νῦν μὲν πειρᾶται, τάχα δ' ἴψεται υἷας Ἀχαιῶν

— μ, 271. ubi est post parenthesin. — ν, 772: πού δέ τοι Ὀθρυονεύς; νῦν ὤλετο πᾶσα κατ' ἄκρης Ἴλιος αἰπεινή· νῦν τοι σῶς αἰπὺς ὄλεθρος. — Odyss. ε, 305: ἐπισπέρχουσι δ' ἄελλαι παντοίων ἀνέμων! νῦν μοι σῶς αἰπὺς ὄλεθρος — χ, 65: νῦν ὑμῖν παράκειται, ἐναντίον ἠὲ μάχεσθαι, ἢ φεύγειν. Patet igitur etiam Iliad. ω, 757. rectissime de asyndeto statui posse.

Quae cum ita sint, etiam β, 82. potest fortasse legi νῦν ἴδεν. Attamen cum minor sit hoc loco ante νῦν vocis intermissio, magis placet ea correctio, quam demonstravi §. 185, 3.

3. Libr. ψ, 392, deleta forma ἦξε, restituendum esse ἔαξε supra demonstravimus, §. 176, 3. Sequitur ἵππειον δέ οἱ ἔαξε stare non posse. Omissa autem particula omnia bene se habent, modo punctum ponatur post versum 391. Videatur de ejusmodi asyndetis Naegelsbach. s. n. 10. Atque in exemplo, quod attulit, Iliad. ρ, 51. (δούπησεν δὲ πεσών, ἀράβησε δὲ τεύχε' ἐπ' αὐτῷ. Αἵματί οἱ δεύοντο κόμαι) idem fere est versus initium atque ψ, 392: αἵματί οἱ δεύοντο; ἵππειόν οἱ ἔαξε. His locis eventus quidem eorum, quae supra narrata sunt, demonstratur; sed asyndeto eventus magis effertur, ut multum procedat narratio. Confer similem locum: λ, 846: ἐπὶ δὲ ῥίζαν βάλε πικρήν — ἥ οἱ ἀπάσας ἔσχ' ὀδύνας· τὸ μὲν ἕλκος ἐτέρσετο. — Neque alia mihi videtur esse eorum locorum ratio, in quibus asyndeton est in verbo εὗρεν, veluti Iliad. ε, 167. λ, 196. Haec enim exempla subtilius divisit Naegelsbachius quam verius.

4. Eodem modo libr. υ, 224. restituendum est asyndeton: ἵππῳ εἰσάμενος. Item in fine versus 223. punctum est ponendum. Hujus quidem loci paene eadem explicatio est. Differt tamen idem a ψ, 392. ita, ut, quamvis, quod versu 224. narratur, eventus sit vocis ἠράσσατο, tamen paene causalis fiat sententia, quae explicationis causa additur. Haec multo fortior fit asyndeto. — Similes sunt igitur loci ι, 71. 318. ν, 224. ο, 496. Odyss. δ, 655. 606.

5. Libr. δ, 509. (μηδ' εἴκετε χάρμης) si scribimus μὴ εἴκετε, non minus recte se habet asyndeton. Usitatissimum est enim

in imperativis, cf. μ, 216. σ, 266. Odyss. ω, 54: ἴσχεσθ', Ἀργεῖοι, μὴ φεύγετε, κοῦροι Ἀχαιῶν. et simillimos locos a Naegelsbach. pag. 279. citatos, veluti Odyss. ν, 362. ρ, 393. Iliad. σ, 463. rell.

6. Restant tres loci: λ, 792. ο, 403. π, 860., quibus omnibus legitur τίς δ' οἶδ'. Sed vel his locis delenda est particula, ut sit τίς οἶδ'. Simili ratione in initio versus legitur οὐκ οἶδ' libr. κ, 342. Odyss. τ, 237. — Ita recte nos statuere, quamvis non raro legatur τίς δέ, τί δέ (cf. Iliad. ι, 337. et all.), facile possumus probare. Confer enim Odyss. δ, 649. θ, 208. 352. κ, 573. μ, 450. ξ, 364. σ, 223. φ, 110. χ, 12. — Iliad. λ, 838: τί ῥέξομεν; — μ, 244. ν, 275. 810. π, 422. ρ, 149. all.

§. 194. — Saepius delenda est particula τε.

1. Est ξ, 348. λωτόν θ' ἐρσήεντα. Hoc quidem loco quin legendum sit λωτὸν ἑερσήεντα (coll. ω, 419. — nam λωτὸν ἐρσήεντα ob positionem, quae hac voce vel in prima thesi vix effici potest, nullo modo scripserim) hoc minus dubitationis mihi datur, quod generi (νεοθηλέα ποίην) subjiciuntur partes. Qua in re quae prima pars subjicitur, saepissime eget hac particula. Cf. Odyss. ι, 110. Iliad. ι, 145. all. Non minus constat particulam τε ante ἰδέ opus non esse, cf. Iliad. γ, 194.

2. Eodem modo pro τε καί legendum est solum καί: φ, 350. ζ, 511. ο, 268. ι, 379. χ, 349. μ, 162.

a. Atque de φ, 350. egimus §. 130, 2. Patet digamma valere in voce ἰτέη. Igitur legendum est καίοντο πτελέαι καὶ ἰτέαι ἠδὲ μυρῖκαι. Confer Odyss. ι, 110. ρ, 68. 207. ψ, 297. ω, 209. Iliad. ν, 432. Hermann. ad hymn. in Venerem, v. 86.

b. Libr. ζ, 511. ο, 268, qui idem est versus, legendum est μετὰ ἤθεα καὶ νομὸν ἵππων. Legitur nunc μετά τ' ἤθεα. Conf. §. 139, 4.— Demonstratione non est opus, addimus tamen λ, 118: διὰ δρυμὰ πυκνὰ καὶ ὕλην.

c. Item μ, 162. legi potest δὴ ῥα τότ' ᾤμωξεν καὶ ὢ πεπλήγετο μηρώ. Constat non opus esse particulam. Attamen de ο, 397. Odyss. ν, 198. aliter statuendum est, cf. §. 215, 2.

d. Libr. ι, 379, χ, 349. particula non minus facile potest omitti, ut ι, 379. legatur οὐδ' εἴ μοι δεκάκις καὶ εἰκοσάκις (sive ϝεικοσάκις) τόσα δοίη — χ, 349: οὐδ' εἴ κεν δεκάκις καὶ εἰκοσινήριτ' (ϝεικοσ.) ἄποινα. Aptam esse particulam τε non nego, necessariam esse eandem non potest demonstrari. Immo eodem modo se habent versus Odyss. ι, 71. et ε, 306. Nam quod ι, 71. dicitur τριχθά τε καὶ τετραχθά, id etiam omissa particula τε recte dici potuisse intelligitur ex ε, 306: τρισμάκαρες Δαναοὶ καὶ τετράκις.

Igitur, quamvis apud Pindarum legatur τρεῖς τε καὶ δέκα (Matthiae in Gr. Gr. §. 626.), tamen Odyss. π, 249. legendum est πίσυρες καὶ εἴκοσι.

3. Quod vero legitur ζ, 367: οὐ γάρ τ' οἶδ', id postea demum mutatum esse, ut tolleretur productio (quam ante οἶδα, praesertim in thesi prima, patientissima firmissimaque, bene ferri posse demonstravimus §. 154, 2.), obliterato digamma molestissima, quis potest negare? Legendum utique οὐ γὰρ οἶδ' (Cf. τ, 162. λ, 668. ι, 104. μ, 165. ο, 521. π, 70.), uti in sententia affirmativa legitur οἶδα γάρ: Odyss. λ, 69. Iliad. λ, 408. all.

4. Libr. ψ, 517. in comparatione legitur: ὅσσον δὲ τροχοῦ ἵππος ἀφίσταται, ὅς ῥά τ' ἄνακτα ἕλκῃσιν. Sed delenda vel hoc loco particula. Quamvis enim ὅς ῥά τε in comparationibus legatur longe plurimis (δ, 483. ν, 63. 796. ο, 411. 631. π, 590. ρ, 134. 549. 674. σ, 319. φ, 494. χ, 23. 27), tamen uno certe Iliadis loco *) nobis servatum est ὅς ῥα, omisso τε, libr. ρ, 110: ὥςτε λῖς ἠϋγένειος, ὃν ῥα κύνες τε καὶ ἄνδρες. Neque hoc loco aliter se habent voces ὅς ῥα, quam Odyss. ι, 107. 330. ρ, 292. ω, 206. 211.

5. Duobus locis in comparationibus pro δέ τε restituendum est solum δέ. Sunt θ, 559. ψ, 846.

a. Atque θ, 559. legitur πάντα δέ τ' εἴδεται ἄστρα. Legendum est autem πάντα δὲ εἴδεται. Ita si legimus multo magis effertur vox πάντα: omnia vero conspiciuntur sidera. Id enim agit

*) Putaverim tamen ad vitandum hiatum particulam τε interdum illatam esse in theses firmiores, veluti in primam (§. 66, c.), in qua saepe legitur: δ, 483. χ, 27. all. Sed — conjectura est!

poeta, ut demonstret innumeros fuisse Trojanorum ignes, cf. vv. 560. 562. (τόσσα — χίλια). Jam cum vv. 555. 556. multitudinis quidem siderum nulla fiat mentio, sed splendoris (φαίνετ' ἀριπρεπέα); patet eam vim, quae inest in πάντα δὲ εἴδεται, esse esse aptissimam. Constat enim comparationis tertium, quod vocant, saepissime addi per particulam δέ. Confer μ, 300: κέλεται δέ ἑ θυμὸς ἀγήνωρ, ad quem versum spectat v. 307: ὥς ῥα τότ' ἀντίθεον Σαρπηδόνα θυμὸς ἀνῆκεν. — ν, 244: ἀρίζηλοι δέ οἱ αὐγαί = ὣς τοῦ χαλκὸς ἔλαμπε. — ρ, 522: ὁ δὲ προθορὼν ἐρίπῃσιν = ὣς ἄρ' ὅγε προθορὼν πέσεν ὕπτιος.

Ceterum quae hoc loco inferendae obliterato digamma particula τε causa fuerit, satis facile perspicitur. Sine dubio enim inserta est, postquam additi sunt ad comparationem versus 557. 558, qui, hoc loco ineptissimi, arcessiti sunt e libr. π, 299. His enim versibus cum maxime efferatur numeri notio (πᾶσαι), patet minore cum vi proferri potuisse vocem πάντα. Nam πάντα δέ τ' εἴδεται est: sed omnia etiam conspiciuntur.

Non nego tamen vel tertium comparationis interdum effici particulis δέ τε, veluti λ, 156., quamvis saepius hae particulae comparationem amplificent addantque ea, quae, quamvis ad rem accuratius describendam sint aptissima, tamen necessaria non sunt. Cf. ν, 140. 282. 283. 473. 493. 707. 733. ρ, 55. 64. 112. 135. 136. 264. 392. 744. 750. — Cf. Nitzsch. ad Odyss. ε, 329.

Operae denique pretium est addere unam comparationem, qua demonstratur eadem numeri notio, λ, 307. (πολλόν — πυκνά). Rursus sola particula δέ efficitur tertium comparationis. Attamen quae altera inest descriptio, ὑψόσε δ' ἄχνη —, haec, quamvis omnino non necessaria, tamen et ipsa majore cum vi effertur eadem addita particula δέ. Quae res alteri loco

b. libr. ψ, 846. optatissimum fert auxilium. Ibi enim eodem modo legi posse ἡ δὲ ἑλισσομένη (est enim ἡ δέ θ' ἑλισσομένη) facillime lectores perspiciunt.

6. Item μ, 48. haud dubie pro τῇτ' legendum erit τῇ. Patet enim hanc esse sententiam: quoties impetum in viros fera facit, toties viri recedunt, quae sententia asyndetos additur ad superiora. Jam cum sententiae duae sint partes (quoties-toties), aptissime particulis τε-τε inter se conferuntur. Ergo cum proprie dicendum esset ταρφέα τε πειρητίζει, ταρφέα τε εἴκουσι; posteriore sententiae parte additis verbis ὅππη ἰθύσῃ τῇ amplificata, particulae τε justus est locus in priore parte sententiae correlativae: ὅππῃ τ' ἰθύσῃ. Apparet igitur post τῇ abesse posse particulam, cf. β, 198: ὃν δ' αὖ—τόν. et all. Ita se locus habebat eo tempore, quo τῇ in thesi tertia recte producebatur ante digamma; quod cum obliterato digamma molestum esset, ad τῇ addita est particula.

7. Libr. ε, 481. non minus facile pro τάτ' ἔλδεται legi potest τὰ ἔλδεται. De τά cf. §. 190. — Iliad. δ, 432: τεύχεα ποικίλ' ἔλαμπε, τὰ εἱμένοι ἐστιχόωντο. 468: Ἀγήνωρ, πλευρά, τά οἱ κύψαντι παρ' ἀσπίδος ἐξεφαάνθη, οὔτησε ξυστῷ.

8. At multo difficilior est locus, ad quem nunc pergo: ε, 467. κεῖται ἀνήρ, ὅντ' ἶσον ἐτίομεν Ἕκτορι δίῳ. Hoc loco qui particulam velit defendere, niti possit verbis Hermanni, quae sunt ad hymn. in Apollin. 390: jacet is, qui vir erat, quemque Hect. parem existimabamus. Attamen vel deleta particula sententiam bene se habere probare possumus ex locis simillimis. Cf. π, 542: κεῖται Σαρπηδών — ὃς Λυκίην εἴρυτο. π, 558: κεῖται ἀνήρ, ὃς πρῶτος ἐσήλατο τεῖχος Ἀχαιῶν. Odyss. π, 45. all.

Quaenam igitur restat difficultas? Maxima sane. Nullum est enim exemplum syllabae brevis, in consonam literam desinentis, productae in thesi ante ἶσος; quae quidem difficultas eo augetur, quod ε, 467. productio foret in thesi altera.

Quae cum ita sint, aut de interpolatione erit statuendum — aut ad similitudinem feminini ἐΐση (§. 150, 2.) masculinum ἔϊσος erit efficiendum — aut cogitandum erit de productione inusitata. Quam productionem qui veram esse putat, is demonstret necesse est majorem quinti libri partem aut reliquis

Iliadis libris esse antiquiorem, aut confectam esse in alia regione, cujus in dialecto firmius fuerit digamma vocis ἴσος. De his igitur rebus disserendum erit in quaestione sexta. Cf. §§. 279. sqq.

§. 195. — Venio nunc ad nonnullos locos, quibus nisi deleto accusativo servari non possit digamma. Huc

1. refero υ, 186: χαλεπῶς δέ σ' ἔολπα τὸ ῥέξειν. Quo quidem loco legi posse χαλεπῶς δὲ ἔολπα τὸ ῥέξειν non nego, quamvis plerumque esset: vix speraverim **me** hoc esse effecturum. Accedit autem quod hac lectione posterior versus pars decurreret fere per tres amphibrachos, quae rarior est versuum forma, cf. §. 39, 6. Ergo alter omittendus est accusativus (τό), ut sit: χαλεπῶς δὲ ἔολπά σε ῥέξειν. Hoc modo commodior exsistit versus exitus, cum enclitica voce tollatur caesura (ἔολπά σε), cf. §. 25, d. Est eadem versus forma atque ω, 526. — Quod reliquum est, ut demonstremus objectum omitti posse, provocamus ad disputationem Naegelsbachianam, pag. 311. sqq. Addimus δ, 29: ἔρδ'· αὐτὰρ οὔ τοι πάντες ἐπαινέομεν θεοὶ ἄλλοι — ι, 453: τῇ πιθόμην καὶ ἔρεξα.

2. Libr. φ, 399. et χ, 347. etiam facilius omitti posse pronomen μ', ut legatur οἷα ἔοργας et ὅσσα ἔοργας; intelligitur et ex Odyss. χ, 217. π, 381. (quibus locis deest ἡμᾶς) all., et ex reliquiis codicis Ambrosiani, qui φ, 399. praebet ὅσσα ἔοργας. Cf. Buttmann. schol. in Odyss. p. 594. — et hujus quaestionis §. 175.

3. Idem accusativus μ' postea additus est libr. ψ, 649, ubi pro τιμῆς ἧστέ μ' ἔοικε τετιμῆσθαι μετ' Ἀχαιοῖς eo facilius legi potest ἧστε ἔοικε τετιμῆσθαι, quod de persona, ad quam pertineat ille honor, ex verbis οὐδέ σε λήθω satis constat. Nam saepissime deesse pronomina personalia, ubi ex subjectis superioribus facile cogitatione addi possint, Naegelsbachius p. 312. demonstravit ex Odyss. ι, 504. ο, 15. Iliad. χ, 233. 435. ρ, 638. π, 8.

3. Simili ratione emendari possunt χ, 15. ψ, 107.

§. 196. — Superiore paragrapho rem eo deduximus, ut constet pronomen personale nonnullis locis additum fuisse, qui antiquitus eodem egebant. Tetigit hanc rem Vossius ad hymn. in Cer. 348. extr. Jam duo restant loci, qui, quamvis omittendis pronominibus sanari non possint, tamen simili correctionis genere tentandi sunt.

1. Etenim χ, 15. propter digamma vocis ἑκάεργος legi non posse ἔβλαψας μ' Ἑκάεργε facile perspicitur. Posset sane, si de synizesi cogitare liceret in voce ἑκάεργε, quod quominus fiat, impedit digamma vocis ἔργον. Displicet etiam conjectura Heynii βλάψας με, Ἑκάεργε ob duram vocis με productionem, cf. §. 170. Diar. lit. Jenens. 1803. n. 128. pag 285. — Quid ergo? Pronomen personale rejiciendum est in versum 16, ut desit objectum verbi βλάπτω. Jam si legimas ἐνδάδε με τρέψας (legitur nunc ἐνθάδε νῦν τρέψας), aut ἐνθάδε νῦν τρέψας μ' ἀπὸ τείχεος, patet in versu 15. post ἔβλαψας non opus esse objecto, cf. Naegelsbach. pag. 314. Adde ψ, 774: βλάψεν γὰρ Ἀθήνη (αὐτόν).

2. Libr. ψ, 107. legitur καί μοι ἕκαστ' ἐπέτελλε. Possit quispiam conjicere mutato verborum ordine hoc loco legi posse καί μ' ἐπέτελλε ἕκαστα. Neque inepta haec est conjectura, cum et de amphibrachis ex §. 39. satis constet et de elisione vocis μοι ex ζ, 165. ι, 673. κ, 544. ν, 481. (καί μ' οἴῳ) all. Fateor tamen me ideo hanc conjecturam minus probare, quod ipsum pronomen personale φ, 399. χ, 347. ψ, 649. falso additum esse intelleximus. Quod quidem hoc loco eo facilius addi potuit, quod versu 95. legitur καί μοι ταῦτα ἕκαστ' ἐπιτέλλεαι. Quo loco cum idem sit vocum ἕκαστ' ἐπιτέλλεαι ordo, adducor, ut putem versu 107. legendum esse: καί τε ἕκαστ' ἐπέτελλεν. Certe particulas καί τε aptissimas esse ex eo intelligitur, quod a Patrocli umbra accurate data esse mandata imprimis mirandum erat. Ergo, si recte conjeci, mutatae orationis causam invenimus in hiatu, qui est in τε ἕκαστ'.

9. Quidam loci ordine verborum paulum mutando emendandi sunt.

§. 197. — Vel haec ordinis verborum mutatio omnibus, quos huc referendos censeo, locis tam facilis est, tamque multis exemplis in nonnullis locis comprobatur, ut de digamma nos recte statuisse etiam ex hac re appareat.

1. Libr. ζ, 493. (πᾶσιν, ἐμοὶ δὲ μάλιστα, τοὶ Ἴλιῳ ἐγγεγάασιν) legendum est πᾶσι, μάλιστα δ' ἐμοί, τοὶ Ἰλ, ut τοί producatur in thesi tertia. Consentit Odyssea, in qua semel legitur πᾶσιν, ἐμοὶ δὲ μάλιστα, libr. ξ, 138; quinquies πᾶσι, μάλιστα δ' ἐμοί: α, 359. λ, 353. θ, 490. φ, 353. ψ, 61. — In Iliade utraque forma invenitur: χ, 422. ω, 742.

Ceterum si quis dicat adulterinum esse hunc versum finirique sententiam verbis πόλεμος δ' ἄνδρεσσι μελήσει, sicuti ε, 430. υ, 137; non nego recte fortasse ita statui. Ego hac abstineo sententia ob eas causas, quas demonstravi §. 175.

2. Item τ, 421. (εὖ νύ τοι οἶδα καὶ αὐτός), omissa voce τοι, fortasse legi potest: εὖ νυ καὶ αὐτὸς οἶδα. Cf. θ, 32: εὖ νυ καὶ ἡμεῖς ἴδμεν. Ita si legimus, positionem in thesi altera efficit digamma vocis οἶδα, sicuti Odyss. θ, 215. Cf. §. 154, 2. — Id unum obstat, quod liber τ recentioris aetatis multa habet vestigia. Nescio igitur, quantum conveniat cum ejus indole haec productio. Cf. §§. 219. extrem. 297, 3.

3. Libr. λ, 791. quod legitur, ταῦτ' εἴποις Ἀχιλῆϊ, non minus facile potest emendari, ut sit εἴποις ταῦτ' Ἀχιλῆϊ. Intulit falsam lectionem idem rhapsodus, qui confecit versus 690 — 705, de quibus infra agemus. Cf. §. 212.

4. Restat ι, 224. (πλησάμενος δ' οἴνοιο δέπας). Hujus libri in principio maximopere turbatam esse antiquam lectionem aliquando demonstrabimus. Accedit quod versus 224. numerus minus aptus est, cum Ulixes, mandatorum Nestoris memor (v. 180), praeveniat Phoenicem, cui Ajax detulit dicendi provinciam (v. 223: νεῦσ' Αἴας Φοίνικι. νόησε δὲ δῖος Ὀδυσσεύς). Ergo

vehementiore versus numero opus est, anapaestico. Hunc restituo scribens: πλησάμενος δὲ δέπας οἴνου δείδεκτ' Ἀχιλῆα. Hac cum lectione egregie convenit Eustathii interpretatio, pag. 749. 31: πλησάμενος οὖν δέπας οἴνου. De productione, quae hoc modo efficitur voce οἴνου, cf. versus Odyss. θ, 70: πὰρ δὲ δέπας οἴνοιο.

Ceterum Athenaeum vers. 224. eodem modo legisse, quo nunc legitur, satis constat. Sed hac re nihil impedior.

10. Pro ὧδ' ante digamma legendum est ὥς.

§. 198. — Hanc rem quasi transiens attigi §. 174.

Legitur enim η, 300: ὄφρα τις ὧδ' εἴπῃσι — μ, 317: ὄφρα τις ὧδ' εἴπῃ. — δ, 176: καί κέ τις ὧδ' ἐρέει. Patet hos omnes locos eodem modo esse corrigendos; nec δ, 176. scribi posse ὧδε ἐρεῖ, quae verbi forma vix est Homerica, cf. Hermann. ad hymn. in Cerer. 406.

Ut breviter rem demonstrem, concedo rarissime ὥς spectare ad ea, quae sequuntur; multo saepius spectare ad superiora. Patet igitur posterioribus temporibus successisse in locum hujus particulae, ubi spectat ad proxima, particulam ὧδε, ideoque vocem ὥς haud raro mutatam esse. Supersunt tamen antiquioris usus quaedam vestigia. Nam η, 31. ὥς pertinet ad ea quae sequuntur: διαπραθέειν τόδε ἄστυ, quamvis quodammodo referatur etiam ad suqeriora (εἰςόκε τέκμωρ Ἰλίου εὕρωσιν). At Odyss. θ, 564. ὥς aperte spectat ad ea, quae sequuntur; explicat particulem vox φῆ, vers. 567. Quamquam haec rara sunt antiqui usus exempla. Saepius ad sequentia pertinet ὥς, si excipitur altero ὥς, veluti Odyss. ξ, 468. ο, 156. Addimus eandem esse interdum rationem particulae οὕτω, quae rarius pertinet ad proxima (Iliad. ν, 825), saepius ad superiora.

Eo magis gaudeo unum certe nobis servatum esse locum, iis simillimum quos supra demonstravimus; quo quin ad sequentia pertineat ὥς non licet dubitare. Est Iliad. ϱ, 420: ὥς δέ τις αὖ Τρώων μεγαθύμων αὐδήσασκεν· ὦ φίλοι.

Pertinent autem ad idem correctionis genus multi loci Odysseae, quos in quaestione septima demonstrabo. Totius rei patet eandem esse rationem atque delendae particulae demonstrativae — δε, de qua dixi §. 190. Ortum est enim ὧδε ex ὥςδε.

11. Nonnullis locis pro composito restituendum est simplex.

§. 199. — De hac re breviter proposui §. 174. Intelligitur tum maxime de hoc correctionis genere esse cogitandum, cum elisio est ante composita. Quae ubi legitur restituenda voce simplici plerumque restitui potest hiatus cum digamma conveniens.

1. Libr. χ, 61. legitur κακὰ πόλλ' ἐπιδόντα. Facile scribi potest κακὰ πολλὰ ἰδοντα. — Eodem pertinet fortasse χ, 407: παῖδ' ἐςιδοῦσα. Quae lectio etsi excusationem habet ex §. 160. sqq., tamen non levi momento aestimanda est lectionis varietas, quam Odyss. ϑ, 526. offert codex Vindobonensis pro ἀσπαίροντ' ἐςιδοῦσα: ἀσπαίροντα ἰδοῦσα. (Cf. Hermann. ad hymn. in Apoll. 255.) — χ, 254. huc non pertinet. Deducendum est enim e δίδωμι, cf. ψ, 485.

2. Eodem modo quinque sanandi sunt loci, quibus legitur ἐπέοικε, quae forma nisi neglecto digamma fieri non potuit: α, 126. δ, 341. ι, 392. κ, 146. ω, 595.

Atque quatuor locis cum post elisionem legatur haec forma, restituendus est hiatus et simplex ἔοικε. Ergo δ, 341. legendum est σφῶιν μέν τε ἔοικε. Fallitur enim Thierschius (Gr. Gr. §. 164. 2. annot 2), statuens μέντοι hoc loco intelligendum esse. Conferatur Spitznerus in excurs. VIII. 2. extr. — Libr. ι, 392. lege ὅςτις οἵ τε ἔοικε, cf. vers. 70. — Libr. κ, 146. legendum est ὄντε ἔοικεν; libr. ω, 595: ὅσσα ἔοικεν, collat. Odyss. α, 278. 292. ω, 273. — υ, 194. ἦ τε.

Restat α, 126. (λαοὺς δ' οὐκ ἐπέοικε παλίλλογα ταῦτ' ἐπαγείρειν).

Legendum est λαοὺς δ' οὐδὲ ἔοικε: i. e. ne decet quidem, si fieri posset (non potest tamen fieri). De οὐδὲ ἔοικεν cf. μ, 212. ψ, 493. Igitur eadem est sententiae ratio atque ξ, 212. οὐκ ἔστ' οὐδὲ ἔοικεν. Odyss. θ, 358. De δ' οὐδέ confer Iliad. ο, 24. π, 522, all. Nitzsch ad Odyss. λ, 366.

3. De η, 45, diximus §. 184. Patet legi posse aut θεοῖς ἐπιάνδανε, aut θεοῖσιν ἑάνδανε.

4. Libr. ψ, 491. (ἐπί τ' ἔλπεται ἤματα πάντα) legendum puto χαίρει τ' ἐν θυμῷ, καὶ ἔλπεται. Etenim καί particula uti hoc loco aptissima est, cum id addatur quod majus est, ita fortasse hujus particulae in thesi productio effecit lectionis commutationem. Cf. ν, 609: ὁ δὲ φρεσὶν ᾗσι χάρη καὶ ἐέλπετο νίκην.

12. Agitur de nonnullis locis, quorum minus facilis est correctio.

§. 200. — Restituimus §. 199, 4. pro composito ἐπιέλπομαι simplex ἔλπομαι et particulam καί, freti Iliad. ν, 609. Jam quatuor restant loci, quibus haec particula aut deleta esse potest, aut ejusdem vis aucta est addita particula ἔτι.

1. Atque primum quidem ο, 539. nunc legitur ἕως ὁ τῷ πολέμιζε μένων, ἔτι δ' ἔλπετο νίκην. Collato autem ν, 609: καὶ ἔλπετο νίκην intelligitur particulam καί vel hoc loco satis esse, licet etiam ἔτι per se sit aptissimum. Id enim nos agimus, ut demonstremus facillimam fuisse antiquae orationis commutationem nec raro eandem ex antiqua simplicitate originem duxisse. Qua cum simplicitate bene consentit particula καί, cujus in locum successit postea particula ἔτι.

2. Neque multum ab hoc loco differunt libr. η verss. 364. 391. Ibi enim particula ἔτι addita est ad καί, ut accuratius sententia demonstraretur. Quamquam facile intelligitur etiam καὶ οἴκοθεν ἄλλ' ἐπιθεῖναι ad rem demonstrandam idem valere. Eadem cum vi proferendum est οἴκοθι libr. θ, 513.

3. Restat quartus locus α, 19: εὖ δ' οἴκαδ' ἱκέσθαι. Sub-

latis particulis (εὖ δ'), quae per se sunt aptissimae, utique legendum est καὶ οἴκαδ' ἱκέσθαι. Cum enim vocem οἶκος majore cum vi interdum apud Homerum proferendam esse modo viderimus, fortasse etiam hoc loco major est hujus vocis vis. Scimus autem quo minus culti sint homines, eo majore teneri patriae desiderio. Ergo sola domum reditio omnium rerum est paene exoptatissima in tanta morum simplicitate, quanta epicae aetatis solet esse. Sequitur particulas εὖ δ' nostro loco non esse admodum necessarias, satis esse solum καί. Comprobat hanc sententiam Homerica dicendi consuetudo. Etenim tam multis locis legitur καὶ οἶκον ἱκέσθαι, tamque facile fuit horum plerisque pro καί dicere εὖ δ', ut certissime concludamus in dictione οἶκον ἱκέσθαι maximam vim fuisse vocis οἶκος. Confer Iliad. ι, 393. μ, 229. σ, 60. 90. Odyss. γ, 233: βουλοίμεν δ' ἂν ἔγωγε, καὶ ἄλγεα πολλὰ μογήσας, οἴκαδέ τ' ἐλθέμεναι καὶ νόστιμον ἦμαρ ἰδέσθαι, ἢ ἐλθὼν ἀπολέσθαι ἐφέστιος, ὡς Ἀγαμέμνων. δ, 520. collat. η, 151. Addo Iliad. ω, 556. Sed instar omnium duo sunt loci Odysseae, qui hanc dictionis vim praeclare demonstrant, cum ad verbum ἔρχομαι majore cum vi additum sit οἶκον ἱκάνεται. Etenim ψ, 7. 27. legitur: ἦλθ' Ὀδυσεύς, καὶ οἶκον ἱκάνεται; neque alia est Odyss. ω, 237. ratio: εἰπεῖν ὡς ἔλθοι καὶ ἵκοιτ' ἐς πατρίδα γαῖαν. — Constat autem ipsa particula καὶ haud raro sententiam satis efferri, cf. Iliad. λ, 106. 798. μ, 202. π, 685. Ceterum simillima est orationis ratio Odyss. η, 149.

§. 201. — Qui supersunt loci vario modo sanandi sunt.

1. Libr. α, 395: ἢ ἔπει ὤνησας κραδίην Διός, ἠὲ καὶ ἔργῳ. Hoc loco quamvis stare possit ἢ καὶ ἔργῳ, displicet tamen in quinto pede spondeus. Immo καί particula ob eam rem illata est, ut augeretur vis vocis ἔργον. Jam cum saepissime apud Homerum in ejusmodi dictionibus bis ponatur pronomen τι; non dubito quin etiam hoc loco antiquitus fuerit ἠέ τι ἔργῳ, uti in versu superiore legitur εἴποτε δή τι. Confer ε, 879: ταύτην δ' οὔτ' ἔπεϊ (οὔτε ἔπει — §. 182.) προτιβάλλεαι, οὔτε τι ἔργῳ. — ω, 152: μηδέ

τί οἱ θάνατος μελέτω φρεσί, μηδέ τι τάρβος — Odyss. δ, 163: ὄφρα οἱ ἤ τι ἔπος ὑποθήσεαι, ἠέ τι ἔργον. Adde Odyss. γ, 99. δ, 329. all.

2. Libr. γ, 351. legitur ὅ με πρότερος κάκ' ἔοργεν. Legendum est: κάκ' ἔρεξεν, quod recurrit vers. 354: κακὰ ῥέξαι. Ceterum saepissime legi κακὰ ῥέζειν satis constat, cf. Odyss. β, 72. 73. φ, 298. χ, 158. — Cf. §. 179, 2. Odyss. σ, 15. υ, 314. Iliad. β, 195. δ, 35. ε, 373. ω, 370.

3. Libr. γ, 286. 459. (τιμὴν ἀποτινέμεν, ἥντιν' ἔοικεν) pro ἥντιν' legendum est ἥντε. Cf. ψ, 649: τιμῆς ἧςτε ἔοικε τετιμῆσθαι μετ' Ἀχαιοῖς. — λ, 779. χ, 160. all.

4. Libr. δ, 131. in comparatione legitur παιδὸς ἐέργει μυῖαν, ὅθ' ἡδέϊ λέξεται ὕπνῳ. Sed vel hoc loco (uti ρ, 54. — cf. §. 179, 1.) pro ὅθ' legendum est ὅς. Legitur enim ὅς in ipsis comparationibus, veluti Odyss. ε, 395. 489. π, 19, ψ, 160. ζ, 233. — Corripi posse ante ἡδύς syllabas breves in consonas lit. desinentes intelligitur ex Odyss. ν, 80. all.

5. Libbr. ζ, 289. ι, 228. neglectum est digamma vocis ἔργον (πέπλοι παμποίκιλοι, ἔργα γυναικῶν — δαιτὸς ἐπηράτου*) ἔργα μέμηλεν). Utriusque loci eadem ratio est et antiqua corruptela, cum ζ, 289. citetur ab Herodoto, libr. II. 116.

Patet ex Homerica dicendi consuetudine restituendum esse παμποίκιλα ἔργα γυναικῶν, δαιτός ἐπήρατα ἔργα. — Ita θ, 453. est πολέμοιό τε μέρμερα ἔργα; ε, 429: ἱμερόεντα ἔργα γάμοιο. Quibus ex locis concludere licet de ι, 228. — ζ, 289. non aliter se habet atque Odyss. ξ, 83: αἴσιμα ἔργ' ἀνθρώπων; Iliad. μ, 283: ἀνδρῶν πίονα ἔργα. Nisi fortasse longe alio modo de hoc libri sexti versu statuendum est. Etenim Odyss. ο, 105. simillimus est versus: ἔνθ' ἔσαν οἱ πέπλοι παμποίκιλοι, οὓς κάμεν αὐτή. Hic recte se habet παμποίκιλοι Quid ergo? — Sed abstineo nunc hujus generis conjecturis.

6. Libr. λ, 11. ξ, 151. legitur, ἔμβαλ' ἑκάστῳ καρδίῃ. Collat. β,

---

*) Ad lectionem Etymol. M. ἐπήρατος non confugio, cum in lemmate sit ἐπηράτου. Similis est enim error in καλὲς αἰζηῶν (s. v. ἔργον), libr. ε, 90.

451: ἐν δὲ σθένος ὦρσεν ἑκάστῳ καρδίῃ κ. τ. λ. dubitari non potest, quin vel λ, 11. ξ, 151. legi possit μέγα δὲ σθένος ὦρσεν ἑκάστῳ. Quae conjectura cui displicet, is, omisso versu proximo (λ, 12. ξ, 152.), medicinam potest parare ex libr. ν, 82., ut legatur: (ὄρθι',) Ἀχαιοῖσιν δὲ μέγα σθένος ἔμβαλε θυμῷ. — Quid verum sit nescio, nec multum interest scire; modo id teneamus tantam fuisse epicae poesis mobilitatem et copiam dictionum ut una alterave dictione, in qua posteriorum temporum cognoscantur vestigia, deleta, sua sponte subnascatur alia dictio ejusdem notionis. Accedit libr. λ, 11., quod adduntur duo versus adulterini (13. 14.), petiti ex libr. β, 453. Qui si addi poterant, quidni addi potuerit versus 12. et mutari versus 11?

7. Libr. μ, 412: πλεόνων δέ τοι ἔργον ἄμεινον, licet ferri omnino non posse Hermannus (ad hymn. in Ven. v. 86.) dixerit, tamen Naegelsbach. contendit δέ τοι esse servandum; annott. ad Iliad. pag. 179. Sed recte Hermannum secutus Spitznerus dedit δέ τε. Generalis est enim sententia, in qua saepissime legitur δέ τε. Cf. ι, 497. ρ, 32. σ, 106. 201. Odyss. δ, 379. 468. 608. — Potest vero etiam legi πλεόνων τοι ἔργον ἄμεινον, cf. Iliad. ν. 115.

8. Libr. φ, 583. nunc legitur ἦ δή που μάλ' ἔολπας ἐνὶ φρεσί. Sed in hoc perfecto non minus peccatum est quam in ἔοργα (γ, 371. φ, 399. χ, 347). Cf. §. 195, 1. Collato hiatu, qui ι, 40. est in μάλα ἔλπομαι, vix potest dubitari quin legendum sit imperfectum μάλα ἔλπε' (pro ἔλπεο, sicuti imperativus ἔλπεο legitur υ, 201). Simili ratione imperfectum legitur Odyss. ι, 419; quo loco delendum est μ'. Cf. Odyss. φ, 157.

9. Libr. χ, 450: ἴδωμ', ὅτιν' ἔργα τέτυκται propter digamma vocis ἔργον stare non potest. Hoc loco si censerem legendam esse eandem versus clausulam, quae legitur Odyss. κ, 44: ἴδώμεθα, ὅ,ττι τάδ' ἐστίν, violentior fortasse haec diceretur correctio. Qua de causa alteram propono conjecturam: ἴδω, τίνα ἔργα τέτυκται. De activo ἴδω confer Iliad. κ, 97. Odyss. φ, 112. 336. all.; quamquam multis locis Wolfius, Aristarchum secu-

tus, pro activo scripsit medium, veluti Iliad. γ, 163. — Posse autem pronomen τίς esse in interrogationibus indirectis satis constat, cf. Odyss. δ, 642. ν, 233. ο, 423. ρ, 368. ω, 474. all.

10. Libr. ω, 572. legitur Πηλείδης δ' οἴκοιο, λέων ὥς, ἆλτο θύραζε. Sed facilis est emendatio. Etenim rectissime se habent omnia, si scribimus Πηλείδης δὲ δόμοιο, λέων ὥς κ. τ. λ. Tabernaculum enim Achilles δόμος dici posse, et ex v. 673. intelligitur et ex scholiis, quorum haec sunt verba: καταχρηστικῶς τὴν κλισίαν δῶμα οἶκον δόμον εἶπεν. Similiter Odyss. φ, 388. legitur σιγῇ δ' ἐξ οἴκοιο Φιλοίτιος ἆλτο θύραζε, at Odyss. υ, 361: δόμου ἐκπέμψασθε θύραζε. — Interpolatoris autem manum cum in falsa productione vocis καί, versu. 570., nostro jure cognoverimus (§. 60. pag. 74.); nescio an v. 572. solo scribendi errore ortum sit οἴκοιο (ΠΕΛΕΙΔΕΣ ΔΕΔΟΜΟΙΟ - ΠΕΛΕΙΔΕΣΔΟΙΚΟΙΟ). Certe aliam mutationis causam nullam video. Fortasse igitur licet hanc lectionem referre ad eam aetatem, qua scribebantur carmina Homerica.

11. Nunc agimus de libr. ψ, 787. Fateor mihi de hoc versu nondum satis constare. Id quidem certum est propter digamma vocis ἐρέω stare non posse quod nunc legitur; εἰδόσιν ὔμμ' ἐρέω πᾶσιν, φίλοι Jam facilis est conjectura ὔμμι ἐρέω. At intercedit Hermannus ad h. in Cerer. 406: neque ἐρῶ Homericum est, neque ἐρέω bisyllabum. Hanc ipsam ob causam §. 198. abstinuimus conjectura ὧδε ἐρεῖ. Constat tamen hanc et contractionem et synizesin aliis in verbis liquidis apud Homerum inveniri. Quare nescio num omnino damnari possit ἐρέω bisyllabum. Accedit enim, quod Odyss. μ, 156. (ἀλλ' ἐρέω), nisi legi potest ἀλλὰ ἐρέω, de apta emendatione erit desperandum. Ceterum si recte legendum est hoc libri ψ loco ἐρέω; id facillime concedo, hanc Iliadis partem non esse antiquissimam.

Potest tamen etiam aliter statui. Nam coll. ι, 121. 528. legi potest ὑμῖν ἐν πᾶσιν ἐρέω φίλοι. Quamquam hoc displicet quod hac conjectura deletur vox εἰδόσι, cujus summa est vis

Accedit quod κ, 250. simile est versus initium: εἰδόσι γάρ τοι ταῦτα μετ' Ἀργείοις ἀγορεύεις Jam cum metrica libri κ ratio maximopere concinat cum metris iis, quae sunt in hac parte libri ψ; eo magis dubito num simile versus initium recte in libro ψ possit deleri.

Persto igitur in sententia, quam supra demonstravi, legendum esse ὔμμι ἐρέω per synizesin. Hanc qui improbent, necesse est cogitent de digamma neglecto, i. e. obliterato. Attamen maturius fortasse pronuntiabatur ἐρέω, quam obliterato antiquo digamma ἐρέω.

12. Non minus difficilis est locus γ, 173. (ὡς ὄφελεν θάνατός μοι ἁδεῖν κακός). Potest tamen legi ὥς μ' ὄφελεν θάνατος ἁδέειν κακός. Nam ἁδέειν eodem modo se habet, quo ἰδέειν, βαλέειν all.; et de elisione vocis μοι hoc minus potest dubitari, quod infirmissimae sunt apud Homerum voces encliticae (cf. Vol. I. praef. pag. 35.) Quae elisio cum postea molesta fuerit, intelligitur ob eam rem interdum mutatam esse antiquam lectionem.

13. De conjunctivo εἴδω. — De participiis εἰδυῖα, εἰκυῖα.

§. 202. — 1. Libr. θ, 406. 420. legitur ὄφρ' εἰδῇ, ὄφρ' εἰδῇς. Gaudeo forte nobis servatam esse alteram hujus conjunctivi formam ξ, 235: ἰδέω, qua adhibita fortasse scribi potest ὄφρα ἰδέῃ, ὄφρα ἰδέῃς, quae formae per synizesin sunt pronuntiandae. §. 186, 3. hac sententia abstinui, puto tamen ita statui posse. — Certe

2. simili ratione sananda est elisio, quae quatuor locis legitur ante εἰδυῖα: libr. α, 365: ταῦτ' εἰδυίῃ — ι, 128: ἀμύμονα ἔργ' εἰδυίας — τ, 245. id. — ψ, 263. id.

Hos omnes locos ab initio ita scriptos fuisse mihi persuadere non possum. Sunt autem suspicionis tres potissimum causae. Primum enim hoc participii femininum in Iliade nus-

quam efficit hiatum, quamvis ante masculinum εἰδώς legatur hiatus saepissime. Tum ex his quatuor locis in pede quinto, plerumque dactylico, spondeum praebent tres. Accedit, quod ex eodem participio fit adjectivum ἰδυῖα, cf. σ, 380. 482. α, 608.; quae ipsa quin antiquitus fuerit participii feminini forma dubitari omnino non potest. Patet igitur his omnibus locis restituendum esse hiatum et participium ἰδυῖα*).

Orta est autem falsa illa lectio ex antiquiore scribendi ratione, cujus quaedam apparent in codice Ambrosiano vestigia. Etenim ϑ, 251. pro εἴδονϑ' in hoc codice scriptum est ΙΔΟΝΘ'; et ο, 389. pro εἱμένα legitur ιμενα. Patet igitur pro ει non raro scriptum esse ι. Qua in re quam male sibi constiterint libri antiqui, ex eo potest concludi, quod α, 608. (ποίησεν ἰδυίῃσιν πραπίδεσσιν) ipse codex Ambrosianus habet ποίησ' εἰδυίῃσιν. Ergo casu accidit, ut nonnullis locis pro antiquo ι initiali scriberetur ει, nonnullis locis servaretur ι; neque antiquitus quidquam est discriminis inter εἰδυῖα et ἰδυῖα, quae antiquissimis temporibus eaedem erant et participii et adjectivi formae. Paulatim tamen magis in adjectivi notionem abiisse formam ἰδυῖα non nego. Participii notio ob eam rem mansit in εἰδυῖα, quod haec forma a forma masculini εἰδώς minus discrepabat. — Cf. τέϑηλα et τεϑαλυῖα.

3. Neque aliter statuendum est de forma εἰκυῖα. Ante hanc elisio est item in quinto pede ψ, 66: ὄμματα κάλ' εἰκυῖα. Legendum est autem ὄμματα καλὰ ἰκυῖα.

Etenim praesens est Fείκω, quod ita fuisse concludi potest ex futuro εἴξω: χ, 321. Hinc perfectum FέFοικα eodem modo efficitur, quo e πείϑω fit πέποιϑα. Est enim vocalis ι in radice (cf. ἀϊκῶς, libr. χ, 336 — ἴκελος). Recurrit haec vocalis in ἔϊκτον, ἐΐκτην, sicuti ἴδμεν est ab οἶδα, ἐπέπιϑμεν (β, 341.) a πέποιϑα. Deinde cum masculino εἰδώς (Fειδ-, Fοιδ-, Fιδ-) concinit εἰκώς, libr. φ, 254., quod hac ipsa comparatione defenditur a

*) Intacta reliqui quae ante nonnullos annos scripsi. Constat nunc Bekkerum semper ita scripsisse.

Thierschii correctione, Gr. Gr. §. 211. 29. Jam cum constet participii feminini εἰδυῖα alteram formam fuisse ἰδυῖα, cumque reliquis in formis maximopere conveniant οἶδα et ἔοικα; patet de altera participii feminini forma ἰκυῖα, quae est pro εἰκυῖα, certissime posse concludi. Haec igitur ψ, 66. cum hiatu in quinto pede restituenda est.

Certe Bekkeri lectione ἐϊκυῖα nihil juvamur. Est enim digamma ante ε initiale; et initiale digamma multo difficilius evanescere quam id digamma, quod in mediis est vocibus, ex iis, quae supra docuimus, potest intelligi, cf. §. 104.

Appendix.

1. Loci emendati enarrantur ex ordine librorum.

Libr. α — 19: εὖ δ' οἶκαδ' ἱκέσθαι (Scripsimus καὶ οἶκαδ' ἱκεσθαι. §. 200. 3.) — 64: ὅς κ' εἴποι (ὅς εἴποι. §. 191, 1.) — 126: λαοὺς δ' οὐκ ἐπέοικε (λαοὺς δ' οὐδὲ ἔοικε. §. 199, 2.) — 288: πάντεσσι δ' ἀνάσσειν (πᾶσιν δὲ ἀνάσειν. §. 183.) — 294: ὑπείξομαι potest esse apocope, §. 168. — 365: ταῦτ' εἰδυίῃ (ταῦτα ἰδυίῃ §. 202, 2.) — 395: ἠὲ καὶ ἔργῳ (ἠέ τι ἔργῳ. §. 201, 1.) — 548: τόνγ' εἴσεται (τὸν εἴσεται, ut productio fiat in thesi §. 189, 4.) — 555: παρείπῃ. De apocope cf. §. 168. — 582: τόνγ' ἐπέεσσι (τόνγε ἔπεσσι §. 183.) — 598: ᾠνοχόει (οἰνοχόει ex lectione Aristarchi §. 177, 1.)

Libr. β — 82: νῦν δ' ἴδεν (νῦν δὲ ἴδ'. §. 185, 3. — vel νῦν ἴδεν. §. 193, 2.) — 213: ὅς ῥ' ἔπεα (ὅς ῥα ἔπεα. §. 178, 3. — vel ὅς ἔπεα. §. 188, 2.) — 342: γάρ ῥ' ἐπέεσσ' (γάρ ῥα ἔπεσσ'. §. 183. — vel γὰρ ἐπέεσσ'. §. 188, 4.) — 668: ᾤκηθεν (οἴκηθεν. §. 177, 1.) — 672: Χαρόποιο τ' ἄνακτος (Χαρόπου τε ἄνακτος. §. 181.)

Libr. γ — 140: προτέροιο καὶ ἄστεος (προτέρου καί, cf. §. 181.) — 154: εἵδονθ' (ἔιδονθ'. §. 176, 1.) — 173: ὡς ὄφελεν θάνα-

τός μοι ἀδεῖν (ὥς μ' ὄφελεν θάνατος ἁδέειν. §. 201, 12). — 286. 459: ἥντιν' ἔοικεν (ἥντε ἔοικεν. §. 201, 3.) — 351: κάκ' ἔοργεν (κάκ' ἔρεξεν. §. 201, 2.)

Libr. δ — 131: ὅθ' ἡδέϊ (ὅς ἡδέϊ. §. 201, 4.) — 176: ὧδ' ἐρέει (ὧς ἐρέει. §. 198.) — 275: εἶδεν (ἴϊδεν. §. 176, 1.) — 341: μέν τ' ἐπέοικε (μέν τε ἔοικε. §. 199, 2.) — 467: γάρ ῥ' ἐρύοντα (γὰρ ἐρύοντα. §. 188, 4.) — 508. κατιδών potest esse apocope (§. 168.) — 509: μηδ' εἴκετε (μὴ εἴκετε. §. 193, 5.)

Libr. ε — 30: ἑλοῦσ' ἐπέεσσι (ἑλοῦσα ἔπεσσι. §. 183.) — 166: τὸν δ' ἴδεν Αἰνείας (τὸν δὲ ἴδ' Α. §. 185, 3.) — 451: ἄρ' εἰδώλω, de apocope cf. §. 168. Potest tamen legi ἀμφὶ δὲ εἰδώλῳ. §. 188. — 467: ὄντ' ἶσον (ὂν ἶσον? §. 194, 8.) — 481: τάτ' ἔλδεται (τὰ ἔλδεται. §. 194, 7.) — 515. 572: ὡς εἶδον, ὡς εἶδεν (ὡς ἴϊδον, ἴϊδεν. §. 176, 1.) — 565: τὸν δ' ἴδεν Ἀντίλοχος (τὸν δὲ ἴδ' Α. §. 185, 3. — 879: οὔτ' ἔπεϊ (οὔτε ἔπει. §. 182.) — 893: δάμνημ' ἐπέεσσιν (δάμνημι ἔπεσσιν. §. 183.)

Libr. ζ — 281: ἐθέλῃσ' εἰπόντος (ἐθέλῃ εἰπόντος. §. 185, 1.) — 289: παμποίκιλοι, ἔργα γυναικῶν (παμποίκιλα ἔργα γυναικῶν. §. 201, 5.) — 367: οὐ γάρ τ' οἶδ' (οὐ γὰρ οἶδ' §. 194, 3.) — 474: ὅγ' ὃν φίλον (ὁ ὃν φ. §. 189, 1.) — 478: Ἰλίου ἶφι (per synizesin legendum est §. 178, 2.) — 493: πᾶσιν, ἐμοὶ δὲ μάλιστα τοὶ Ἰλίῳ (πᾶσι, μάλιστα δ' ἐμοί, τοί. §. 197, 1) — 511: μετά τ' ἤθεα (μετὰ ἤθεα. §. 194, 2, b.)

Libr. η — 21: κατιδών, de apocope cf. §. 168. — 45: θεοῖσιν ἐφήνδανε (θεοῖς ἐπιάνδανε, §. 199, 3.) — 300: ὧδ' εἴπῃσιν (ὧς εἴπῃσιν. §. 198.) — 364. 391. καὶ ἔτ' οἴκοθεν (καὶ οἴκοθεν. §. 200, 2.) — 375: τόδ' εἰπέμεναι πυκινὸν ἔπος (τὸ εἰπέμεναι. §. 190. extrem.) — 472: ἄρ' οἰνίζοντο, de apocope cf. §. 168.

Libr. θ — 158: ἀν' ἰωχμόν. De apocope cf. §. 168. — 406. 420: ὄφρ' εἰδῇ, ὄφρ' εἰδῇς, (ὄφρα ἰδέῃ, ὄφρα ἰδέῃς. §§. 186, 3. 202.) — 453: πόλεμόν τ' ἰδέειν (πόλεμόν τε ἰδεῖν. §. 185, 2.) — 526: εὔχομαι ἐλπόμενος (εὔχομ' ἐελπόμενος. §. 186, 5.)

— 559: πάντα δέ τ᾽ εἴδεται (πάντα δὲ εἴδεται. §. 194, 5, a).

Libr. ι — 73: πολίεσσι δ᾽ ἀνάσσεις (πολέσιν γὰρ sive δὲ ἀνάσσεις. §. 183.) — 128: ἀμύμονα ἔργ᾽ εἰδυίας (ἔργα ἰδυίας. §. 202, 2.) — 224: πλησάμενος δ᾽ οἴνοιο δέπας (πλησάμενος δὲ δέπας οἴνου. §. 197, 4.) — 228: ἐπηράτου ἔργα μέμηλεν (ἐπήρατα ἔργα μέμ. §. 201, 5.) — 376: ἐξαπάφοιτ᾽ ἐπέεσσιν (ἐξαπάφοιτο ἔπεσσιν. §. 183.) — 379: δεκάκις τε καὶ εἰκοσάκις (δεκάκις καὶ εἰκοσάκις. §. 194, 2, d.) — 383: ἀν᾽ ἑκάστην. De apocope cf. §. 168. — 392: ὅςτις οἵ τ᾽ ἐπέοικε (οἵ τε ἔοικε. §. 199, 2.) — 526: παράῤῥητοί τ᾽ ἐπέεσσιν (παράῤῥητοί τε ἔπεσσιν. §. 183.) — 540: πόλλ᾽ ἔρδεσκεν (πόλλ᾽ ἔῤῥεζεν. §. 179, 2.) — 688: τάδ᾽ εἰπέμεν (τὰ εἰπέμεν. §. 190.)

Libr. κ — 33: ἤνασσε (ἐάνασσε. §. 176, 2.) — 139: ἦλυθ᾽ ἰωὴ (ἦλθε ἰωή §. 186, 1.) — 146: ὄντ᾽ ἐπέοικεν (ὄντε ἔοικεν. §. 199, 2.)

Libr. λ — 11: ἔμβαλ᾽ ἑκάστῳ (ὦρσε ἑκάστῳ. §. 201, 6.) — 25: χρυσοῖο καὶ εἴκοσι (χρυσοῦ καὶ εἴκοσι. §. 181.) — 101: βῆ ῥ᾽ Ἴσον (βῆ Ἴσον. §. 188, 3.) — 166: παρ᾽ Ἴλου. De apocope cf. §. 168. — 261: τοῖο δ᾽ ἐπ᾽ Ἰφιδάμαντι (τοῦ δ᾽ ἐπὶ Ἰφιδ. — §. 181.) — 517: αὐτίκα δ᾽ ὢν ὀχέων (αὐτίκα ὢν ὀχέων. §. 193, 1.) — 791: ταῦτ᾽ εἴποις (εἴποις ταῦτ᾽. §. 197, 3.) — 792: τίς δ᾽ οἶδ᾽ (τίς οἶδ᾽. — §. 193, 6.)

Libr. μ — 48: τῇτ᾽ εἴκουσι (τῇ εἴκουσι. §. 194, 6.) — 162: ᾤμωξέν τε καὶ ὥ. (ᾤμωξεν καὶ ὥ. §. 194, 2, c.) — 317: ὧδ᾽ εἴπῃ (ὡς εἴπῃ. §. 198.) — 389: ἦ ῥ᾽ ἴδε (ἦ ἴδε. §. 188, 2.) — 391: εὐχετοῷτ᾽ ἐπέεσσιν (εὐχετοῷτο ἔπεσσιν. §. 183.) — 412: πλεόνων δέ τοι ἔργον (πλεόνων δέ τε ἔργον seu πλ. τοι ἔργον. §. 201, 7.)

Libr. ν — 107: νῦν δ᾽ ἕκαθεν (νῦν δὲ ἑκάς. §. 179, 3.)

Libr. ξ — 116: ᾤκεον (οἴκεον. §. 177, 1.) — 151: ἔμβαλ᾽ ἑκάστῳ (ὦρσε ἑκάστῳ. §. 201, 6.) — 153: εἶδε (ἐςεῖδε. §. 176, 1.) — 208: κείνω γ᾽ ἐπέεσσι (κείνω γε ἔπεσσι. §. 183.) 294: ὡς δ᾽ ἴδεν (ὡς δὲ ἴδ᾽. §. 185, 3). — 348: λωτόν θ᾽ ἐρ-

σήεντα (λωτὸν ἰερσήεντα. §. 191, 1.) — 383: ἐπεί ῥ' ἔσσαντο (ἐπεὶ ἔσαντο. §. 188, 1.).

Libr. ο — 35. 89. 145: φωνήσασ' ἔπεα (φωνήσασα ἔπεα. §. 178, 3.) — 114: ὀλοφυρόμενος δ' ἔπος ηὔδα (δὲ προσηύδα. §. 179, 5.) — 127: ἡ δ' ἐπέεσσι (ἡ δὲ ἔπεσσι. §. 183.) — 156: ὦκ' ἐπέεσσι (ὦκα ἔπεσσι. §. 183.) — 268: μετά τ' ἤθεα καί (μετὰ ἤθεα καί. §. 191, 2, b.) — 403: τίς δ' οἶδ' (τίς οἶδ'. §. 193, 6.) — 455: ὅγ' Ἀστυνόῳ (ὁ Ἀστυνόῳ. §. 189, 2.) 539: ἔτι δ' ἔλπετο (καὶ ἔλπετο. §. 200, 1.) — De forma ἤλπετο, quae vv. 539. 701. olim legebatur, cf. §. 177, 2. — 701: Τρωσὶν δ' ἔλπετο (Τρωσὶ δὲ ἔλπετο. §. 183.).

Libr. π — 169. ἐν δ' ἄρ' ἑκάστῃ (aut est apocope, aut legendum ἐν δὲ ἑκάστῃ §. 168. 188.) — 172: ἤνασσε (ἐάνασσε. §. 176, 2.) — 232: εἰςανιδών, de apocope cf. §. 168. — 278: εἴδοντο (ἐίδοντο. §. 176, 1.) — 572: ἤνασσε (ἐάνασσε. §. 176, 2.) — 818: εἶδεν (ἔϊδεν. §. 176, 1.) — 860: τίς δ' οἶδ' (τίς οἶδ'. §. 193, 6.).

Libr. ρ — 395. 404. 495. 603. legendum est ἔλπετο, non ἤλπετο, cf. §. 177, 2. — 54: ὅθ' ἅλις ἀναβέβρυχεν (ὁ ἅλις ἀναβέβροχεν. §. 179, 1.) — 145: σὺν λαοῖσι, τοὶ Ἰλίῳ (λαοῖς, τοὶ Ἰλίῳ. §. 184.) — 260: οὐνόματ' εἴποι (οὔνομα εἴποι. §. 187.) — 333: Αἰνείας δ' ἑκατηβόλον (Αἰνείας δὲ ἑκηβόλον §. 186, 4.) — 571: ἦτε καὶ ἐργομένη (ἦτε καὶ εἰργομένη. §. 186, 5.).

Libr. σ — 194: ἀλλὰ καὶ αὐτὸς ὅγ', ἔλπομ' (ἀλλὰ καὶ αὐτός, ἐέλπομ' — §. 192.) — 510: ἥνδανε (ἅνδανε. §. 177, 3.).

Libr. τ — 75: ἀπειπόντος. Potest esse apocope, §. 168. — 245: ἀμύμονα ἔργ' εἰδυίας (ἔργα ἰδυίας §. 202, 2.) — 421: εὖ νύ τοι οἶδα καὶ αὐτός (εὖ νυ καὶ αὐτὸς οἶδα. §. 197, 2.).

Libr. υ — 186: χαλεπῶς δέ σ' ἔολπα τὸ ῥέξειν (χαλεπῶς δὲ ἔολπά σε ῥέξειν. §. 195, 1.) — 200: μὴ δή μ' ἐπέεσσι (με ἔπεσσι §. 183.) — 211: φημ' ἐπέεσσι (φημι ἔπεσσι. ibid.) — 218: ᾤκεον (οἴκεον. §. 177, 1.) — 224: ἵππῳ δ' εἰσάμενος (ἵππῳ εἰσάμενος. §. 193, 4.) — 250: ὁπποῖόν κ' εἴπῃσθα (ὁπποῖον εἴπῃσθα.

§. 191, 2.) — 256: οὔ μ' ἐπέεσσιν (οὔ με ἔπεσσιν. §. 183.) — 424: ὡς εἶδ' (ὡς ἴδ' — §. 176, 1.) — 431: μ' ἐπέεσσι (με ἔπεσσι. §. 183.).

Libr. φ — 207: ὡς εἶδον (ὡς ἴδον. §. 176, 1.) — 286: ἐπιστώσαντ' ἐπέεσσιν (ἐπιστώσαντο ἔπεσσιν §. 183.) — 350: πτελέαι τε καὶ ἰτέαι (πτελέαι καὶ ἰτέαι. §. 194, 2, a.) — 399: ὅσσα μ' ἔοργας (ὅσσα ἔοργας. §. 195, 2.) — 583: μάλ' ἔολπας (μάλα ἔλπε' ἐνὶ §. 201, 8.)

Libr. χ — 15: ἔβλαψάς μ' Ἑκάεργε (ἔβλαψας, Ἑκάεργε, — ἐνδάθι νῦν τρέψας μ' ἀπὸ τείχεος. §. 196, 1.) — 61: πόλλ' ἐπιδόντα (πολλὰ ἰδόντα. §. 199, 1.) — 81: δακρυχέουσ' ἔπεα (δακρυχέουσα ἔπεα §. 178, 3.) — 216: νῶϊ γ' ἔολπα (νῶϊ ἔολπα. §. 189, 3.) — 302: Ζηνί τε καὶ Διὸς υἱεῖ, Ἑκηβόλῳ (υἷϊ, Ἑκηβόλῳ. §. 182.) — 347: οἷά μ' ἔοργας (οἷα ἔοργας. §. 195, 2.) — 349: δεκάκις τε καὶ εἰκοσινήριτ' (δεκάκις καὶ εἰκοσινήριτ'. §. 194, 2, d.) — 407: παῖδ' ἐςιδοῦσα (παῖδα ἰδοῦσα? §. 199, 1.) — 450: ἴδωμ' ὅτιν' ἔργα τέτυκται (ἴδω τίνα ἔργα τέτυκται. §. 201, 9.).

Libr. ψ — 66: ὄμματα κάλ' εἰκυῖα (καλὰ ἰκυῖα. §. 202, 3.) — 107: καί μοι ἕκαστ' ἐπέτελλεν (καί τε ἕκαστ' ἐπέτελλεν. §. 196, 2.) — 263: ἀμύμονα ἔργ' εἰδυῖαν (ἔργα ἰδυῖαν. §. 202, 2.) — 309: περὶ τέρμαθ' ἑλισσέμεν (περὶ τέρμα ἑλισσέμεν. §. 187.) — 363: ὁμόκλησαν δ' ἐπέεσσιν (δὲ ἔπεσσιν. §. 183.) — 392: ἵππειον δέ οἱ ἦξε (ἵππειόν οἱ ἔαξε. §. 193, 3. 176, 3.) — 517: ὅς ῥά τ' ἄνακτα (ὅς ῥα ἄνακτα. §. 194, 4.) — 649: ἧςτέ μ' ἔοικε (ἧςτε ἔοικε. §. 195, 3.) — 671: ἐν πάντεσσ' ἔργοισι (ἐν πᾶσιν ἔργοισιν. §. 183.) — 736: ἀέθλια δ' ἴσ' ἀνελόντες (ἄεθλα δὲ ἴσ'. §. 186, 2.) — 787: εἰδόσιν ὔμμ' ἐρέω (ὔμμι ἐρέω? §. 201, 11.) — 846: ἡ δέ θ' ἑλισσομένη (ἡ δὲ ἑλισσομένη. §. 194, 5, b.) — 874: εἶδε (ἴδε. §. 176, 1.).

Libr. ω — 25: ἐήνδανε (ἑάνδανε §. 177, 3.) — 102: εὔφρην' ἐπέεσσι (εὔφρηνε ἔπεσσι. §. 183.) — 307: εἰςανιδών, de apocope cf. §. 168. — 354: φραδέος νόου ἔργα τέτυκται (lege νόου, νοῦ. §. 178, 1.) — 491: χαίρει τ' ἐν θυμῷ, ἐπί τ' ἔλπεται (καὶ ἔλπεται. §. 199, 4.) — 572: Πηλείδης δ' οἴκοιο (δὲ δό-

μοιο. §. 201, 10.) — 595: ὅσσ᾽ ἐπέοικεν (ὅσσα ἔοικεν. §. 199, 2.) — 757: νῦν δέ μοι ἐρσήεις (νῦν μοι ἐερσήεις. §. 193, 2). 771: τόνγ᾽ ἐπέεσσι (τόνγε ἔπεσσι. §. 183.).

2. Loci emendati enarrantur ex ordine vocalium initialium.

ἄγνυμι — ψ, 392.

ἅλις — ρ, 54.

ἄναξ, ἀνάσσω — α, 288. β, 672. ι, 73. κ, 33. π, 172. 572. ψ, 517.

ἁνδάνω — γ, 173. η, 45. σ, 510. ω, 25. — cf. ἡδύς.

ἄστυ — γ, 140. ο, 455.

εἴκω, cedo — α, 294. δ, 509. μ, 48.

εἴκοσι — ι, 379. λ, 25. χ, 349.

εἶπον — α, 64. ζ, 281. η, 300. 375. ι, 688. λ, 791. μ, 317. ρ, 260. υ, 250.

ἔπος — α, 555. 582. β, 213. 342. ε, 30. 879. 893. ι, 376. 526. μ, 391 ο, 35. 89. 114. 127. 145. 156. ξ, 208. τ, 75. υ, 200. 211. 256. 431. φ, 286. χ, 81. ψ, 263. ω, 102. 771.

ἑκάς, ἑκατηβόλος, simm. — ν, 107. ρ, 333. χ, 15. 302.

ἕκαστος — ι, 383. λ, 11. ξ, 151. π, 169. ψ, 107.

ἑλίσσω — ψ, 309. 846.

ἔλδομαι — ε, 481.

ἔλπομαι, ἔολπα — ϑ, 526. ο, 539. 701. ρ, 395. 404. 495. 603. σ, 194. υ, 186. φ, 583. χ, 216. ω, 491.

ἕννυμι — ξ, 383.

ἔοικα — α, 126. γ, 286. 459. δ, 341. ι, 392. κ, 146. ψ, 66. 649. ω, 595.

ἔργον — α, 395. ζ, 289. ι, 228. μ, 412. χ, 450. ψ, 671. ω, 354.

ἔρδω, ἔοργα — ι, 540. — γ, 351. φ, 399. χ, 347.

ἔργω, arceo — ρ, 571.

ἐρέω — δ, 176. φ, 787.

ἐρσήεις — ξ, 348. ω, 757.

ἐρύω — δ, 467.
ἡδύς — δ, 131. cf. ἁνδάνω.
ἤθεα — ζ, 511. ο, 268.
Rad. Fιδ-

a. ἴδον, rell.: β, 82. γ, 154. δ, 275. 508. ε, 166. 515. 572. 565. η, 21. θ, 453. μ, 389. ξ, 153. 294. π, 232. 278. 818. υ, 424. φ, 207. ψ, 874. ω, 307.
b. εἴδομαι, appareo: ε, 451. θ, 559. υ, 224.
c. οἶδα, rell. — α, 365. 548. ζ, 367. θ, 406. 420. ι, 128. λ, 792. ο, 403. π, 860. τ, 245. 421. ψ, 263.

Ἴλιος — ζ, 493. λ, 166. ρ, 145.
ἶσος — ε, 467. λ, 101. ψ, 736.
ἰτέη — φ, 350.
ἶφι — ζ, 478. λ, 261.
ἰωή — κ, 139.
ἰωχμός — θ, 158.
οἶκος, οἰκέω — α, 19. β, 668. η, 364. 391. ξ, 166. υ, 218. ω, 572.
οἶνος, οἰνίζομαι, rell. — α, 598. η, 472. ι, 224.
ὅς, suus — ζ, 474. λ, 517. μ, 162.

Caput tertium.

Agitur de iis locis, qui probabili conjectura sanari non possunt.

§. 203. — Sanavimus in capite superiore quam plurimos potuimus locos. Qua in re nec nos fugit, nec lectores fugerit, quasdam conjecturas esse audaciores, quasdam tam facile se ultro obtulisse, ut quin vere ita legendum sit vix possit dubitari. Pergimus autem in eadem via, quam §. 175. init. demonstravimus, ut ratas habeamus illas omnes conjecturas et quid restet, quod sanari non possit, nunc videamus.

Restant enim in Iliade loci quadraginta duo, quos juvat ex ordine librorum enarrare.

1. Libr. β, 641. legitur οὐ γὰρ ἔτ' Οἰνῆος μεγαλήτορος υἱέες ἦσαν. Neglectum est igitur digamma vocis Οἰνεύς, nec legi potest οὐ γὰρ Οἰνῆος, §. 154.

2. Libr. γ, 224: ἀγασσάμεθ' εἶδος ἰδόντες.

3. Libr. δ, 470: ἐπ' αὐτῷ δ' ἔργον ἐτύχθη. de asyndeto hoc loco non cogitaverim. — 492: νέκυν ἑτέρωσ' ἐρύοντα. Si inveniretur apud Homerum activum ῥύω, facilis esset conjectura. Non invenitur tamen.

4. Libr. ε, 165: ἵππους δ' οἷς ἑτάροισι δίδου μετὰ νῆας ἐλαύνειν. Hoc loco legi non posse ἵππους οἷς δ' ἑτάροισι intelligitur ex verbis Hermanni, quae sunt ad Orphic. pag. 820. collatis iis, quae sunt ad hymn. in Apoll. v. 333. Etenim δέ particula nec in Iliade nec in Odyssea invenitur in tertia sede, nisi ubi in prima sede est praepositio (veluti δ, 470. υ, 418.) seu particula interrogativa (veluti η, 21.).

5. Libr. η, 345: Τρώων αὖτ' ἀγορὴ γένετ' Ἰλίου ἐν πόλει ἄκρῃ. Comprobant hanc lectionem λ, 50. σ, 246. Odyss. β, 26. all. — 349. 369. legitur ὄφρ' εἴπω τά με θυμὸς ἐνὶ στήθεσσι κελεύει.

6. Idem versus recurrit θ, 6.

7. Libr. κ, 215: τῶν πάντων οἱ ἕκαστος ὄϊν δώσουσι μέλαιναν. — 388: διασκοπιᾶσθαι ἕκαστα — 425: δίειπέ μοι — 497: τὴν νύκτ', Οἰνεΐδαο παῖς.

8. Libr. λ, 112: εἶδεν. Est in arsi prima. — 703: ἠδὲ καὶ ἔργων — 705: ἀτεμβόμενος κίοι ἴσης — 733: ἀμφίσταντο δὴ ἄστυ.

9. Libr. μ, 333: εἴ τιν' ἴδοιτο.

10. Libr. ξ, 216: ἐν δ' ὀαριστύς.

11. Libr. ο, 189: τριχθὰ δὲ πάντα δέδασται, ἕκαστος δ' ἔμμορε τιμῆς. — 397: ᾤμωξέν τ' ἄρ' ἔπειτα καὶ ὢ πεπλήγετο μηρώ. — 398: χερσὶ καταπρηνέσσ', ὀλοφυρόμενος δ' ἔπος ηὔδα.

12. Libr. π, 371. 507. ἅρματ' ἀνάκτων. Singularis non potest esse. — 522: οὐδ' ᾧ παιδὶ ἀμύνει. — 523: ἀλλὰ σύ πέρ μοι, ἄναξ.

13. Libr. ρ, 252: διασκοπιᾶσθαι ἕκαστον. — 279: Αἴας, ὃς πέρι

μὲν εἶδος, πέρι δ' ἔργα τέτυκτο. Leguntur versus 279. 280. eodem modo in Odyss. λ, 550.

14. Libr. σ, **185**: οὐδ' οἶδε Κρονίδης. — 270: ἀφίξεται Ἴλιον ἱρήν. Potest quidem legi ἀφίξετ' ἐς Ἴλ. — 294: θαλάσσῃ τ' ἔλσαι Ἀχαιούς. — **401**: πόρπας τε γναμπτάς θ' ἕλικας. — **501**: ἄμφω δ' ἱέσθην.

15. Libr. τ, **102**: ὄφρ' εἴπω, τά με θυμὸς ἐνὶ στήθεσσι νάνώγει. — 282: Βρισηῒς δ' ἄρ' ἔπειτ', ἰκέλη χρυσέῃ Ἀφροδίτῃ. — 292: εἶδον in arsi prima. — 302: σφῶν δ' αὐτῶν κήδε' ἑκάστη. — 384: πειρήθη δ' ἕο αὐτοῦ. Cf. quae modo demonstravimus de ε, **165**. Non potest igitur legi ἕο δ' αὐτοῦ. — 382: περισσείοντο δ' ἔθειραι.

16. Libr. χ, **128**: παρθένος ἠΐθεός τ' ὀαρίζετον ἀλλήλοιϊν.

17. Libr. ψ, **21**: Ἕκτορα δεῦρ' ἐρύσας.

18. Libr. ω, **16**: τρὶς δ' ἐρύσας περὶ σῆμα Μενοιτιάδαο θανόντος *)

19. Ex his locis pertinent ad

ἄναξ — π, **371**. **507**. **523**.
ἄστυ — λ, 733.
εἴλω — σ, 294.
ἔθειραι — τ, 382.
εἶπον, ἔπος — η, 349. 369. θ, 6. τ, 102. — κ. **425**. ο, 398.
ἕλιξ — σ, **401**.
ἕκαστος — κ, **215**. **388**. ο, **189**. ρ, **252**. τ, **302**.
ἕο — τ, 384.
ἔργον — δ, 470. λ, 703. ρ, 279.
ἐρύω — δ, **492**. ψ, **21**. ω, **16**.
Ϝιδ- — λ, **112**. μ, **333**. σ, **185**. τ, **292**. εἶδος — γ, **224**.
Ἴλιος — η, 345. σ, 270.
ἴση — λ, 705.
ἴκελος — τ, 282.
ἵεμαι — σ, 501.
ὀαρίζω — ξ, **216**. χ, **128**.

---

*) Contra β, 859. δ, 138. ε, 538. ζ, 403. ν, 555. υ, 450. pertinent ad ῥύομαι, servare, cf. κ, 259. — Cf. Buttmann. Gr. §. 114.

Οἰνεύς — β, 641. κ, 497.
ὅς — ε, 165. ο, 397. π, 522.
Videamus nunc de singulis locis.

§. 204. — Patet autem ex hoc versuum numero eum versum per se minimum valere, quem quatuor in Iliade locis legimus: ὄφρ' εἴπω, τά με θυμὸς ἐνὶ στήθεσσι κελεύει (η, 349. 369. θ, 6. τ, 102., ubi in clausula pro κελεύει varia lectio est ἀνώγει). In Odyssea legitur η, 187. θ, 27. ρ, 469. σ, 352. φ, 276.

Jam cum tam multis locis hic versus inveniatur, de recentiore aetate eorum librorum, in quibus legitur, ex hoc versu concludere non licet. Concedo quidem eo tempore eundem ortum esse, quo evanuerat digamma vocis εἶπον; id est eodem fere tempore, quo confecti sunt Iliadis ο, v. 398. κ, 425. Hi autem versus recentissimae sunt aetatis et postea demum in Iliadem illati. Sequitur in praesentia hunc versum prorsus omittendum esse.

Etenim ad Iliadis librum θ vix pertinet, cum θ, 373. hiatus sit ante εἶπον (negligo enim nunc productionem, quae est v. 8.) Nec pertinet ad librum η Hujus enim libri pars posterior ab eodem poeta videtur confecta esse, qui confecit magnam partem libri ω, in quo libro certa insunt digammi vocis εἶπον vestigia, cf. §. 220. Nec pertinet ad librum τ. Namque in libro τ hiatus est ante εἶπον v. 257. (omitto 7, 35, 121.) Accedit, quod in eodem libro valet digamma vocis ὅς, v. 20. Hoc enim neglectum est una cum digamma vocis εἶπον Iliad. ο, 397. 398. Odysseae vero si habemus rationem, omnia neglecti digammi vestigia, quae sunt in libris σ et φ facillimis emendationibus possunt deleri. Sequitur vel in hos libros postea demum hunc versum esse illatum.

Quae cum ita sint versum adulterinum habeamus necesse est, quo omisso sententia nusquam turbatur. Non enim opus esse hoc versu post solos imperativos vocativosque, quos ubi-

que excipit, intelligitur ex Odyss. ξ, 462. ο, 307. all., quibus locis deest. — — —

Hoc autem modo eo pervenimus, ut proponamus, quomodo de neglecti digammi vestigiis quaerere nobis placeat.

Patet enim ita in universum esse agendum, ut Iliadem uno tempore et ab eodem auctore confectam esse putemus; neque, nisi ipsa re coacti, de variis poetis cogitemus. Sequitur

1. statuendum esse, omnes voces, quas a digamma incepisse demonstravimus, per totam Iliadem hac litera uti.
2. sicubi haec litera neglecta sit, primum videndum esse, num singulis pluribusve versibus omittendis salva possit esse narrationis summa.
3. de majoribus interpolationibus tum demum esse cogitandum, cum singulis pluribusve versibus omittendis deleatur narrationis ordo.
4. ubi pateat vel majores quasdam nonnullorum librorum partes pro interpolationibus esse habendas; tamen, si fieri possit, reliquas eorundem librorum partes putandas esse antiquiores.

Quamquam haec omnia non ita volo intellecta, quasi non consentaneum sit, nonnullarum vocum obliterato digamma aliarum vocum digamma potuisse valere. At caute cum sit agendum in rebus difficillimis, sine certa re non licet ita de singulis Iliadis partibus statuere. Non desunt tamen hujus rei certa vestigia.

§. 205. — Ex libro β qui supra allatus est versus 641, quin postea demum insertus sit non dubito, neque ideo de aliis partibus sive catalogi sive Iliadis concluserim. Ea est enim catalogi ratio, ut, quae in eo leguntur, singula per se sint examinanda et ex reliquis Iliadis carminibus dijudicanda. Attamen illud non videtur esse praetereundum, quod

in scholiis legitur: Ζηνόδοτος τοῦτον καὶ τὸν ἑξῆς ἠθέτηκεν. Qua ex re intelligitur fortasse hunc versum in nonnullis Alexandrinorum codicibus fuisse omissum. Patet enim, quae in scholiis adduntur: ἴσως ὑποπτεύσας τὸν Μελέαγρον κεχωρίσθαι τῶν Οἰνέως παίδων rell., his non certam lectionis Zenodoteae causam demonstrari, sed conjecturam esse (ἴσως). Quae cum ita sint intelligitur etiam aliis locis magni faciendam esse Zenodoti auctoritatem, neque eas semper fuisse lectionum Zenodotearum causas, quae in scholiis tradantur, licet non ubique addatur ἴσως particula.

§. **206.** — Ex libro γ attulimus versum **224**, in quo neglectum est digamma vocis εἶδος firmissimum. Nam firmissimum esse perspicitur ex §. **154**.

Quomodo igitur de hoc versu statuendum est? Versu **217**. hiatus est ante ἴδεσκε, v. 222. producitur καί particula (cf. §. 60, 4.) ante ἔπος. Ergo certa sunt in hac Iliadis regione digammi vestigia. Accedit, quod etiam omisso versu **224**. sententia nihil turbatur.

Sequitur adulterinum esse versum neque ab Homero posse esse confectum. Attamen tantum abest ut versu omisso in hac narratione bene se habeant omnia, ut majoris interpolationis summa moveatur suspicio. De hac re infra accuratius agemus.

§. 207. — In libro δ cum duobus locis (470. 492.) ita neglectum sit digamma, ut facili conjecturae nullus detur locus, quaerendum est quaenam digammi vestigia in ultima hujus libri parte (457—544.) appareant.

Ac primum quidem in pronomine personae tertiae digamma neglectum non est, cf. **478. 484. 541. 500.** Item digamma radicis Fιδ- servatum esse videtur vers. **476**, nam ex v. **467**. (§. 66, a.) non potest recte concludi.

Praeter hos locos nulla apparent digammi vestigia. Pro-

ductiones enim brevium syllabarum, quae sunt 506. (ante ἐρύω et ἰάχω), nihil probant; cf. §§. 73. 171. Neque ex hiatu, qui ante ἐρύω est in caesura trochaica pedis tertii (cf. §. 64, d. — 66, a.); ante ἔργον vers. 539. (§. 64, b.), de digamma concludi potest.

Quae cum ita sint, statui potest in hac Iliadis parte neque vocis ἔργον (ob versum 470.) valere digamma, neque vocis ἐρύω (ob versum 492.). Jam ut redeam ad conjecturas a me propositas (cf. appendicem capitis secundi hujus quaestionis), patet versu 467. recte legi γάρ ῥ' ἐρύοντα, neque opus esse conjectura γὰρ ἐρύοντα. — Contra vers. 508., ob versum 476., de apocope (κατιδών) nondum dubito. De digamma vocis εἴκω (509.) non constat ex hoc libro; ergo in praesentia nescio utrum recte conjecerim μὴ εἴκετε, an falso.

§. 208. — 1. Qui ex libro ι allatus est versus, 165., quin postea demum additus sit vix licet dubitare. Nam non semper tam accurate res gestas a poeta narrari, ut cujusvis rei, quae per se possit ab auditoribus intelligi, fiat mentio, demonstret locus simillimus λ, 126. sqq. Collatis enim versibus ι, 160. λ, 127. — ι, 163. λ, 143. — ι, 164. λ, 146. (ἐσίλα-ἐξενάριξεν), intelligitur simillimam quidem esse narrationem neque tamen captorum equorum in libro λ fieri mentionem, cf. 148: τοὺς μὲν ἔασ'· ὁ δ' ὅθι πλεῖσται κλονέοντο φάλαγγες, τῇ ῥ' ἐνόρουσ'.

2. De versu 467. (§. 194, 8.) nunc breviter dicere licet. Interpolationem enim mihi videor in hac Iliadis parte agnoscere. Cf. §. 279.

§. 209. — De η, 349. 369. supra egimus §. 204. Diximus, de obliterato digamma vocis εἶπον ex hoc quidem versu concludi non posse.

Restat versus 345., in quo neglectum est digamma vocis Ἴλιος: ἀγορὴ γένετ' Ἰλίου, quam lectionem firmissimam esse demonstravi §. 203, 5.

Movetur igitur suspicio interpolationis. Jam si est interpolatio (nam de toto libro ex iis legibus, quas scripsi §. 204. extrem., nondum ago); opus est eam incipere a versu 313., non a versu 344. Nam quae vv. 327—343. suadet Nestor, perficiuntur v. 433. sqq. Statuimus ergo extremam libri septimi partem (313—482.) postea demum ad priorem libri partem additam esse.

Quaenam igitur digammi est ratio?

Neglectum est digamma vocis Ἴλιος v. 345., nec servati ejusdem ullum est vestigium, cum ex προτὶ Ἴλιον (413. 429.) non liceat concludere, cf. §. 64, b.

Servatum est digamma vocis ἔργον: 444. (465.) — vocis ἕκαστος: 371. 424. — vocis ἡδύς: 387. Mitto enim formam ἐπιανδάνει, 407. — Vocis ἔπος digamma servatum esse possumus fortasse concludere ex productione, quae est v. 375. Infirmior est enim haec caesura. Omitto versum 356.

Praeterea nullum est digammi vestigium.

Jam cum unius quidem certe vocis digamma neglectum sit, patet etiam aliarum vocum, quae in hac Iliadis parte non legantur, obliteratum esse potuisse digamma. Non igitur constat de conjectura, quam fecimus propter digamma vocis οἶκος in versibb. 364. 391. — Versu 472. de apocope vocis ἄρα statuimus.

Concinit autem haec Iliadis pars cum quibusdam aliis, de qua re cf. §. 220. Inde de digamma vocum οἶκος et οἶνος poterit aliquando statui. Patebit autem harum vocum digamma valere in his Iliadis partibus.

§. 210. — De libri ϑ versu 6. (ὄφρ' εἴπω κ. τ. λ.) diximus §. 204. Postea demum videtur esse illatus. Nititur haec sententia non solum hiatu, qui est 373. ante εἶπον; sed etiam productione, quae v. 21. in caesura infirmissima, semiternaria minore (cf. §. 75. 86., pag. 147.), est ante ἐρύω. Non enim dubito, quin, quamdiu valuerit digamma vocis ἐρύω, tamdiu vocis εἶπον

digamma, etiam firmius (nam in altera forma εἰρύω jam apud Homerum solutum est digamma, §. 152.), non potuerit negligi. Accedit, quod in hac ipsa libri ϑ regione aliarum vocum digamma non est neglectum.

§. 211. — Venio ad librum decimum, de quo ob eam rem difficillimum est judicium, quod a Pisistrato demum eum in Iliadem illatum esse antiqui testantur. Sed cum a Pisistrato eum confectum esse antiqui non tradiderint; patet in praesentia de via, quam ingressi sumus, non esse discedendum.

Neglectum est igitur digamma vocum ἕκαστος vv. 215. et 388; εἶπον 425.; Οἰνεΐδης 497.

Ut primum de digamma vocis εἶπον agam, hiatus est v. 384. et 405: ἀλλ' ἄγε μοι τόδε εἰπὲ καὶ ἀτρεκέως κατάλεξον. Formulam fortasse possumus dicere; obstat tamen quod in Iliade nisi in libro κ et ω non legitur (cf. ω, 380. 656 — collat. 197.) Deinde hiatum, qui est ante ἔπος vers. 540., propter caesuram semiseptenariam interpunctione firmatam digammi testimonium esse diximus §§. 66, a, pag. 88. — §. 117, 2, b. Versum 540. omitto. Ex productione (461.) non potest concludi. Intelligitur tamen digammi hujus radicis esse in hoc libro vestigia, nec neglectam hanc esse literam nisi v. 425.

Pergo ad digamma vocis ἕκαστος. In hiatu legitur vv. 68. et 432. Restat praeterea versus 166., ubi in pede secundo (ἔπειτα ἕκαστον) hiatus est; qui alio Iliadis loco non legitur. Praestat igitur de amisso vocis digamma non cogitare.

Versum 497. non magni facio, quamvis ex notissima clausula μελιηδέα οἶνον, v. 579., de digamma non concluserim. Sed constat versum 497. ineptissimum esse additamentum.

Quae cum ita sint, facere non possum quin contendam librum decimum ea aetate, qua multarum vocum evanuerat digamma initiale, confectum non esse. Ergo diu ante Pisistratum confectus est. Confirmat hanc sententiam ea productio quae est in thesi secunda v. 129. ante οἱ.

Sequitur singulos tantum versus recentiore tempore in hunc librum esse illatos. Ita se habet primum versus 497., id quod facile intelligitur. Ab eodem auctore additum esse versum 84. verisimile est. — Jam ut redeamus ad versus supra allatos, intelligitur versus 214—217. postea additos esse, qui ineptissimi sunt. Primum enim quod legitur v. 217., nullius est pretii, cum constet hos heroes, qui ab Agamemnone sunt evocati, per se omnium epularum esse participes. Tum verum non est, nigra ove nihil esse pretiosius, cf. ψ, 262. all. Alias res tetigit Geppertus (de origine carm. Hom.) variis locis. Dicat tamen quispiam una cum his versibus damnandos esse versus 211—213., cum praemii, quod promittitur 213., in versibus 540—579. nulla omnino fiat mentio. Atque hanc quidem rem molestam esse non nego; sed ab ingenio hujus poetae eam prorsus abhorrere non possum concedere. Insunt enim in hoc libro ejusmodi res plures. Certe qui ita statuit, necesse est putet hanc interpolationem eo tempore illatam esse, quo valebat digamma vocis οἱ; id quod colligitur ex particula καί in thesi producta v. 213. — Pergo ad versum 388., de quo cf. §. 217. Patet etiam hoc loco de interpolatione esse cogitandum. Verisimile est enim Ulixis orationem concludi versu 386. Quae sequuntur (387. 388. 389.) facta sunt ad similitudinem versuum 342. 343. Quam rem quo magis probemus, provocamus ad additamentum simillimum, quod, ex versibb. 208—210. repetitum, legitur 409—411. Quod ubi confero, facere non possum, quin statuam etiam versum 210. olim extremum fuisse orationis Nestoreae.— Restat versus 425., de quo simili ratione statuendum est. Interpolationem esse non potest negari. Possit igitur quispiam suspicari versum 421. antiquitus exceptum fuisse versu 428; attamen post εὕδουσι molestum esset ἔλαχον (430.,) et omissis iis verbis, quibus accuratius de sociis quaerit Ulixes (424.), restat ea quaestio, quae minus est accurata: πῶς δ' αἱ τῶν ἄλλων Τρώων φυλακαί τε καὶ εὐναί; v. 408. Ad hanc respondere

cum longum sit et inutile (cf. v. 432: ἀλλὰ τίη ἐμὲ ταῦτα διεξερέεσθε ἕκαστα;), non est verisimile omnium sociorum stationes a Dolone esse significatas. Immo versu 433. eodem modo in universum dicit Τρώων, quo Ulixes dixerat versu 408. Quae si recte ita intelligimus, sequitur, versum 432: ἀλλὰ τίη rell. conjungendum esse cum versu 422, ut versus 423—431. omittantur.

Quae cum ita sint, patet a Gepperto nonnulla in auctorem libri collata esse, quae pertinent ad interpolatorem, cf. tom. I, pag. 398. 379. Qui quidem interpolator quam male rem gesserit, intelligi potest ex versibus 84. 387. sqq. et inprimis ex versu 497. Hi enim omnes ab eodem auctore videntur esse additi. Quibus collatis cum reliquis, quas modo demonstravimus, interpolationibus (210—217; 387—389; 423—431.), patet ipsum libri decimi poetam interpolatore fuisse aliquanto praestantiorem.

§. 212. — Ex libro λ huc pertinet

a. versus 112, cujus in prima arsi legitur εἶδεν. Retinens eam quaestionis rationem, quam institui, et hunc versum et versum 111. pro interpolatione habeo. Statuo igitur conjungendos esse versus 110. et 113.

At Gepperto libri λ initium, quo continetur Ἀγαμέμνονος ἀριστεία, multas ob causas suspectum est. De hac re alio loco agemus. Nunc quidem addimus ex v. 112. hujus sententiae argumenta peti non posse.

b. Alter hujus libri locus, quo movetur suspicio, est in ea narratione, quam posterioribus demum temporibus in Iliadem illatam esse ad unum omnes contenderunt, quorum de his rebus exstant disputationes. Qui enim fieri potuit, quin, qui intellexisset multa deesse posse in extrema hujus libri parte, idem intelligeret magnum episodium esse inter versus 664. et 762? Accedit, quod illud αὐτὰρ Ἀχιλλεύς commissuram aperte videtur demonstrare. Vereor tamen ut recte statuerint

homines docti, cum ad recentissima tempora hanc narrationem (664—762.) referrent. Videamus igitur primum, quae digammi sit in his versibus ratio; qua in re eos locos, ex quibus de digamma recte concludere non licet, breviter indicavisse satis habeo. Sunt hi: ἄναξ, 701. ἄστυ, 683. ἴσος, 747. ἕκαστος, 703. De his omnibus confer §§. 64, b. et 62, b.

At vocis οἱ valuisse digamma concluditur ex productione versus 705, quippe quae caesura non juvetur. — Deinde non dubito quin valuerit digamma radicis Ϝιδ-; nam qui leguntur hiatus 710. 741. etsi ad similitudinem aliarum dictionum effecti esse possunt, tamen hereditate accepti non sunt. Ex antiquiore enim poesi dicat quispiam receptam esse productionem ἐπεὶ ἴδον: 745; cf. §. 123, a. Patet tamen, cum neglectum non legatur hujus radicis digamma, de servato eodem digamma esse cogitandum. — Tum vocis ἄστυ digamma hiatu videtur demonstrari, qui est 706.; ne hic quidem hiatus alio Iliadis Odysseaeve loco legitur. — Postremo ante ἔργον bis legitur hiatus: 719. 734. Concedo, si aliter statuere non licet, hos hiatus receptos esse posse ex ipsis carminibus Homericis antiquioribus: nam μέγα ἔργον legitur κ, 282. ν, 366. π, 208 τ, 150. υ, 286. all.; πολεμήϊα ἔργα legitur ε, 428. η, 236. ν, 730.: attamen si potest fieri patet aliter statuendum esse.

Ut breviter dicam, puto hoc episodium eodem tempore factum esse, vel potius ab eodem poeta, qui confecit librum ψ (crediderim hunc librum in ipsa Graecia factum esse). Quo in libro eodem modo valet digamma vocum οἱ, Ϝιδ-, ἄστυ, ἔργον. Alias causas nunc silentio praetereo.

Attamen neglectum cum sit digamma vocum ἔργον (703.), ἄστυ (733.), ἴσος (705.)*): quaeritur quomodo de his locis sta-

*) Non dubito versum 705., quem pro adulterino habent, ad eundem auctorem referre, qui interpolationem, quam demonstraturi sumus, confecit. Apparent ejusdem (sive ejusdem temporis) conamina permulta in nono Odysseae libro, ubi eandem clausulam invenimus 42 549.

tuendum sit. Patet autem minorem inesse interpolationem in majore episodio, quod et ipsum non antiquissima aetate confectum est. Haec quin contineatur versibus 690—705. ego non dubito. Pertinet ad recentissimum tempus (cf. §§. 269. sq.), quo evanuerat digamma vocum ἴσος et ἔργον, servabatur digamma vocis οἷ.

Si recte statui de hac interpolatione; invenimus hominem, qui multis locis libri undecimi delevit antiquioris temporis vestigia, veluti 791. 792. all. Restat igitur ut de versu 733. sententiam nostram proponamus. Hic enim locus recentissima illa interpolatione non continetur et facili conjectura potest sanari. Legendum est ἀμφίσταντο τὸ (pro δὴ) ἄστυ, ut repetatur ultima syllaba vocis ἀμφίσταντο. Pertinet autem illud τό, demonstrativum, ad vocem Θρυόεσσα, 711.; uti eodem referendum est τήν, v. 713.

§. 213. — Pergo ad librum μ, qui v. 333. neglectum vocis ἴδοιτο digamma demonstrat.

Attamen si de hoc uno libro nunc agerem, haud dubie inconsideratius disputarem. Collatis enim omnibus rebus facile patet una tractandos esse hos versus: μ, 333. π, 507. 522. 523. His enim omnibus locis de eodem agitur heroë, de Glauco Lycio ejusque sociis. Ex sociis Glauci imprimis nunc nominandi sunt Sarpedon et Asteropaeus. Sed de Asteropaeo alio loco (§. 302.) erit agendum, nunc eum nominavisse satis habeo.

Ergo jam reliqui sunt Sarpedon et Glaucus, de quibus acturus facere non possum, quin lectores moneam, ne vel hac in disputatione me in mea quaerendi ratione quantum fieri potest perstare aegre ferant. Sciunt enim in libris ε et ζ utriusque viri mentionem fieri. His autem libris in praesentia prorsus abstineo.

Attamen aliqua ex parte mutanda nunc est quaerendi ratio. Cum enim librorum μ et π ii loci, in quibus neglectum

esse digamma modo demonstravi, in iisdem heroum personis conveniant; quaerendum est primum, ubinam, imprimis in libris μ—ρ sqq., hi viri commemorentur et quid agant, tum quaenam digammi in his locis sit natura.

1. Ubinam inde a fine libri η Sarpedonis Glaucique fit mentio? *)

a. In libris ϑ—λ ne in saevissimis quidem pugnis memorantur. Nam ϑ, 195. ea intelligenda esse Diomedis arma, quae a Glauco ζ, 236. accepit pretiosissima, Gepperto non possum concedere. De hac re non aliter potest statui atque de clypeo Nestoris, qui quamvis v. 192. dicatur pretiosissimus, tamen aliis locis non commemoratur; hunc quidem pretiosissimum vix filio suo Nestor tradidisset; ξ, 11.

b. In libro μ utriusque viri mentio fit versibus 101. 102. — Deinde vv. 292—435.

c. Contra in libro ν neuter commemoratur.

d. In libro ξ ad utrumque spectat unus versus: 426.

e. Ex libro ο ad Sarpedonem spectat versus 67.

f. In libro π maximae sunt horum virorum partes, vv. 327—684. Sarpedon interficitur.

g. Liber ρ paene totus huc pertinet. Commemoratur Glaucus v. 140. sqq., Asteropaeus (cf. μ, 102.) v. 217. 351.; Chromius, qui v. 218. una cum Asteropaeo est, rursus commemoratur 494. 534.

h. Post hos libros Glauci nulla fit mentio.

Videamu igitur nunc

2. quid his locis agant Sarpedon et Glaucus?

a. Jam prima suspicionis ea est causa, quod in saevissimis pugnis librorum ϑ, λ, ν, ο nihil agunt, ubi probandae virtutis aptissimus erat locus.

b. Augetur suspicio si libri μ rationem habemus. Magnopere

---

*) Post librum ζ Glauci mentio fit η 13. Sed cum libri ζ et η arctissime cohaereant, patet ex hac re nihil omnino posse concludi.

effertur in hoc libro utriusque viri virtus. Horret utrumque Menestheus 331, qui ad auxilium excitat Ajacem et Teucrum, a quo Glaucus vulneratur 387. Sarpedon murum rescindit 399.

Sed recurramus ad versum 290. Hoc tantopere effertur Sarpedonis virtus, ut appareat non bene convenire cum hoc versu ea, quae in fine libri de Hectore leguntur. Quid enim Hectorem magno saxo portam (445.) discutientem adjuvarit Sarpedonis factum 399, haud facile perspicitur. Ajax quidem et Teucer propter Sarpedonis impetum avocati portam firmare vix poterant.

c. At quomodo res se habet in libro ν? Quomodo Ajax major, Teucer, Menestheus se receperunt a turri muroque a Sarpedone oppugnatis quidem et convulsis, nec tamen expugnatis (410 sqq.) transscensisve? Horum omnium nihil demonstratur. Immo Ajaces ambo v. 46. sqq. una sunt, uti conjuncti erant μ, 265; nec disjunguntur omnino per libros ν et ξ. Teucer autem, qui ante μ, 290. ne commemoratur quidem, libr. ν, 83. 84. longe ab utroque Ajace abest (83. ὄπιθεν = propius ad mare). A Neptuno deinde permotus ad Ajaces accedit 170. Ad hos enim optimi quique constiterant 126. Apud eosdem invenimus Menestheum 196.

Hic autem probandae virtutis aptissimus locus erat Sarpedoni. Non adest tamen! Atque si tantum in hos homines fecit impetum, quantus describitur μ, 414, num putas Teucro tempus datum fuisse ab Sarpedone murum transscendente, ut corpus recrearet (ν, 84. ἀνέψυχον)? Nam quin murum Sarpedon transscenderit, postquam Hectoris impetu porta perrupta Achivique in fugam dati sunt, non potest dubitari. Reliqui quidem Trojani idem faciunt 87.

Vides haec omnia cum iis, quae in libro μ de Sarpedone tradita sunt, non concinere.

d. Multo etiam ineptior est libri ξ versus 426. Hectorem tutantur una cum aliis Trojanis Sarpedon et Glaucus! At Glaucum vulneratum (μ, 390. 392. π, 520. sqq.) nihil valuisse ad tuendum heroem facile intelligitur. Hic quidem postea

fortasse insertus est versus, ut Sarpedonis Glaucique fieret mentio. Comprobatur haec sententia eo quod v. **425.** tres commemorantur Trojani, v. **426.** hi soli duo. Taceo enim de homoeoteleuto: *Σαρπήδων τ', ἀρχὸς Λυκίων*, cujus simillimum vides *μ*, 387:

> *Τεῦκρος δὲ Γλαῦκον,*
> *κρατερὸν παῖδ' Ἱππολόχοιο*
> *ἰῷ ἐπεσσύμενον*
> *βάλε τείχεος ὑψηλοῖο.*

e. Sequuntur certamina saevissima libr. o, sed absunt Sarpedon et Glaucus. Commemoratur quidem Sarpedon *o*, 67., at *Ζηνόδοτος ἀπὸ τοῦ »Πηλείδεω Ἀχιλῆος«* (**64.**) *ἕως τοῦ »λισσομένη τιμῆσαι«* (77.) *οὐδ' ὅλως ἔγραφεν.* Confer quae de Zenodoto supra demonstravimus, §. 205.

Ceterum ex versibb. **425. 485.**, ubi neuter vir commemoratur inter Lycios, argumenta nolo petere. Patet tamen hos homines in libro *o* nihil agere.

f. Venio ad librum *π*, in quo magnas Sarpedonis Glaucique partes esse supra dixi. Atque reliqua quidem omnia cum optime inter se conveniant, id unum male se habet, quod Sarpedon moriturus Glaucum excitat ut pugnet ipse, v. **497**: *αὐτὰρ ἔπειτα καὶ αὐτὸς ἐμεῦ πέρι μάρναο χαλκῷ.* Atqui vulneratum esse Glaucum ipse sciebat Sarpedon, cf *μ*, **392.**

g. Contra in libro *ρ* quae de Glauco ejusque sociis traduntur optime congruunt.

3. **Quomodo igitur de his rebus statuendum est?** — Intelligitur

primum: bene inter se concinere libros *π* et *ρ*.
deinde: libros *π* et *ρ* concinere cum *μ*, **101. 102.**
tum: *π*, **509—531.** convenire cum *μ*, 387. sqq.

Intelligitur vero etiam

primum: non bene concinere, quae *μ*, **290—294.** et *π*, 557. de Sarpedone narrantur, cum iis, quae traduntur de Hectore *μ*, **437.** sqq.

deinde: magnam esse in libro *μ* Sarpedonis virtutem, nullam esse in libris *ν*, *ξ*, *ο*. Nam de *ξ*, **426**. *ο*, **67**. sub numero **2** disputavimus.

tum: eum rerum ordinem, qui est in libro *ν*, vix esse potuisse, si recte se haberent ea, quae leguntur *μ*, **290 — 415**.

postremo: libri *π* versum **497**. neque cum *μ*, **392**. convenire, neque cum *π*, **509 — 531**.

Sequitur (ut leviora alia omittam)

primum: libri *π* eum locum suspicionem movere, in quo de vulnere Glauci agitur, i. e. versus **509 — 531**.

deinde: totam eam narrationem per se suspectam esse, quae legitur *μ*, **290 — 415**.

tum: eo hanc suspicionem augeri, quod hac ipsa Iliadis regione Glaucus vulneratur.

postremo: probabile esse libri *π* versus **509 — 531**. eo demum additos esse tempore, quo in Iliadem illata fuit narratio ea, quae nunc legitur *μ*, **290—415**. Nam in libro *π* vel omissis versibus **509—531** omnia bene procedunt; contra in libro *μ* (cf. 378: *Αἴας δὲ πρῶτος*; 387: *Τεῦκρος δέ* — rell.) nihil potest in hac narratione omitti.

4. Sed redeat oratio eo, unde exiit: ad digamma. Qua in re primum agemus de *π*, **507**. **521**. **522**; tum de *μ*, 333.

a. Ut breviter de hoc loco libri *π* nostram demonstremus sententiam, conjungendi sunt versus 505. 508. 532. sqq.

> *τοῖο δ' ἅμα ψυχήν τε καὶ ἔγχεος ἐξέρυσ' αἰχμήν.*
> *Γλαύκῳ δ' αἰνὸν ἄχος γένετο φθογγῆς ἀΐοντι,*
> *πρῶτα μὲν ὤτρυνεν Λυκίων ἡγήτορας ἄνδρας,*
> *πάντη ἐποιχόμενος.*

Simillimam narrationis rationem vides *θ*, **123**. sqq. **315**. sqq.

Omittendi sunt igitur versus **506**. **507**.; **509—531**.

Nunc videamus qualis digammi in his ipsis versibus sit ratio.

Digamma vocis οἱ servatum videtur, cf. **509. 529.** Non est enim cur aliter statuam. — Sed alia digammi vestigia in his versibus reperiri prorsus nego. Etenim ἄρα εἶπεν, v. **513**, formulam esse intelligi potest ex eo, quod in eodem versus pede in Iliade legitur decies, cf. §. **117**, **1**. — Deinde neglectum est digamma vocis ὅς versu 522; patet igitur etiam productionem vocis ἔγνω (530) pro formula esse habendam. Invenitur eadem in Iliadis libb. α, **333**. θ, **446**. χ, **296**; cf. §. **143**, **1**, a. — Vocis ἄναξ neglectum est digamma vv. 507. 523. Sed ex hiatu, qui legitur **514**., de digamma concludi non posse demonstravimus. §. **64**, b.

b. Pergimus ad libr. υ, **290** — **430**.

Unum neglecti digammi certum vestigium apparet v. **333**: *εἴ τιν' ἴδοιτο.*

Atque hunc quidem locum non est difficile ita emendare, ut evanescat illa neglectio. Conjungendi sunt enim versus **333**. et **334**:

πάπτηνεν δ', ὅςτις οἱ ἀρὴν ἑτάροισιν ἀμύναι·

Simili modo oratio se habet ξ, 507. π, 283.

Attamen multo majoris est momenti, quod vel hoc loco eandem interpolatoris manum agnoscimus, quam illum libri π locum sensisse ex neglecto digamma apparuit. Sed de hoc interpolatore infra agemus.

5. Nunc omnibus congestis facile apparet: **1**. in libro π nullam rationem antiquitus habitam fuisse ejus partis libri μ, in qua Glaucus vulneratur. — 2. Contra concinere π, 557. cum μ, **292**. — **3**. Ea, quae narrantur in libro μ usque ad versum **421**, facta esse recentiore aetate quam librum π. — **4**. Quasdam, quae inter libros μ et π fuerunt, discrepantias ab interpolatore quodam novissimis temporibus esse deletas. — **5**. Discrepare eum rerum ordinem, qui significatur π, **557**., et a libr. μ, **437**. sqq., et a μ, **417**. sqq. Contra ad π, **557**. respici in versibus μ, **292**. — 6. Verisimile esse aut recentiorem poetam, qui confecit librum μ, se composuisse ad exem-

plum libri π, 557.; nec tamen bene suam rem gessisse (coll. μ, 292. 435.); aut recentioris carminis finem circa μ, 414. deletum esse. — 7. Eam narrationem, quae incipit libr. μ, 436., convenire cum libris ν, ξ, ο. — 8. Eandem narrationem ideoque libros ν, ξ, ο, minus convenire cum libris π et ρ, et propter π, 557. et propter heroes Lycios, in libris ν, ξ, ο non commemoratos. Omitto enim nunc ξ, 426. ο, 67., de quibus locis supra egi, qui recentissimo demum tempore in Iliadem illati sunt.

§. 214. — Libri ξ vers. 216. legitur ἐν δ' ὀαριστύς. Diximus §. 130, 3. de digamma hujus vocis non satis constare. Ob eam rem de locis, quibus neglectum est digamma, ambiguum est judicium. Comprobant tamen quodammodo digamma hi loci.

Etenim versus ξ, 216. 217. si dicam insertos esse, confirmare videtur sententiam non solum allegoria, quae inest in his versibus; sed etiam versus 220, quo breviter dicitur ᾧ ἔνι πάντα τετεύχαται. Nam quae sint illa θελκτήρια (215), intelligitur ex versibus superioribus 198. 199.

Unus restat locus, quo neglectum legitur hujus vocis digamma, quem huc referre jam liceat: χ, 128. Scio quidem hanc epanalepsin, quae praeter hunc locum invenitur ν, 372. ψ, 642., a nonnullis propriam ultimorum Iliadis librorum virtutem praedicari. Sed ea res nihil me impedit, quominus hunc quidem libri χ versum pro adulterino habeam; ceterum versibus ν, 372. ψ, 642. fidem non derogans.

Repeto tamen quod dixi, de digamma hujus radicis non satis constare.

§. 215. — Transeo ad librum ο.

1. Versu 189. neglectum est digamma vocis ἕκαστος. Sequitur cogitandum esse de interpolatione; sed quatenus ea pateat non item facile intelligitur. Hanc contineri versibus

187 — 196. *τρεῖς γάρ τ' -- δειδισσέσθω* ex eo potest concludi, quod iisdem particulis, *γάρ τε* et versus **187** utitur et versus **197**. Praestat tamen cogitare de uno solo versu **189**. Ut ita statuam quatuor causis moveor: primum ea lege, quam ipse mihi scripsi; cf. §. **204**, **2** — deinde hiatu *ἀλλὰ ἕκηλος*, qui est v. **194**., etsi ex epica formula dicendi receptus esse potest vel recentissimis temporibus — tum productione quae v. **187**. est ante *Ῥέα*, quae, cum excusationem videatur habere ex antiqua consona initiali (§. **84**, **7**.), vix pertinet ad illam recentissimam aetatem, qua evanuerat consona initialis vocis *ἕκαστος* firmissima; cf. §§. **269**. **270**. — postremo eo, quod qui versu **202**. dicitur *μῦθος ἀπηνής τε κρατερός τε* magis spectat ad versus **193—195**, quam ad versus **185**. **186**. **197—199**.

2. Summam interpolationis suspicionem dant versus **397**. **398**.

> *ᾤμωξέν τ' ἄρ' ἔπειτα καὶ ὢ πεπλήγετο μηρὼ*
> *χερσὶ καταπρηνέσσ', ὀλοφυρόμενος δ' ἔπος ηὔδα,*

ille ob neglectum digamma vocis *ὅς*, hic ob neglectum digamma vocis *ἔπος*.

Ac posteriori quidem versui medicina potest parari ex varia lectione *ὀλοφυρόμενος δὲ προσηύδα,* quam *ο*, **114**. restituere non dubitavimus, cf. **179**, **5**. Attamen primum inutile est ita scribere, quamdiu vers. **397**. neglectum restat firmissimum digamma vocis *ὅς*. Tum eodem modo se habent versus Odyss. *ν*, **198**. **199**., in quibus, cum solus sit Ulixes, vocis *προσηύδα* nullus omnino est locus.

Quae cum ita sint, oritur suspicio, ab eo homine, qui confecit Iliad. *ο*, **397**. **398**. Odyss. *ν*, **198**. **199**., conflatas esse duas dictiones epicas, cujus utriusque exemplum invenimus Iliad. *μ*, **162**. **163**. et *ο*, **113**. **114**. In priore enim loco legitur *καὶ ὣ πεπλήγετο μηρὼ Ἄσιος Ὑρτακίδης καὶ ἀλαστήσας ἔπος ηὔδα;* in altero est *θαλερὼ πεπλήγετο μηρὼ χερσὶ καταπρηνέσσ', ὀλοφυρόμενος δὲ προσηύδα* (nam quin recte de utroque loco statuerimus §§. **194**, **2**, c. **179**, **5**.; ex ea lege, quam nobis in his quaestionibus scripsi-

mus, non dubitamus). Utramque dictionem ita conjunxit interpolator, ut ex altera reciperet et verba καὶ ὦ πεπλήγετο μηρώ, et ἔπος ηὔδα; ex altera χερσὶ καταπρηνέσσ' et participium ὀλοφυρόμενος. Aliam hujusmodi formulam dicendi invenimus in hymn. in Cerer. vv. 245. 247.

Sequitur hoc libri ο loco de interpolatione esse statuendum. Potest haec latius patere, sed in praesentia satis habeo indicavisse versus **390—414**.

Liceat autem hanc sententiam paucis confirmare. Primum digammi servati nullum omnino est vestigium, nam ex producto εὖ (412.) itemque ex hiatu ἐπὶ ἶσα (413.) de digamma concludere non licet, cf. §§. 52, 3. 64, b. — Deinde quod legitur 392. τόφρ'-ἧστό τε καὶ τὸν ἔτερπε λόγοις, huic obstant versus λ, 648. 653. Longum est enim tempus certaminum, quae describuntur libris μ, ν, ξ, ο. — Tum multa verba petita sunt ex libris superioribus, veluti 403. 404. e λ, **729. 791.**; versus 395. 396. ex μ, **143. 144.**, all. Accedit quod **413.** legitur item in suspecta illa libri μ regione, de qua egimus §. **213**, b. — Namque duae narrationes diversae si conjunctae sunt in libro μ, patet commissuram esse circa hunc ipsum versum μ, 436. Pertinet autem haec commissura ad interpolatorem novissimi temporis. Omitto nunc alia.

Sequitur non solum versu 403. recte legi τίς δ' οἶδ', sed etiam, quae in extrema parte libri λ inveniuntur neglecti digammi vestigia, ab eodem homine esse effecta, qui hanc in librum ο intulit interpolationem.

§. **216.** — Cum de π, 507. 522. 523. supra §. **213.** egerim, restat nunc unus locus: π, **371**: λίπον ἅρματ' ἀνάκτων.

Hic locus ob eam rem summam movet suspicionem, quod in interpolatione libri π, quam supra demonstravimus, eadem dictio invenitur: v. 507: ἅρματ' ἀνάκτων. Patet igitur utrumque locum ad eundem spectare auctorem.

Sed versus 370. **371.** adulterinos dixisse non multum

juvat. Immo multo latius patere videtur interpolatio, quam fere versibus 284—376. contineri putaverim. His exemtis ad versum 283. subjungendus videtur esse versus 377.

Multa enim insunt in versibus 284—376. incommoda. De quibus etsi aliquando accuratius agendum est, tamen nunc omissis rebus metricis nonnulla liceat proferre.

Primum enim Pyraechmes, dux Paeonum, alio Iliadis loco non commemoratur (de argutiis scholiorum, item de catalogo taceo: β, 848), immo fortissimum Paeonum ducem Asteropaeum fuisse patet ex libbr. μ, 102. 103. φ, 155. Deinde quae leguntur vv. 306—351. idcirco in hunc locum videntur esse illata, ne, qui fortissimi sunt in libris ν, ξ, ο viri, hoc in libro negligerentur. Huc accedit quod versus 306. eodem modo legitur ο, 328. Tum non bene conveniunt versus 283. 357. 363. 368. Etenim v. 282. sqq. fugiunt Trojani, Achillem intervenisse (λ, 799. π, 140.) suspicantes. Hanc autem fugam nimis repentinam existimans interpolator ita rem gessit, ut interponeret et virtutis Trojanae nonnulla testimonia, veluti 302. 305., et majorem omnium Achaeorum impetum 306—351. Jam, haud dubie fugientibus (357.) Trojanis, restat Hector, 363: σάω δ' ἐρίηρας ἑταίρους. Qui quidem quomodo servaverit socios non bene intelligitur. Mox et ipse fugit 368.

His omnibus in descriptionibus me multa offendunt. Augetur autem versibus 364—376. suspicio. Omitto nunc reliqua, id unum addens et versus 367. 368. ortos esse ex versu 382, nisi quod inepte v. 368. additum est σὺν τεύχεσι; et versus 375. 376. ortos videri ex versu 393.

Demamus igitur versus 284—376. Tumultuaria sane exsistit Trojanorum fuga, sed ejus rei causam satis exponunt versus 281. 282. Jam v. 377. omnia bene procedunt.

Etenim in constipatam fugientium turbam impetum facit Patroclus, fossam superat, Hectorem quaerit. Trojanorum duces et ipse Hector (currus conscendunt) fugiunt.

Fateor tamen vel hac in re nonnulla esse dubia. Nam

si recte fortasse statuo hanc totam libri π regionem suspectam esse: sequitur hunc poetam intulisse suum carmen in librum π, antiquiorem. Atque verisimile est antiquiorem quandam narrationem, quae in priore parte libri legebatur, ab homine esse aut deletam aut mutatam. Hujus antiquioris narrationis servantur fortasse vestigia inter versus 284—302.

Statuamus igitur potius majorem recentioremque interpolationem, in qua antiquioris quidem carminis nulla sint vestigia, contineri versibus 303—376. Quaeritur nunc quaenam digammi in his versibus sit ratio.

Atque valet digamma in voce οἷ: 331. 348., in radice Ϝιδ- 354. 359., in ἕκαστος 351. Et, si verum est quod conjicimus, referendam esse hanc partem Iliadis ad auctorem libri ψ et ο, satis constat etiam vocis ἄναξ digamma, quod bene novit recentior ille poeta, neglectum non esse.

Sequitur versus 370. 371. ne ad recentiorem quidem, quem diximus, poetam esse referendos. Pertinent igitur ad eum hominem, qui alterum locum libri π (506. 507. 509. sqq.) ita mutavit ut congrueret cum libro μ. — Cf. §. 293.

§. 217. — Ex libro ρ huc pertinent v. 252: διασκοπιᾶσθαι ἕκαστον et 279: Αἴας, ὃς πέρι μὲν εἶδος πέρι δ' ἔργα τέτυκτο. Uterque versus aliis collatis locis confirmatur. Nam κ, 388. (cf. §. 211.) eodem modo legitur διασκοπιᾶσθαι ἕκαστα et Odyss. λ, 550. 551. iidem sunt versus atque Iliad. ρ, 279. 280. Huc accedit, quod vicini sunt versus 252. et 279., quodque non magnopere placet ea conjectura, quam de v. 260. (οὔνομα εἴποι pro οὐνόματ' εἴποι) proposuimus.

Quae cum ita sint, de interpolatione statuendum est. De qua quamvis difficile sit judicare; tamen id certum videtur esse, ideo additam esse Menelai exhortationem, ut vel hoc loco mentio fieret Ajacis, Jdomenei, Merionis, reliquorumque, qui infra commemorantur, heroum. Cum enim Ajax minor commemoretur 507. sqq., Peneleos 597., Jdomeneus Merionesque

605. sqq.; interpolatori videbatur poeta in eo peccavisse, quod v. 115. sqq. unum majorem Ajacem commemoravit, quasi non consentaneum esset etiam alios heroes in eum locum venisse, ubi maximus est hostium impetus (232. sqq.)

Atque de Ajacis oratione (236—245.) statuere difficillimum est. Attamen in eo offendo, quod Menelaum clamare jubet Ajax. Est quidem Menelaus βοὴν ἀγαθός, at Ajax non minus (cf. 102.); idem igitur officium potuit praestare. Accedit quod hic locus videtur effectus esse ad similitudinem loci alterius, cf. v. 236. et 651. Sed v. 651. Patroclum defendens Ajax recedere non potest, recte igitur Menelaum jubet abire; contra v. 236. ipse clamare potuit.

Deinde v. 274. me offendit, quod Achaei paene sine certamine diffugiunt; id quod ob versus 266. sqq. vix potest exspectari.

His de causis putaverim initio ita se locum habuisse ut versum 235. vel 236. exciperent versus 263—273., versum 273. sequerentur versus 288. sqq. Vel hoc modo bene se habet versus 293. (ἐπαΐξας δι' ὅμιλον). Prosilit enim Ajax major ex instructa Achaeorum acie (cf. 268.), quae est circum Patroclum (cf. 138. ἑτέρωθεν). Attamen et hoc loco et aliis locis, ubi interpolationes agnovimus, deleti fortasse sunt ab interpolatoribus nonnulli versus, quibus arctius continebantur antiquitus singulae narrationum partes.

Ut ad digamma redeam, nullum omnino hujus literae est in iis versibus, quos dixi postea additos esse, vestigium. Nam ex hiatu οὔτ εἴκελος, qui legitur v. 281., de digamma concludi non posse constat ex §. 64, b.; legitur praeterea idem ϑ, 253. Restant productiones nonnullae, quae tamen omnes pertinent ad caesuras firmissimas, semiquinariam et semiternariam majorem: 260. 277. 279. 287. Ex his ea, quae legitur 287., recurrit 419.

§. 218. — Ex libro σ. huc pertinet

1. versus 185., in quo neglectum est firmissimum vocis οἶδα digamma: οὐδ' οἶδε Κρονίδης. Asyndeton cum molestum sit, conjectura οὐ οἶδε abstinendum est, ideoque de interpolatione cogitandum. Hanc vero eo certius hoc loco cognoscimus, quod versu 192. digamma vocis οἶδα haud dubie servatum intelligimus. Producitur enim ante οἶδα in thesi altera τεν encliticum.

Confirmat rem ipsa sententiae narrationisque perversitas. Primum enim constat ex multis Iliadis locis, Jovis ipsius id fuisse consilium, ut Achillem honore afficeret. Sequitur ea, quae in hac parte libri σ. narrantur, non multum abhorrere a Jovis voluntate. Ergo versu 168: κρύβδα Διὸς ἄλλων τε θεῶν· πρὸ γάρ ἧκέ μιν Ἥρη· opus omnino non esse facile intelligitur. — Deinde versibus 185. 186. nihil potest esse ineptius. His enim verbis non confirmari Achillis animum, sed imminui consentaneum est. — Accedit, quod proximis versibus 188—195. Jovis rationem Achilles non habet.

Quae cum ita sint; verisimile est hos versus a rhapsodo aliquo ob eam rem in hunc librum esse illatos, ut auditoribus prospiceret. Qui si totum rerum ordinem, qualis in Iliade est, memoria tenuissent, ejusmodi additamento non erat opus. Perspexissent iidem hanc rem insciente Jove fieri non potuisse, cum in libro ϱ (cf. vv. 198. 441. 593.) ipse Jupiter totius certaminis sit spectator atque rector. Qui quidem quo majorem vim addit Trojanis, eo majore honore afficit libro σ. Achillem, cujus solo adspectu Trojani terrentur vehementissime. Dicat tamen quispiam verss. 203. et 217. Achillem juvari a Minerva, non ab Jove! Recte ille. At λ, 45. collat. 182. sqq. non aliter agunt Minerva, Juno, Jupiter; neque α, 195. (ad hoc enim exemplum confectus est v. σ, 168.) Jovis fit mentio.

Quaeritur igitur, quibusnam versibus contineatur interpolatio.

Ac primum quidem patet omittendum esse versum 168. Tum versibus 185. 186. omissis omnia bene procedunt. Sed

praestat tamen versus 181—186. omnes pro adulterinis habere. Displicent enim orationes, quae (omissis verss. 185. 186.) singulis versibus continentur ideoque recedunt a consuetudine Homerica. Huc accedit quod versum 180. optime excipit versus 187. et quae sequuntur. Intelligitur hoc modo multo majorem effici vigorem narrationis.

Respiciunt hanc interpolationem versus 356—368. Hi versus quantum per se displiceant, ipsi lectores facillime sentiunt. Patet ex iis, quae modo demonstravimus, etiam hos versus initio defuisse, licet fortasse antiquiores sint, quam 181—186, cf. §. 296.

2. Attamen tantum abest ut in hac re quaestio nostra possit consistere, ut collatis iis versibus, in quibus neglectum esse digamma supra demonstravimus (§. 203, 14.), statuendum sit etiam versus 243—355. postea demum in hunc librum esse illatos.

Praestat tamen in praesentia hanc interpolationem (243—355.) separare ab altera ea, de qua modo diximus (168. 181—186. 356—368).

Ut ad rem redeam, neglectum est digamma vocis Ἴλιος v. 270: ἀφίξεται Ἴλιον ἱρήν. Hoc loco si proponerem conjecturam ἀφίξετ᾽ ἐς Ἴλιον (ε, 204. φ, 81. 156.), caesuram pedis quarti trochaicam, molestam, inferrem. Patet autem ab ejusmodi conjecturis, si caute agere volumus, cavendum esse. Ita quominus statuam etiam magis impedit vers. 294., ubi neglectum est digamma vocis ἔλσαι.

Haec cum certa sint neglecti digammi vestigia, nemo facile dubitabit de interpolatione cogitare. Jam cum inde a versu 243. ad versum 355. omnia tam arcte cohaereant, ut circa versum 314. commissurae nullum appareat vestigium, patet versus 314—355. non facile posse ab eadem interpolatione separari. Si recte statuo, sequitur poetam de curando Patrocli corpore in hoc libro post versum 238. non egisse.

Quaeramus nunc quae digammi in his versibus, quos

postea additos esse demonstravimus, sit natura. Qua quaestione intelligemus duas interpolationes posse cognosci.

a. Etenim in minore, quam dixi, interpolatione (168. 181—186.) neglectum est v. 185. digamma radicis *Fιδ*, neque ulla sunt servati digammi vestigia. *) — Contra

b. in majore interpolatione, quae continetur vv. 243—355., nihil obstat, quominus servatum esse digamma putemus vocum: ἕκαστος, 299. — ἄστυ: 286. κατὰ ἄστυ· Omitto versum 266. — radicis *Fιδ-*: 284. 363. — ἔπος. Est enim productio v. 324. — οἷ: v. 326.

Jam cum neglectum sit digamma vocis Ἴλιος et εἴλω, addendum est servati harum vocum digammi non esse in his versibus vestigia. Nam qui sunt ante εἴλω hiatus, sunt in trochaica pedis tertii caesura 286. 287., cf. §. 66, a. Accedit, quod ex vocali finali υ, quae v. 286. est ante ἀλήμεναι, de digamma non potest omnino concludi.

Ceterum hanc majorem libri σ. interpolationem multis in rebus concinere cum extrema parte libri η, et cum libris ψ et ω, demonstrabimus §. 220.

3. Interpolatores deprehendimus duos. Unum ex his fortasse demonstrat versus 401. Hic versus in quo neglectum legitur digamma vocis ἕλιξ, eodem modo additus est ad versum 400, quo ad versum libri ξ, 215. additi sunt versus 216. et 217. Etenim in libro ξ versibus adulterinis accuratius demonstratur vox πάντα (215), ita ut generi partes subjiciantur; libr. σ, 401. eodem modo accuratius describuntur voces δαίδαλα πολλά, quae leguntur v. 400. Huc accedit, quod idem versus legitur in hymn. in Venerem, 164. Cf. §. 256.

4. Restat versus 501: ἄμφω δ' ἱέσθην. Potest quidem legi ἱέσθην δ' ἄμφω; at hac conjectura deletur ea vis, quae est vocis ἄμφω in initio versus positae. Putaverim potius etiam hunc

*) Versus 356—368 puto ab eodem auctore additos esse, qui confecit majorem interpolationem, quam sub litera b tractavimus. Cf. §. 296.

versum ab eodem interpolatore illatum esse. Novi enim nihil inest in hoc versu; immo vocibus ἐπὶ ἵστορι demonstratur eadem res, quae proximo versu (λαοὶ δ' ἀμφοτέροισιν ἐπήπυον, ἀμφὶς ἀρωγοί) significatur. Patet autem vocibus ἀμφὶς ἀρωγοί designari testes, qui utriusque hominis causae favent. Succurrunt voces δήμῳ πιφαύσκων, 500. Quae quidem tantum abest ut valeant: hominibus rem exponens (quid enim haec res ad populum? Adsunt judices. 503.), ut significent: ad populum provocans, id est populum excitans ut suo testimonio causam sustineat. Ergo damnandus est versus 501. In quo qui est hiatus (ἐπὶ ἵστορι), digamma radicis Fιδ- servatum esse non potest demonstrare, cf. §. 64, b.

Quae cum ita sint; intelligitur interpolatorem etiam hoc versu addendo id egisse ut rem, quae per se potest intelligi, accuratius demonstraret. Confer quae sub numero 3. similia exposuimus.

Concludimus autem versus 401: et 501. ab eodem homine additos esse. Singuli sunt enim versus. Nescio tamen ad utrum interpolatorem libri σ. spectent. Id certum est, versum 401. non posse confectum esse ab ipso hoplopoeiae auctore, qui digamma vocis ἕλιξ bene novit, cf. σ, 524.

§. 219. — Transeo ad librum τ.

Difficillimum est de hoc libro judicium. Constat enim tam multa inesse, quae suspicionem moveant, ut recentissima demum aetate confectus esse hic liber videatur. De qua re quo saepius exposuerunt homines docti, eo facilius in nostra quaerendi ratione possumus perstare.

Quare id unum nunc addimus, hunc librum (licet aliis libris sit recentior), ne rerum ordo, qualis est in Iliade, turbaretur, utique necessarium fuisse. Verisimile est igitur, non recentissima demum aetate totum esse confectum, sed ab ipsis Homeridis, atque hoc diu ante Pisistratum. Potest tamen hic liber multis partibus Odysseae esse recentior.

Sed id maxime cavendum est, ne nimio studio inducti ea ad novissimum referamus interpolatorem, (cf. §§. 267. sqq.) quae recentioris omnino aetatis quandam speciem prae se ferant. Omissis igitur omnibus reliquis rebus nunc quaerendum est de digamma neglecto. Qua quidem quaestione si deprehenderimus nonnullos locos, quibus exemtis servatur tamen totius libri summa, temerarium est totum librum damnare. Quamquam non nego permultas dictiones, quae in hoc libro inveniuntur, ex aliis libris esse receptas, neque ideo de digamma posse concludi. Sed de hac re alio loco agendum erit.

1. Ac primum quidem ex versu 102: *ὄφρ' εἴπω, τά με θυμὸς ἐνὶ στήθεσσιν ἀνώγει* (v. lect. *κελεύει*) de recentiore libri aetate concludi non potest, cf. §. 204. Hic enim versus vel in eos libros postea est illatus, qui neglecti digammi nullum praeterea habent vestigium. Quam sententiam ut lectoribus probemus provocamus ad Odyss. *σ*, 352. *φ*, 276. Nam quae in his libris insunt neglecti digammi vestigia, facillimis emendationibus possunt omnia deleri. Quae cum ita sint, lectionem *ἀνώγει* in praesentia parvi facio. — De *ἀπειπόντος*, 75. supra diximus, §. 168. Neglectum quidem esse in hac forma digamma hoc minus potest demonstrari, quod et versu 80. legitur *ὑββάλλειν*, et v. 35. *ἀπōειπών*, producta vocali *ο*.

2. Ergo inde ab initio libri ad versum 282. digamma neglectum non est.

Jam cum multi sint ante ejusmodi voces hiatus atque una particulae *καί* (ante *οἶνος*, 161.) productio, statuendum est hanc quidem libri partem eo tempore esse confectam, quo digamma valebat.*)

---

*) Ut lectoribus prospiciam tabulam addo: *ἄναξ*: 199. — *ἔπος*: 7. 121. *εἰπεῖν*: 257. — *ἔοικα*: 79. — *ἕκαστος*: 84 277. — *ἔργον*: 131. 150. 242. — *ἐρύω*: 252. — *Fιδ*: 115. 144. 219. — *Ἴλιος*: 156. — *οἶνος*: 161. — *ὅς*: 20. *οἷ*: 7. 16. 39. 124. 169. 204. Ceterum ex quovis loco concludi de digamma non posse satis demonstravimus; multi

Contra quae proxime sequitur narratio, quae continetur versibus 282—302, haec et primo versu et ultimo neglectum digamma demonstrat. Nam v. 282. vox ἰκέλη digamma eget, v. 302. vox ἕκαστος (cf. Odyss. λ, 542). Huc accedit versus 292, cujus in prima arsi legitur εἶδον. Haec certe interpolatio est, neque ullum est in his versibus (282—302.) digammi vestigium.

3. Restat ut de extrema libri parte (303—424) nonnulla addamus.

Patet primum, vel exemtis versibus 282—302, voce αὐτόν (303) multo facilius Achillem posse designari, si versus 303. sequatur versum 281, quam si sequatur versum 302. Patet vero etiam eam narrationem, quae sequitur (imprimis versus 347—355) post versus 209. sqq. vix posse deesse. Atque cum in initio libri arma a Vulcano facta a Thetide allata sint, patet aptissime nunc agi de Achille arma induente. Quod ni fieret, lacuna esset inter τ, 282. et initium libri υ.

Quare quamvis paucissima sint digammi vestigia (οἷ — 332. Nam versibus 365. 366. 368. antiquitus suspectis; item versibus 347. 417. 339. vix quidquam probatur. Addo versum 340. factum esse posse ad exemplum ϱ, 441), et multae dictiones aliis in libris inveniantur; tamen hanc extremam libri τ partem non possumus recte propter versus 382. 384. damnare. Quae sententia eo multum confirmatur, quod hi versus sibi sunt vicini.

Ergo rursus de interpolatione statuendum est. Damnandi sunt autem versus 382. 383. 384. 385. 386. Patet sententiam bene concludi verbis ἡ δ' ἀστὴρ ὣς ἀπέλαμπεν, v. 381. Quae quidem interpolatio eo facilus cognoscitur, quod hoc uno Iliadis

---

hiatus in aliis libris inveniuntur, multi ex versus sede excusationem habent. Rariora exempla sunt haec: 20. 115. 242. 84. et οὐ ante οἷ vers. 124.

loco neglectum est digamma, firmissimum pronominis reflexivi *ἕο*.

Quae cum ita sint, intelligitur digamma radicis *Ϝιδ-*, quod vv. 245. 421. conjectura restituendum est, fortasse ab eodem homine deletum esse, qui versu 292. in prima arsi posuit vocem *εἶδον*. Dubito tamen num recte v. 421. de productione (§. 197, 2) statuerim. Non dubitarem, si uno solo hujus libri loco ante *οἶ* in thesi produceretur syllaba brevis in consonam literam desinens. Quod cum non fiat, magis placet legere *εὖ νυ γὰρ οἶδα καὶ αὐτός*, seu *εὖ τοι οἶδα κ. ἀ*, seu *τοῦτο δ' ἐγὼν εὖ οἶδα* (Odyss. *ν*, 314), seu *εὖ γὰρ ἐγὼ τόδε οἶδα* (Odyss. *ο*, 211.), Patet igitur huic loco multis modis posse facillime succurri; id quod in tanta epicae poesis mobilitate mirandum non est. Attamen de extrema parte hujus libri fortasse etiam aliter statuendum est; cf. §. 232, 2.

§. 220. — De *χ*, 128. egimus §. 214. — Licet igitur pergere ad librum *ψ*, cujus v. 21. neglectum est digamma vocis *ἐρίω*. Jam cum eadem res sit *ω*, 16; placet nunc utrumque librum conjungere.

Constat autem eam narrandi rationem, quae est in utroque libro multis rebus discrepare ab aliis libris, neque singulas narrationis partes tam bene convenire, ut horum librorum auctorem omnium poetarum, qui confecerunt Iliadem, praestantissimum fuisse concedere possimus. De his rebus multa egregie disputavit G e p p e r t u s; nonnulla tamen, nimia inveniendi cupidine inductus, falso intellexit. Quibus in praesentia omissis nostra quaerendi ratione utemur.

Ac primum quidem verisimile est libros *ψ* et *ω*, quorum paene eadem est argumenti summa, eodem tempore esse confectos. Quam rem etsi neglectum vocis *ἐρύω* digamma non aperte demonstrat; patet tamen aliquid effici hoc vestigio. Hac autem re eo magis confidimus, quod in utroque libro

servatum utriusque vocis digamma non invenimus. Accedit quod in utroque libro hiatus paene eadem est ratio, cf. appendicem §. 60, pag. 79. et §. 67. — Addo alia nonnulla. Spectat enim ω, 17. ad ψ, 25. Deinde ω, 19—21. quae narrantur, spectant ad ψ, 178—191. (cf. praeterea ω, 411. sqq.); et quae demonstrantur ω 787—802. multis in rebus concinunt cum ψ, 165. sqq. 250. sqq. Attamen brevius haec omnia narrantur in libro ω, ideoque in tumultuaria descriptione Hectorei funeris haesit Wolfius, Prolegg. p. 136! Immerito. Statuamus eundem fuisse utriusque libri auctorem. Intelligent omnes post tam exiguum intervallum easdem res non posse eodem ambitu narrari. Sequitur igitur omnia bene se habere, modo de eodem cogites poeta. Aliter si statuas, multa sane videbuntur esse inepta et contraria.

Jam vero ad librum σ recurramus necesse est, in quo majorem unam demonstravimus interpolationem 243—355. Eam ab altera interpolatione (intelligo nunc σ, 168. 181—186.) separavimus; atque id recte, cum in majore, quam diximus, interpolatione digamma radicis Fιδ- sit servatum, in minore neglectum. Illa vero interpolatio major tam bene convenit cum libris ψ et ω, ut eundem videatur habere cum his libris auctorem. Etenim quae leguntur ψ, 21—23. 175. 176. 178—182. spectant ad σ, 334—337.; quae leguntur ψ, 17. 18. eodem modo leguntur σ, 316. 317. Patet igitur hanc interpolationem convenire cum libro ψ. Sed non minus convenit cum libro ω. Etenim σ, 286. concinit cum ω, 662.; σ, 288. eodem modo concinit cum ω, 543. sqq. Conveniunt igitur, quae variis locis librorum ψ et ω demonstrantur, in eundem locum libri σ.

Quaeramus nunc quaenam digammi sit ratio in libris ψ et ω, atque in σ, 243—355. Senties eundem poetam.

Neglectum est digamma vocis ἐρίω libb. ψ, 21. ω, 16. Servati ejusdem in σ, 243—355. nullum est vestigium. — Neglectum est σ, 270. digamma vocis Ἴλιος. Num servatum est

in libb. ψ et ω? Constat ex προτὶ Ἴλιον (ψ, 64. ω, 330), ὑπὸ Ἴλιον (ψ, 297); item ex hiatu, qui est in fine pedis quarti, (ω, 27. 145. 383.) de digamma non posse concludi, §§. 64. 66. — Neglectum postremo est σ, 294. digamma vocis ἄλω; nam ex σ, 286. 287. digamma probari non posse diximus §. 218. 2. Nec quidquam argumenti invenitur in libris ψ et ω; nam ω, 662. idem est versus atque σ, 286., neque ex productione ψ, 420. concludere licet.

Contra servatum est digamma vocis ἄστυ: σ, 286. ω, 327. 662. 703. 740. et inprimis v. 778.*). — radicis Fιδ-: σ, 284. 363. (μήδεα οἶδεν — cf. Odyss. λ, 445.) ψ, 709. 322. 104. ω, 319. 366. 376. 407. 484. 653. Omitto enim productiones syllabarum brevium, quae desinunt in literas consonas. — vocis ἕκαστος, σ, 299. ψ, 26. 58. 95. 374. 497. — vocum εἶπον et ἔπος: ψ, 143. 489. ω, 75. 113. 197. 380. 656. 744. Nec quidquam obstat in illa parte libri σ; imo productionem, quae est in ἄλλον ἔπος v. 324., invenimus etiam ω, 92. 224. — pronominis personae tertiae: σ, 326. et multis locis librorum ψ et ω.

Hactenus concinunt hae Iliadis partes. Restat ut addam nullam productionem syllabarum brevium in consonas literas desinentium in thesi inveniri ante οἱ in his regionibus.

Quae cum ita sint, non video quid impediat quominus de eodem auctore cogitemus in praesentia.

Sed ad aliam Iliadis partem, cujus eadem videtur esse natura, jam est progrediendum. Intelligo η, 313—482. Ad hanc Iliadis regionem duabus maxime rebus perducimur. Primum enim v. 345. neglectum est digamma vocis Ἴλιος (eandem rem vidimus σ, 270.); tum idem hiatus est ante ἕκαστος, v. 371, qui legitur σ, 299: ἐγρήγορθε ἕκαστος Utroque denique loco de Trojanorum agitur concione.

*) Omitto hac in enarratione omnes locos, ex quibus de digamma concludi non potest.

Statuamus eundem esse etiam hujus carminis auctorem, qui confecit σ, 243—355, librum ψ, librum ω. Quid ergo? Sequitur neque vocis εἴλω, neque vocis ἐρύω digamma servatum esse posse. Non sunt autem servati digammi vestigia.

Contra servatum est digamma vocis ἕκαστος vv. 371. 424., uti item servatum est σ, 299. et quinque locis libri ψ, quos paulo supra attulimus. Sequitur vero etiam valere digamma vocis ἄστυ, pronominis personae tertiae, radicis Fιδ-. Licet sane ita statuere, nam neglecti quidem digammi vestigia non sunt. Patet denique vocum εἶπον et ἔπος digamma servatum esse debere. Sed vel hanc rem probare videntur productiones, quae sunt 356. 375. Harum productionum eam magni facio, quae est v. 375. in caesura semiseptenaria. Debilitatur enim caesura, cum insequatur diaeresis. Huc accedit, quod eadem productio invenitur in ipso libro ω, v. 744. (est tamen etiam λ, 788.) et ea, quae est η, 356, simili modo legitur ψ, 557. (omitto ο, 48.). Ergo rursus ad libros ψ et ω sumus perducti. Quae cum ita sint, versus η, 349. 369. (ὄφρ᾽ εἴπω, τά με θυμὸς ἐνὶ στήθεσσι κελεύει) pro certo neglecti digammi argumento non habeo; hic enim versus in multos libros Homericos eo demum tempore videtur esse illatus, quo digamma vocis εἶπον evanuerat. Est versus adulterinus, cf. §§. 204. 219, 1.

Id unum addo ne in hac quidem Iliadis parte produci in thesi ante οἱ syllabas breves in consonas literas desinentes; id quod de σ, 243—355, de ψ et ω supra demonstravimus.

Hactenus quae demonstravi, cum satis certa videantur esse, incaute agerem, nisi in hac re nunc consisterem. Deprehendi enim satis magnam Iliadis partem, quae aliis nonnullis ejusdem carminis partibus videatur esse recentior, aliis antiquior; ita ut amplioris aliquando disputationis satis certum fundamentum confidam me esse habiturum.

Ceterum nonnulla accuratius esse definienda ipse satis scio. Statui enim nunc eundem esse auctorem libri ψ et libr,

ω. Haec autem res, nisi omnia me fallunt, fortasse ita erit definienda, ut statuamus antiquius carmen subesse in libro ω, sed mutatum esse idem ea ratione a poeta libri ψ, ut librorum ψ et ω nunc sit paene idem color et habitus, supersint tamen antiquioris carminis in libro ω quaedam etsi tenuissima vestigia.

QUAESTIO SEXTA.

DE VARIA CARMINUM ILIACORUM AETATE COLLIGUNTUR NONNULLA EX QUAESTIONIBUS SUPERIORIBUS.

Caput primum.

Colliguntur quae de syllabarum finalium brevium productione Homerica in quaestionibus superioribus disputavimus.

§. 221. — Ut de syllabarum finalium brevium productione Homerica denuo agamus, maxime ea re movemur, quod in quaestione tertia de his syllabis ante digamma literam productis disputare non licuit. Immo quaestionis tertiae ea fuit ratio, ut efficeretur, quomodo ex ejusmodi productionibus de ipso digamma statui posset. Jam vero cum ex quaestionibus quarta et quinta de natura digammi Homerici satis constet; collectis omnibus productionis exemplis videndum est, quinam ejus usus sint fines. Quos ubi cognoverimus; patebit, quid in hoc usu inter se differant singuli Iliadis libri. Nam vel hac in re eos differre non facile quisquam negabit.

Constituendi sunt igitur quidam productionis quasi gradus, cum appareat nonnullas productiones esse duriores, non-

nullas minus duras. Harum eas, quae molestiores videntur esse, in universum duras sive duriores productiones nominamus; eas, quae minus durae sunt, leviores productiones dicere liceat.

Quas vero duras dicamus productiones, quas leviores; tribus ex rebus judicandum est. Quarum una est caesurarum vis aut major aut minor. Altera est syllabae finalis aut firmitas aut infirmitas. Tertia est literae initialis, quae excipit syllabam productam, natura.

§. 222. — Atque de caesurarum quidem firmitate infirmitateve in quaestione tertia disputavimus, cf. §. 73. sqq. §. 82.

1. Constat caesuram semiquinariam omnium esse firmissimam; sed ad ejus vim proxime accedere, ubi desit semiquinaria, caesuram semiternariam. Hae igitur caesurae maxime favent productioni syllabarum brevium.

His caesuris paulo infirmior est caesura semiseptenaria. Quae ubi deest, ad ejus vim proxime accedere potest caesura seminovenaria, quam diximus §. 17.

Magnam praeterea esse firmitatem caesurae masculae pedis sexti, per se intelligitur. Sed paucissima ad eam pertinent productionis exempla.

2. Infirmissimae vero hae sunt caesurae: semiternaria, quae est ante semiquinariam; seminovenaria, quae est post semiseptenariam; postremo ea quae est post arsin pedis primi.

3. Intelligitur autem multo minus excusationis esse in iis productionibus, quae caesura omnino non juvantur. Huc eae pertinent productiones brevium syllabarum, quae sunt ante voces encliticas, cf. §§. 2. 3.; et eae, quae sunt in fine praepositionum ante casus ab iisdem rectos; cf. §. 7.

§. 223. — Hactenus de caesuris egimus. Constat autem, ut caesuras nunc omittamus, ipsa vocum natura productio-

nem posse aut juvari aut reddi difficiliorem. Jam quae vocum natura juvatur productio, hanc quasi ancipitem productionem liceat dicere. Quae quidem productio durior vocari non potest.

Sed ancipitis, quam diximus, productionis complura sunt genera. Pertinet eo

1. earum syllabarum in consonas literas desinentium, quas ancipites esse demonstravimus §. 71., productio ea, quae est ante vocales initiales.

2. vocalis finalis ι ea productio, quae est ante consonas initiales, cf. §. 93.

3. reliquarum vocalium finalium ea productio, quae est ante eas voces, quas antiquitus a binis consonis incepisse demonstravimus §§. 81—92. Ex his exemplis cum ad thesin primam, per se firmissimam, pertineant nonnulla; verisimile est in quibusdam vocibus antiquas consonas diutius valuisse; cf. §§. 81—86, 2, b, pag. 146. — pag. 157 ext.

4. ea productio syllabarum brevium in consonas literas desinentium, quae est ante digamma initiale. Cf. §. 153. sqq. Ad thesin quae pertinent ejusmodi productiones, efficiuntur majore firmitate digammi initialis, quae fuit in quibusdam vocibus.

5. syllabarum brevium in consonas literas desinentium ea productio, quae antiquitus efficiebatur proximae vocis consona initiali, quae postea obliterata est. Intelligo vocem ὡς, de qua egi §. 76, et ὑπεὶρ ἅλα, §. 96.

6. vocalium finalium brevium quaedam productiones, quae antiquitus fuerunt ante initiales literas consonas σF, i. e. ante digamma aspiratum; cf. §§. 170, 106.

Eodem pertinent quaedam productionis formulae, quae sunt ante ἰάχω, ἰαχή. Cf. §. 171. Contra duriores sunt productiones, quae ad harum formularum similitudinem effectae leguntur ο, 275. π, 373. Duriores vocamus, quoniam apud Homerum ne digamma quidem valet in his vocibus. Antiqui-

tus vero cum valuisse videantur literae kw, justam productionem efficiebat positio.

7. productio vocalis finalis ι, quae anceps fuit, ante digamma initiale. Exempla contulimus §. 170.

§. 224. — Omissa nunc productione ancipiti, quae durior vocari non potest, haec addenda sunt de vocum natura.

1. Syllabae breves in consonas literas desinentes ante vocales initiales vocum sequentium facilius possunt produci, quam vocales finales breves ante singulas consonas initiales. Cf. §. 94. extr.

Sequitur breves vocales finales productas ante singulas consonas initiales paene eodem loco habendas esse (etiamsi sint in caesuris firmioribus), atque syllabas breves in conson. lit. desinentes productas in caesuris infirmioribus. Ut exemplum addam; quae productio est in semiquinaria ε, 745., non minus dura est, quam ea, quae legitur in seminovenaria minore, φ, 23.

2. Litera consona initiali infirmius esse digamma initiale constat ex iis, quae in quaestione quarta demonstravimus.

Sequitur vocalem finalem brevem productam ante digamma initiale, quod excipitur vocali, duriorem esse productionem, quam vocalem finalem brevem productam ante consonam initialem. Ergo durior est productio χ, 307. quam π, 228. Cf. §. 170. extr.

3. Non minus dura productio est vocalis ancipitis ι productae in hiatu. Cf. §. 95.

4. Omnium vero productionum durissima est, cum in hiatu producitur vocalis finalis brevis, veluti ε, 576. θ, 556.

§. 225. — Omnibus igitur, quae et de vi caesurarum, et de vocum natura disputavimus, inter se accurate collatis efficiuntur quidam productionum gradus. Quibus in enarrandis

ita agimus, ut, quae omnium sunt durissimae, primas ponamus, paulatimque ad eas progrediamur, quae videntur minus durae esse.

1. Atque omnium productionum durissima ea est, quae est vocalis finalis brevis in hiatu: θ, 556. ε, 576. Huc addimus duas productiones, quae sunt ante ἰαχῇ (cf. §. 171.): ο, 275. π, 373; quae quamvis excusationem habeant ex reliquis productionibus, quae sunt ante ἰάχω et ἰαχή; tamen, cum sint in arsibus infirmioribus, non minus durae sunt quam θ, 556. ε, 576. — Reliquas productiones, quae leguntur §. 171., ex antiquiore poesi receptas esse verisimile est.

2. Vocalis finalis ι, anceps, producitur in hiatu β, 781. υ, 259. ω, 285. Ex his productionibus ea, quae est β, 781, facta est ad similitudinem reliquarum productionum, quae fieri solent ante ὥς. cf. §. 76. Est tamen dura.

3. Vocalis finalis brevis producitur ante digamma initiale vocis encliticae οἷ: χ, 307. in prima arsi, infirma. — Pertinet eodem vocalis finalis brevis praepositionis ἀπό, producta in compositis: τ, 35. φ, 283. 329; nisi forte ex eo explicationem haec habet productio, quod in compositis non sunt praepositiones, sed adverbia, cf. §. 96. pag. 166. extr. Sed saepius legerentur tales productiones, si haec justa esset excusatio. — Contra quae leguntur §. 170, 2. productiones, ex antiquiore poesi sunt receptae.

4. Vocalis finalis brevis producitur ante consonas initiales, caesura non juvante: α, 45. γ, 240. π, 228. ψ, 240. υ, 255. Adde παραί et ὑπαί: β, 711. ε, 837. ο, 175. 280. β, 824.

Pertinet eodem productio adverbiorum παραί et ὑπαί: γ, 217. λ, 233. 417. μ, 149. ν, 605. Addo composita: λ, 793. ξ, 208. ο, 404. ψ, 132. ω, 771. Potest tamen eadem valere excusatio, quam modo demonstravimus sub numero 3.

Eodem referendum videtur esse ὑπειρέβαλον: ψ, 637. cf. §. 96. pag. 168.

5. Vocalis finalis brevis producitur ante digamma initiale,

juvante caesura firmiore: β, 832. γ, 172. λ, 330 ξ, 92. ρ, 196. — Contra quae leguntur §. 170, 3. productiones, receptae videntur ex poesi antiquiore.

6. Vocalis finalis brevis producitur ante singulas consonas initiales in arsibus infirmioribus: ι, 492. ο, 478. (var. lect. δ' αὖ). φ, 352.

7. Vocalis finalis brevis ante singulas consonas initiales producitur juvante caesura firmiore. Huc omnes pertinent loci, quos demonstravimus ex ordine librorum §. 94. (exceptis tamen iis locis, quos hac ipsa §. 225. sub numeris 4. et 6. diximus). *) Ceterum vel ex his locis nonnulli paene leviores productiones dicendae sunt. Intelligo nunc eas productiones, quae ante interpunctionem in fine vocativorum leguntur in arsibus firmissimis: δ, 155. ε, 359. π, 556. τ, 400. φ, 474. ψ, 602. Has uncis includemus.

8. Octavus gradus efficitur iis productionibus, quae leguntur §. 75. Constat tamen γ, 40. π, 269. minus duras esse productiones, quam reliquas.

§. 226. — Hae igitur sunt productiones duriores, quibus totius licentiae finis continetur. Juvat nunc easdem ex ordine librorum enarrare:

α, 45.

β, 711. 781. 824. 832.

γ, (40. haec paene levior est productio). — 172. 217. 240.

δ, (155.) 321, 338,

ε, (359.) 499. 576. 745. 837. 887.

η, 353. versus est adulterinus.

θ, 389. 556.

---

*) Nolui addere ρ, 735. 746. Melior est enim lectio: οὔγ' ἐμμεμαῶτι· a Bekkero recepta.

λ, 233. 380. 378. 417. 793.

μ, 149.

ν, 606.

ξ, 92. 208. 320. 492.

ο, 175. 275. 280. 404. 478.

π, 228. 373. (At 269. paene levior est productio. Eodem modo se habet 556.)

ρ, 196.

σ, 288.

τ, 35. (400.)

υ, 242. 255. 259.

φ, 23. 283. 329. 352. (474.) 507.

χ, 236. 303. 307.

ψ, 132. 240. (602. *). 637.

ω, 7. 154. 193. 285 (duae insunt productiones duriores). 771.

Jam quid sequitur?

Intelligitur primum nonnullos libros durioribus productionibus plane egere. Sunt libri ζ, η (omitto versum adulterinum 353.), ι, κ. Adde priorem partem libri β, quae est usque ad versum 484.

Ad hos libros proxime accedunt libri μ et ν. Nam quae duriores in his libris insunt productiones, eaedem leguntur in libro λ, 233. 417.

Multo tamen majoris momenti est, quod, qui durioribus productionibus egent libri; aut nullas omnino habent productiones leviores, aut raro iis utuntur, cf. §§. 73. 74.

Ita omnibus productionibus eget liber nonus, nam de versu 327. egimus §§. 159. 130, 3.

Item productionibus in ordine metrico secundo egent libri

*) Praetermisimus hunc locum §. 94.

ζ, η, μ, libri β pars prior. Praebent tamen iidem productiones leviores in ordine metrico primo.

Contra libri κ et ν productionibus levioribus, quae sunt in ordine metrico secundo, non egent. Hi igitur libri medii sunt inter eos, qui durioribus productionibus abundant, et eos, qui vel levioribus productionibus raro utuntur. — —

Patet haec, quae diximus, aliis rebus aut comprobatum iri aut improbatum. Nunc in universum ita statuendum est.

§. 227. — Sed consideremus accuratius productionis durioris exempla, quae in superiore paragrapho ex ordine librorum demonstravimus.

Nonne mirandum est in quibusdam libris ejus productionis exempla inveniri in versibus sibi vicinis, contra in aliis eorundem librorum partibus ne unum quidem inesse exemplum?

1. Primum enim quae ex libro β allata sunt exempla (711. 781. 824. 832), haec intelligitur omnia pertinere ad extremam partem catalogi. Sed hoc tamen libro nunc abstineo, cum singularum ejusdem partium varii esse possint auctores. Quare duo tantum addo. Etenim ea productio, quae est versu 711: παραὶ Βοιβηΐδα λίμνην, auctorem demonstrat, qui bene novit Thessaliam. Thessalicum fuisse poetam quis facile putet? Potest tamen fuisse. Nolui quidem, quamvis hoc uno versu non multum confidam, silentio rem praeterire, cum alia in Iliade et Odyssea insint vestigia, quae in eam terram nos perducere videantur. Haec nunc omitto, additurus alteram rem, quae major videtur esse. Spectant enim versus β, 711—715. ad certamen curule, quod legitur in libro tertio et vicesimo; nam aliis Iliadis locis Eumeli nulla fit mentio. Quae cum ita sint, licet concludere ab eodem poeta, qui confecit certamen curule, hos versus libri β confectos esse. Quae quidem res, nisi ex ipso libro ψ, dijudicari non potest. In praesentia satis habeo monuisse, in certamine curuli libri ψ

inveniri productionem duriorem (637.). Omitto enim 602. Concinit autem productio praepositionis παρά (β, 711.) cum productione quae ψ, 637. est in ὑπειρέβαλον, ut idem videatur fuisse utriusque loci auctor. — Sed ut redeam ad librum β, ea productio, quae est v. 832., legitur etiam λ, 330. Ex libro λ recepta est in librum β.

2. Transeo ad librum γ. In quo quae duriores insunt productiones: 172. 217. 240. (nam eam productionem, quae est v. 40., paene leviorem esse, ex rhythmo choriambico demonstravimus §. 75, 1.), pertinent omnes ad episodium, quo continetur colloquium Priami et Helenae (145—244). Quod quidem episodium nonnullis in rebus convenit cum quadam parte libri λ Odysseae (300. sqq.) Hic autem Odysseae liber cum multis in rebus concinat cum initio libri Iliadis ψ; intelligitur idem accidere, quod accidit in productione β, 711; ut perducamur ad librum Iliadis ψ.

3. Libri υ productiones duriores (242. 255. 259.) et in eadem regione libri vicesimi inveniuntur, et recedunt ab aliis ejusdem libri partibus. Insunt autem duae priores (242. 255.) in oratione Aeneae (200—258.), quam postea demum amplificatam esse eo magis verisimile est, quod v. 213. videtur confectus esse ad similitudinem ζ, 150, et vv. 221. sqq. respiciunt similem locum ε, 265. — Restat igitur versus 259, cujus de varia lectione (σάκει ἤλασεν), a Spitznero recepta, diximus §. 95. Productio durior demonstrat eundem auctorem, qui amplificavit Aeneae orationem. Quae cum ita sint, potest duplici ratione statui. Aut enim altera lectio, σάκει ἤλασεν, antiquior est et postea demum mutata ab interpolatore; aut vera est lectio σάκεϊ ἔλασ'. Quae si vera est, patet initium hujus narrationis, quale nunc est, t o t u m confectum esse ab interpolatore orationis. Intelligitur in hac Iliadis parte majorem esse interpolationem, quae incipere videtur a versu 213, excurrere circa versum 259, qui fortasse antiquitus aliter (σάκει

φίλοισιν) legebatur. Commissurae quidem certe suspicionem dant versus 211. 212, coll. cum vv. 256. 257.

4. Paulo aliter se habent productiones duriores libri ω: 7. 154. 193. 285. 771. Harum enim nulla pertinet ad Hectoris redemtionem, quae proprie dicenda est; quae continetur vv. 468—676. Nolo ex hac re nunc concludere, sed silentio rem praeterire non potui. Efficiet certe eadem res, ut, si quaerendum erit de libris ψ et ω, altera instituatur quaestio, num quaedam pars libri ω reliquis ejusdem libri partibus sit antiquior. Quamquam enim Priami et profectio et reditus antiquitus ab hoc carmine non defuerunt, possunt tamen hae carminis partes brevius fuisse tractatae. Quae quin postea augeri potuerint et amplificari dubitari non potest.

§. 228. — Perspeximus igitur quandam librorum differentiam, quae accuratius infra definiatur necesse est. Nunc id plurimi facimus, quod ad certas quasdam et eas minores Iliadis partes, imprimis ad initium libri ψ saepius adducimur.

Jam si quarundam Iliadis partium prae reliquis propria haec fuit producendi ratio, quam duriorem vocavimus; patet nonnullis aliis locis oriri posse minoris interpolationis suspicionem.

1. Licet igitur progredi ad libri σ versum 288. Oritur ex ea re suspicio, quod inter versus sexcentos, quibus hic liber efficitur, una sola est ejusmodi productio (μέροπες ἄνθρωποι). Hanc posterioribus temporibus, quibus de producendi ratione Homerica minus constabat, confectam esse ad similitudinem notissimae clausulae μερόπων ἀνθρώπων persuasum habui, antequam quaestionem quintam absolveram. Quam quaestionem qui accuratius perlegit; non dubito, quin intellexerit Iliadis ρ versus 243—355 maximopere concinere cum principiis librorum ψ et ω, itemque cum extrema parte libri η. Cf. §. 218. Juvat hanc sententiam durior illa productio. —

2. Patet, denuo ad libri ψ initium nos esse compulsos.

Spectat autem ad easdem Iliadis partes libri φ versus 23, in quo est eadem producendi ratio atque in o, 288.

Etenim versu φ, 27. (cujus in vicinia legitur illa productio) duodecim Trojanos vivos capit Achilles, quos se immolaturum esse promiserat in eadem parte libri σ, quam modo demonstravimus: σ, 336. Commemoratur deinde eadem res ψ, 22. 175. all. Ut alia nunc omittam, nonne denuo compulsi sumus ad initium libri ψ?

3. Tertiam ponimus productionem, quae est ι, 320. Diu suspectus est locus ob characterem Hesiodeum, et postea demum additam hanc esse enarrationem verisimile est. Ergo durioris productionis natura recentior satis demonstratur. Idem accidit in versu adulterino η, 353.

4. Consistamus paulisper in libris ξ et φ, quorum modo mentionem fecimus. Videamus, num reliquarum productionum, quae in his libris insunt, similis sit natura adulterina.

a. Ut breviter dicam, in libro φ tres productiones mihi videntur esse suspectae, quae postea fortasse in librum illatae sunt; duae ita se habent, ut ab ipso pugnae deorum auctore confectae videantur. Namque versus 474. 507. omitti omnino non possunt; at versuum 283. 329. 352. ea est ratio, ut etiam his omissis optime se habeat sententia. Jam productiones eae, quae omitti non possunt (quarum tamen ea, quae est 474, dura non est vocanda) sunt in pugna deorum, quae diu suspecta est hominibus doctis. Patet igitur librum φ sensisse manum interpolatoris; cujus si propria fuit una durior productio, quidni putemus ab eodem illatas esse posse tres reliquas, quibus remotis sententia bene servatur. Nescio equidem an idem in hoc libro acciderit, quod accidisse videtur in libro ω; ut ad initium et ad finem pugnae Scamandri Achillisque additum sit poëma recentius. Quod cum versu 27. all. recurrat ad initium libri ψ, videtur una eademque ratio interpolatoris sive poetae recentioris esse in Iliadis ultimis libris. Quae ea videtur fuisse, ut breviora carmina antiquiora recen-

tior poeta addendis novis quasi membris amplificandisve antiquis brevioribus commissuris conjungeret. — Illa autem pars libri φ, quae recentioris poetae prae se fert speciem, pertinet fortasse ab initio libri usque ad versum 232. Inde usque ad versum 385. antiquius est carmen, in quo nonnulli sunt versus adulterini. Sequitur pars recentior, qua continetur pugna deorum: 385—515. Inde usque ad finem libri φ pertinet carmen antiquius, quod nonnullis interpolationibus auctum, continuatur fere per majorem partem libri χ. — Cum φ, 283. omitto etiam 282. De clausula sententiae, cf. Od. ε, 312.

b. Redeo ad librum ξ, in quo me offendi fateor productione duriore, quae est v. 208: παραιπεπιθοῦσα. Sed quaenam offensionis est causa? Ea est, quod versu 306, qui idem est atque 207, concluditur sententia neque adduntur illi versus tres (208. 209. 210.), in quibus legitur productio molesta. — Contra, quae reliquae sunt duriores productiones (92. 492.), non dubito quin ad eundem pertineant poetam, qui confecit libri ξ initium et finem. Ut ita statuam maxime me movet ea res, quod ab reliquis libri ξ partibus multum differt illa narratio, quae est de Junonis dolo: 153—353. In quam si inferri potuit major interpolatio (317—327); patet etiam minores interpolationes addi potuisse, qualis continetur versibus 208—210. Haec autem si recte disputavi, sequitur mediam partem libri ξ antiquitus non conjunctam fuisse cum ejusdem libri initio et fine.

§. 229. — Falli nos potuisse in iis, quae modo disputavimus, non negamus; intelligitur tamen permulta, quae allata sunt, optime inter se concinere. Egimus autem ita, ut, quae certiora essent, primo loco tractaremus, tum ad ea progrederemur, quae minus certa viderentur esse.

Etenim satis certa videntur esse, quae disputavimus de productionibus durioribus librorum β, γ, υ. Nec minus certa

sunt, quae diximus de libro ψ, ex quibus de quadam parte libri σ et de initio libri φ satis certo concludere licebat.

Patebat autem librorum γ et ν eas partes, in quibus duriores nonnullae productiones inveniuntur, recedere a reliquis eorundem librorum partibus, in quibus nullae sunt ejusmodi productiones. Licebat igitur concludere de interpolationibus, quae recentiore aetate, qua de antiquiore producendi usu minus constaret, illatae essent in hos libros. Sequebatur duriores productiones magis ad recentiorem aetatem pertinere, quam ad antiquiorem. Sequebatur item de reliquis libris varia ratione statui posse: aut enim de singulorum versuum; aut de totorum librorum recentiore aetate esse cogitandum; aut, quod est inter utrumque, de recentiore aetate quarundam partium eorum librorum, qui favent productionibus durioribus. Atque hoc difficillimum est judicium, in quo eo facilius falli possumus, quo magis pendet non ex singulis productionibus, sed ex aliis argumentis, quae, ut est harum quaestionum ratio, non omnia in promtu sunt.

Quae cum ita essent, audacioribus sententiis omnino abstinuimus, ea sola afferentes, quae sua sponte se offerebant. Nam de recentiore aetate totius libri ψ satis certo concludere licebat, cum ad eandem rem in extrema quaestione quinta essemus delati. De qua re cum satis constaret, certius erat de media parte libri σ judicium, quod egregie conveniebat cum iis, quae in eadem quaestione quinta de hac Iliadis parte disputaveramus. Sequebatur simili modo de initio libri φ, itemque de majore parte libri ω esse statuendum. — Item de duobus locis libri ξ facile potuit statui, quorum alter interpolationis speciem aperte prae se ferret.

Contra paulo audacior ea est sententia, quam tulimus de reliquis partibus libri φ, quam nunc omittimus.

Sequitur autem ex iis, quae modo disputavimus, singulas eas productiones, quae §. 226. allatae sunt ex libris α (45), μ (149), ν (605), interpolationis dare suspicionem. Contra in

libris ι, λ, ο tanta est harum productionum, quae non nimis longo spatio inter se distant, frequentia, ut ineptum sit de singulis interpolationibus cogitare.

Inter hos libros medii sunt ii, qui rarius praebent ejusmodi productiones. Satis est in praesentia breviter indicavisse de hac re, de qua, nisi aliis adhibitis quaestionibus, recte statui nullo modo potest. Statuendi autem modum rationemque jam demonstravimus; atque ex iis, quae de aliis libris certiora disputavimus, ansam confidimus nos deprehensuros ad reliqua accuratius dijudicanda satis idoneam.

§. 230. — Ceterum iis, quae de duriorum productionum origine recentiore modo disputavimus, quae quin vera sint nunc non dubitamus, rem eo perduxisse nobis videmur, ut pauca de productionibus durioribus libri χ addere liceat.

Diximus enim antiquius carmen latere in libris φ et χ, sed interpolationibus nonnullis et majoribus et minoribus amplificatum esse hoc carmen. Quae quidem sententia etsi paulo audacior est, non deerant tamen in libro φ quaedam ejus argumenta. Videtur autem eadem sententia confirmari productionibus durioribus, quae inveniuntur in libro χ. Ac primum quidem harum productionum duae non longo spatio distant (303. 307). Tum id maxime me offendit, quod hae omnes productiones (236. 303. 307.) sunt in sententiis relativis, quae ad rem accuratius describendam facillime addi poterant.

Quae cum ita sint, facere non possum quin statuam antiquitus sententias conclusas fuisse versibus 235. 300., itemque versum 307.. antiquitus defuisse. Quamquam de versu 300. ita sentio, ut putem versus 301. 302. 303. antiquitus defuisse, non versus 304. et 305. Attamen ut statuam sententiam conclusam fuisse versu 300., post quem punctum est ponendum, maxime me movet simillima ratio, quae est Odyss. ι, 312.

Jam si quid veri inest in his, quae modo disputavi, patet de antiquiore narrandi ratione epica posse concludi. Intelligitur enim admodum breviter narravisse poetam antiquissimum; minus brevitati studuisse aetatem recentiorem, id quod per se patet. Attamen inepte facerem, nisi adhiberem rem, qua firmari videtur mea sententia; demonstratur enim ea re accuratius interpolationis ratio. Etenim Odyss. ψ eadem narrandi brevitas conspicitur, si omittuntur ii versus, in quibus neglectum est digamma: 8 et 9, deinde 29. 30. 31. Qui enim fieret, ut, cum servetur digamma vocis οἶκος versibus 7. et 27., mox versu 8. in eadem voce, versu 29. in voce ᾔδεεν aperte digamma negligatur? Vides igitur utrumque, quod animadvertitur in interpolationibus libri Iliadis χ: et antiquam narrandi brevitatem et recentioris aetatis amplificandi rationem.

§. 231. — Similis videtur esse ratio productionis durioris, quae invenitur in libro ρ: 196.

Neque enim dubito quin versus 193—197. initio defuerint et versu 192. antiquitus conclusa fuerit sententia. Confiteor de majore interpolatione me olim cogitasse, quam putabam contineri versibus 140—287. (cf. §. 217). At huic sententiae non solum digammi ratio, sed tam multa obstant alia, ut in eo, quod modo demonstravi, consistendum sit.

§. 232. — Eadem productionum duriorum paucitas offertur in libro τ: 35. 400. Movetur igitur eadem suspicio.

1. Atque de versu 35. in praesentia breviter dicere licet. Potest quidem omitti. Nam vel omisso hoc versu omnia bene procedunt, quae sequuntur.

2. Nec dubito quin antiquitus totius rhapsodiae finis fuerit versus 398. Insunt enim in iis, quae sequuntur (399—424), multa sane molesta, itemque multa ex superioribus rhapsodiis recepta. Quae cum ita sint, licet dubitare, num

recte de versu 421. conjectura sanando disputaverim §. 197, 2. — Ceterum ex sola productione (400), quam non durissimam esse ipse supra demonstravi, non certo de hac re judicari posse, facillime concedo lectoribus. Juvabat tamen rem attingere.

§. 233. — Hactenus abstinui libris δ et ε, quoniam erant, quae certiora viderentur. Liceat nunc audaciorem proponere sententiam.

Etenim ea productio, quae est δ, 155, cum durior vix habenda sit, restant duae duriores: 321. 338, quae sunt in Agamemnonis cohortatione. Atque de 321. egimus §. 94. extr.

Item in priore parte libri ε, quae est satis magna (1—499), durior quidem nulla invenitur productio. Nam de 359, quam productionem eadem excusatione uti diximus, quae valet in δ, 155, egimus §. 94. extr.

Constat praeterea ex §. 207. extremam partem libri δ propter neglectum quarundam vocum digamma recentiore tempore videri esse confectam.

Jam quid sequitur? Ut breviter dicam, putaverim unum et continuum carmen antiquum subesse, quod quin multis partibus a poetis recentioribus auctum sit et amplificatum non dubito. Librorum β et ζ in praesentia non habeo rationem. Restat igitur ut addam, antiquum carmen brevius mihi videri incipere a principio libri γ In quod carmen primum ea illata est interpolatio, quae demonstratur productionibus durioribus (172. 217. 240): intelligo colloquium Priami Helenaeque, quod continetur versibus 146—244. Tum inde a versu 245. denuo apparet carmen antiquum; nonnullis tamen fortasse ita mutatis, ut interpolationis haberetur ratio. Certe in eo offendo, quod ad portas Scaeas currus Priamo instruitur, non in regia. Ideo carmen antiquius pertinere videtur inde a γ, 245. usque ad δ, 222. Sequitur deinde pars recentior, quam demonstrant

productiones duriores (δ, 321. 338); mitto enim nunc eam quaestionem, num vel haec pars etiam recentiore poemate aucta sit. Apparet denuo carmen antiquum inde ab initio libri ε, unde pertinet ad ε. 448. Sed ne hoc quidem versu antiquum carmen finitum fuisse mihi admodum verisimile est; supersunt fortasse alia ejusdem carminis sparsa membra in iis quae sequuntur. Nolo de hac re in praesentia quaerere. Quare id unum addo, certo quodam vinculo has antiqui carminis partes contineri. Pandarum me dicere ipsi lectores intelligunt. Qui quidem vir ut foedus in libro γ factum rumpit in libro δ, ita merita poena afficitur in priore parte libri ε.

Restant autem quaestiones difficillimae: quomodo de interpolationibus, quas dixi, statuendum sit? quomodo de reliquis partibus libri ε? denique quomodo de libris ζ et η? qui, etsi idem videtur esse in iis narrationis tenor, tamen multis in rebus discrepant ab antiquo illo carmine, quod diximus servatum esse in libris γ, δ, ε.

§. 234. — Jam eo rem videbimur perduxisse, ut appareat differre inter se majores quasdam Iliadis partes; quarum quae sint recentiores, favere productionibus durioribus, quae sint antiquiores ejusmodi productionibus fere egere.

Caput secundum.

De vocibus encliticis in vocales longas seu diphthongos desinentibus, item de καί, ante vocales initiales in arsi male productis.

§. 235. — Priusquam denuo agam de his vocibus, monendi sunt lectores ut bene teneant ea, quae de licentia the-

sium firmarum disputavimus vol. I. pag. 77. Teneant vero etiam quod diximus pag. 75. de καί in thesi producto; haec enim productio utique damnanda est: §§. 6. 47, pag. 55.

Restat ut de mala productione agam, quae arsi videtur juvari. Huc pertinent ex locis in praefat. vol. I. pag. XXXVI. allatis:

β, 813: ἤτοι.
δ, 237: ἤτοι.
η, 433: πω.
θ, 529: ἤτοι.
κ, 291: μοι.
μ, 141: ἤτοι. — 320: καί.
ο, 290: καί.
σ, 47: καί.
φ, 360: μοι.
χ, 12: ἤτοι. sive τοι (i. e. δή τοι).
ψ, 7: πω.
ω, 60. 570: καί — 716: μοι.

Hae igitur productiones (excepta tamen voce καί) si essent in thesi, licentiam metricam diceremus et de hiatus altero genere cogitaremus, quod attigimus in Appendice pag. 77. vol. I. Sunt tamen in arsi; quo efficitur, ut a solita producendi ratione Homerica has productiones discrepare intelligamus.

Atque de ο, 290. ω, 570. σ, 47. μ, 320. cum egerimus in §. 60; nunc id primum ponimus, libri σ versus 39—49, propter characterem Hesiodeum jam dudum suspectos, eo confectos esse tempore, quo de Homerica producendi in hiatu ratione non constabat. Cf. §. 127, 3. Licebit fortasse de auctore horum versuum conjecturam proponere.

Nam nisi omnia me fallunt, idem horum versuum est auctor, qui η, 433. ψ, 7. in hiatu male producit particulam πω. Fieri quidem non potest, quin, qui Quaestionis quintae paragraphos 209. 218. 220. perlegit, intellexerit illatam esse

in librum σ majorem interpolationem (vv. 243—355. dico), quae multis in rebus concinat et cum ultima parte libri η et cum libro ψ, in quibus Iliadis partibus eadem est ratio digammi. Ad eundem vero poetam versus σ, 39—49. referre hoc minus dubito, quod in Odysseae libro undecimo et καί male producitur (113. 161. — cf. §. 60. pag. 74.) et πω (v. 52), ut appareat utrumque poetae facere licuisse, cui licuerit facere alterum utrum.

§. 236. — Statuimus igitur simul de πω, producto η, 433. ψ, 7.; et aut eundem agnovimus poetam recentiorem, aut idem tempus recentius. Nam pro πω legendum esse πως, licet varia sit Odyss. ϑ, 558. lectio, nullo modo contenderim.

Hinc de aliis nonnullis locis licet concludere. Constat enim ex primo hujus quaestionis capite, eum poetam, qui confecit σ, 243—355., librum ψ, libri φ quandam partem, favere durioribus productionibus syllabarum brevium, cf. §§. 207. sqq. Hoc si recte demonstravimus, sequitur hinc concludi posse de β, 813. δ, 237. ω, 716. Demonstravimus enim duriores syllabarum finalium brevium productiones in iisdem Iliadis regionibus imprimis inveniri (cf. §. 207. — Sunt loci libri β: 711. 781. 824. 832. — δ, 321. 338. — ω, 771.) Eae certe quidem sententiae, quas tulimus de extremis partibus librorum β, δ, ω (cf. §§. 207. 233. 227.) egregie confirmari videntur hac, quae est in hiatu, vocum ἤτοι et μοι productione. Videntur igitur hae Iliadis partes et ipsae convenire cum libro ψ, in quo et ejusmodi productionem (v. 7.) et duriores productiones syllabarum finalium brevium animadvertimus. Quae cum ita sint, non dubito quin recte statuerim de δ, 222. in paragrapho 233. Dixi enim recentius carmen post versum δ, 222. esse insertum.

§. 237. De ω, 716. modo egimus. Restant duae in eodem libro vocis καί productiones: vv. 60. et 570. Cf. §. 60,

pag. 74. Certum est igitur, hos versus antiquissimo quidem tempore non esse confectos. Sed utrum major quaedam pars, an pauci tantum versus pertineant ad poetam recentiorem, pro ratione nostrae quaestionis nondum potest existimari.

§. 238. — Item vocis καί illa productio, quae est ο, 290, etsi facillima conjectura removeri potest (cf §. 60, pag. 73.), potest tamen etiam pertinere ad ipsum auctorem (prioris certe partis) libri ο. Insunt enim in hoc libro quinque productiones syllabarum fin. brevium duriores (175. 275. 280. 404. 478.), quas saepius concinere cum iis, de quibus nunc agimus, productionibus modo demonstravimus.

§. 239. — Transeo ad vocem ἤτοι, productam libr. θ, 529. Sed nonne durissima illa productio, quam §. 225, 1. demonstravimus, in eadem libri θ extrema parte v. 556. invenitur? Est igitur quaedam inter utramque rem necessitudo. De qua quo diutius cogito, eo magis suspicor etiam extremam partem libri octavi pertinere ad eum poetam, qui majorem illam interpolationem (243—355.) intulit in librum σ. Quae interpolatio propter digammi neglectionem nos convertit ad extremam partem libri η; in rebus autem, quae narrantur, concinit et cum libro ψ, et cum quadam parte libri φ (cf. §§. 218. 228, 4, a.); duriore denique productione (σ, 288.) eandem convenire vidimus cum libro φ et cum libro ψ (cf. §. 228. 1, 2.). Postremo intelleximus ex §. 236. eandem esse in hiatu productionem vocis πω in extrema parte libri η et in principio libri ψ.

Jam ut redeam ad extremam partem libri θ, patet primum duriorem illam productionem, quam ex versu 556. attulimus, convenire cum durioribus productionibus, quae sunt in libris ψ, φ, σ. Apparet deinde productionem vocis ἤτοι non discrepare a productione vocis πω, quae est η, 433. ψ, 7. Nec digammi usus differt ab illis libris; nam neque ἄλλῳ, neque

Ἴλιος, neque ἐρύω in hac parte libri θ a digamma incepisse demonstrari potest: cf. versus 499. 551. 561. et §§. 61. b. 66, b. Jam cum extremam partem libri θ intelligam eam, quae est 489—565; intelligitur paene idem esse hujus partis initium, quod est σ, 243. 245., coll. η, 345. Patet his omnibus locis concionum Trojanarum rationem haberi.

§. 240. — Haec si veritatis prae se ferunt speciem, patet etiam malas illas productiones, quae sunt φ, 360. et χ, 12, fortasse ad eundem poetam recentiorem posse referri. Nam in his libris multa ad recentiorem aetatem spectare et supra §§. 228, 4. et 230. ex durioribus nos demonstravimus productionibus et ipsi lectores sua sponte intelligunt, modo concedant librum ψ recentioris aetatis esse. Quod qui concedit, fieri non potest, quin perspiciat tam arcte conjunctum esse librum ψ cum superioribus libris duobus, ut hi superiores multis partibus recentiori poetae, qui novum carmen illis subjunxit, necessario et mutandi fuerint et vere sint ab eo mutati.

1. Atque de nonnullis versibus a recentiore poeta in librum χ illatis supra diximus §. 230. Demonstravimus ibidem antiquiorem narrandi brevitatem, quae, quo magis ad Hectoris mortem ruunt in hoc libro omnia, eo magis hunc librum decet. Videant lectores, quae de comparationum brevitate §. 11. scripsimus. Quae cum ita sint, non dubito, quin versus 11. et 12. antiquitus defuerint. Immo etiam aptius versum 10. excipit per asyndeton versus 13. Si recte statuimus, eadem est orationis forma, quam eximendis versibus 301. 320. 303. restituimus. Nolo quidem hoc loco plura addere, sed silentio praeterire non possum illud εἰς ἄστυ ἀλῆναι etiam in interpolatione libri σ (278. 288.) admodum decantari. Recurrit similis dictio etiam ω, 662, in quo libro paulo infra eum locum invenis malam productionem vocis μοι: v. 716.

2. At de φ, 360. multo difficilius est judicium, nec de hoc versu mihi satis constat. Tota enim illa narratio, in qua legitur mala productio, tam egregia est, ut de recentiore aetate totius narrationis cogitare non ausim, cum in recentioribus, quas dixi, Iliadis partibus haud pauca frigeant. Superest ut de singulis versibus a recentiore poeta illatis statuam. Nescio tamen, utrum, conjunctis versibus 356. et 361, antiquitus fuerit: καίετο δ' ἲς Ποταμοῦ, ἀνὰ δ' ἔφλυε καλὰ ῥέεθρα; an, quod magis placet, solus versus 360. scribendus sit ἄοτεος ἐλάσαι. τί ἐμοὶ ἔριδος καὶ ἀρωγῆς;. Ineptum quidem hoc loco ἐμοί non est, cf. υ, 179. σ, 182.

§. 241. — Pergo ad κ, 291, quo loco producitur μοι. Scimus quidem in hunc librum multa postea esse illata, cf. §. 211., et offendimus in eo, quod Minervae nihil vovet Ulixes v. 278. sqq., magna sacra vovet Diomedes; quodque idem Ulixes Minervae v. 571. ἱρὸν ἑτοιμάζεται, at de Diomede nihil additur. Constat deinde vota Diomedis 292—294. eadem esse, quae sunt Nestoris Odyss. γ, 382. Attamen de minore interpolatione non statuerim. Imo cum hic libri κ locus conveniat cum δ, 370. sqq., ubi recentiorem poetam aperte deprehendimus: licet statuere totum librum undecimum, cum et ipse videatur recentior, eo tempore esse confectum, quo antiqua producendi ratio et accuratior versuum structura in eo essent ut evanescerent, id est quo sensim negligerentur.

§. 242. — Restant productiones libri μ.

1. Atque vocis ἤτοι productio, quae legitur μ, 141., est in eadem libri regione, in qua versu 149. duriorem invenimus productionem ὕπαι Quae quidem res uti per se movet interpolationis suspicionem, ita tota illa narratio suspicionem admodum auget. Celebratur enim virtus Leontei et Polypoetis. At quibusnam Iliadis regionibus horum virorum fit praeter hunc locum mentio? Ita qui quaerit, inveniet utrumque ho-

minem in libro ψ, quem librum quasi patriam duriorum productionum esse et ex primo hujus quaestionis capite et ex hoc ipso capite secundo cognovimus. Haec est quasi leonis illa spelunca, quam dicit Horatius, quo omnia ferunt vestigia. Qua quidem re eo magis gaudeo, quod, priusquam ad hanc paragraphum scribendam me accingerem, omnino non cogitaveram intercedere quandam inter hunc libri μ locum et librum ψ necessitudinem. Quae cum ita sint, apparet etiam magis omnia confirmari, quae supra multis locis disputavimus; et totam nostram quaerendi rationem admodum probari. Namque Leonteus commemoratur ψ, 837. sqq., Polypoetes ψ, 836.

Praeterea Leontei mentio fit β, 745, id est in ea parte libri β, quam productionibus durioribus excellere supra demonstravimus.

Patet igitur totam hanc libri μ narrationem redolere eundem auctorem, quem multis Iliadis regionibus interpolatorem cognovimus.

Quae cum ita sint, sequitur etiam initium libri ζ, ubi v. 29. Polypoetes commemoretur, merito suspectum videri. Cf. infra §. 246.

2. Transeo ad versum 320, de quo egi Vol. I. pag. 76. De hac regione libri μ multa disputavi §. 213. Intelligitur prae reliquis Iliadis partibus hanc esse suspectam, quamvis de ipso interpolationis ambitu nondum constet. Quare in praesentia id unum addo, Menesthei mentionem (v. 331.) recurrere ad δ, 338, in quo versu durior est productio, cf. §§. 226. 233.

---

§. 243. — Intelleximus igitur maxime inter se convenire eas productiones, quas primo hujus quaestionis capite demonstravimus, et eas, de quibus in secundo hoc capite modo

egimus. Atque eadem est utrarumque ratio: sunt enim terminationes aut sua natura levissimae aut versuum sedibus minime ad productionem aptae. Quae ubi producuntur, adeo necesse est augeatur caesurarum et arsium vis, ut aequalis versuum decursus, qualis decet modestam antiquioris poesis epicae rationem, turbetur atque interrumpatur. Hac enim re efficitur ea, quam saepius diximus, harum productionum durities atque pravitas.

Quae cum ita sint, patet etiam eas productiones paragraphi 226, de quibus nondum egimus, ad recentiorem aetatem esse referendas. Sed de his locis cum nondum constet, satis habeo nunc interpolationum sedes indicavisse, quae ut accuratius cognoscantur opus est aliis quaestionibus.

Sequitur vero etiam formas ὑπαί et παραί veras non esse apud Homerum, sed pertinere ad duriores productiones. Eodem pertinet ὑπειρέβαλον. Contra ὑπεὶρ ἅλα et ὑπείροχος quin excusationem habeant ex antiqua consona initiali (cf. §. 96), nondum dubito.

Caput tertium.

De quibusdam Iliadis versibus, qui utuntur malis caesuris

§. 244. — Recurrimus ad Quaestionem primam. In qua quamvis demonstraverimus etiam earum rerum metricarum, quae primo quasi adspectu pessimae videantur, esse quasdam excusationes: tamen negare nec voluimus nec potuimus, primum minus bonum esse, quod excusationem desideret, quam in quo ea non opus sit; tum quarundam rerum minus commodam esse excusationem, quam aliarum. Qua de causa

cum vel harum rerum duo sint fines, nunc quaerendum est quaenam res attingant summum finem licentiae.

Ac primum quidem agamus de iis versibus, qui, caesura semiseptenaria firmiore non insequente (de hac re cf. §. 11.) aut majore caesura pedis tertii omnino non utuntur aut infirmiore.

Huc pertinet primum versus ο, 18. (§. 24.) Adde ψ, 159. (§. 11.). —

Deinde eodem referendi sunt ii versus, quorum caesuram majorem sequitur vox enclitica in finem pedis tertii decurrens. Constat quidem, nisi vox enclitica elisione cum proxima voce conjungatur, hoc non fieri (§. 2, e. — 9.); attamen ob eam rem hi versus mali habendi sunt, quod inter voces arctissime cohaerentes recitandi quodam artificio, non solita pronuntiandi ratione, major caesura efficitur. Haec paene eadem ratio est atque qua in caesuris infirmis sola arsis vi producuntur syllabae finales breves (veluti καί in hiatu, seu vocalis brevis ante voces encliticas α, 45. ψ, 240.). Sunt autem hi versus γ, 205. 222. κ, 453. τ, 96. 416 ψ, 668. 791. Nam verbum φημί, quod majore vi interdum effertur (§. 4.), tamen τ, 96. 416. ψ, 791. non potest esse pro εὔχομαι; sed his locis, si quibus aliis, vere est encliticum. Omitto enim τ, 96. lectionem φαμεν, non minus pejorem quam ζάκοτόν τινα libr. γ, 220, (§. 9.) Quas lectiones qui invexerunt, sustulerunt omnem excusationem. Omisi etiam ε, 827.; de quo versu cf. §. 24.

Tum anastrophâ eodem modo infirma redditur caesura major in his versibus: ζ, 100. δ, 384. Cf. §. 8. — At α, 125. rectius fortasse Bekkerus scripsit ἐξεπράθομεν. Item 66. ν, 651. huc non pertinent. In his enim locis non esse anastropham benigne me docuit G. Hermannus: esse enim proprie κατὰ δεξιὸν γλουτόν, non κατὰ γλουτὸν δεξιόν, i. e. arctius, ut ita dicam, praepositionem cohaerere cum adjectivo quam cum substantivo. Restant loci δ, 97. σ, 191. (cf. §. 8.

et scholia.) Statuunt scholia non esse anastropham utroque loco. Patet tamen caesuram ante παρ' utique esse infirmam. Nam de tmesi statuere idcirco est periculosum, quod παραφέρω apud Homerum non legitur; potuit quidem in hexametro locum habere παροίσω. Differunt autem hi loci ita, ut multo firmior sit caesura δ, 97. quam σ, 191. Nam δ. 97. satis magno spatio distat praepositio ab voce τοῦ; at σ, 191. non distat. Sequitur versum δ, 97. vix esse vituperandum; σ, 191. esse satis molestum. — Ut ad rem redeam, non nego firmiorem quidem esse ante praepositionem in anastropha positam caesuram, quam, quod modo demonstravimus, ante voces encliticas. Sed admodum firmam hanc esse caesuram nec putabit quisquam; et, si major est firmitas, minor est excusatio in ζ, 100. δ, 384., quam quae γ, 205. 220. peti potest ex elisione. Est igitur idem recitandi artificium.

Postremo huc pertinent fortasse ν, 556. et τ, 45., quibus locis et infirmior est post praepositionem caesura, et, insequente diaeresi quarta debilitatur caesura semiseptenaria.

Hi sunt igitur versus, quorum infirmissima est pedis tertii caesura major. Ad hos prope accedere alios, veluti ι, 206 ν, 389. 471. 402. (§. 24.), non nego. Sed hos vix vituperaverim, cum, si fieri potest, in caesura majore vox retineatur. Hanc ob causam locorum §. 31. allatorum rationem nunc non habeo; nec de ν, 556. nisi dubitanter disputavi.

§. 245. — Ex versibus, qui utuntur caesura trochaica pedis quarti, summum finem licentiae attingunt ii, qui post caesuram trochaicam pedis tertii neque semiseptenariam habent caesuram neque seminovenariam. Cf. §. 25. d. extrem. Sunt autem hi: λ, 686. 698. ψ, 587. 760. Omitto nunc ι, 39, ubi Bekkerus restituit lectionem γυναῖκά γε μάσσεται. Omitto item eam versuum formam, quam demonstravi §. 39, b.

§. 246. — Postremo ad id recurrendum est, quod in extrema paragrapho 43. diximus, molestissimam esse eandem versuum clausulam. Sunt enim quaedam Iliadis regiones, quae hoc laborent incommodo metrico, ut multi versus deinceps desinant in amphibrachyn.

Ita se habet primum locus ζ, 72—90, quae summa est versuum undeviginti. Ex his in amphibrachyn desinunt septemdecim.

Item μ, 253—279. in amphibrachyn desinunt versus undeviginti, et 330—350. versus quindecim.

Eodem modo in amphibrachyn cadunt duodecim versus τ, 78—93. Atque hunc quidem locum cum vidissem; fieri non potuit, quin forma ἐββάλλειν, quae legitur v. 80, adducerer ad ἀππέμψει Odyss. ο, 83. Animadvertitur autem eadem clausularum ratio Odyss. ο, 8—24, quo loco amphibracho concluduntur versus tredecim.

Possunt quidem praeter hos locos etiam alii esse in Iliade, qui simili vitio laborent. Qui si sunt, me fugerunt; erunt tamen perpauci. Nunc quidem in eo consistendum est, quod invenimus.

§. 247. — His autem omnibus ex ordine librorum congestis efficitur hic malorum versuum conspectus:

γ, 205. 222.

δ, 384.

ζ, 72—90. 100.

κ, 453.

λ, 686. 698.

μ, 253—279. 330—350.

ν, 556. (?).

ο, 18.

σ, 191.

τ, 45. (?). 78—93. 96. 416.

ψ, 159. 587. 668. 760. 791.

Quem si quis confert cum iis, quae de quibusdam Iliadis partibus recentiore aetate confectis supra disputavimus; inveniet his malis versibus easdem partes designari.

Nam de γ, 146—244. egimus §§. 227, 2. 233.; de posteriore parte libri δ §§. 207. et 233; de libro ψ §§. 218. 235. 236. all.; de τ, 399—424. §. 232.

§. 248. — Restat igitur, ut quaeramus de locis iis, qui pertinent ad libros ζ, κ, μ, ν, ο, ad priorem partem libri τ.

Atque libri ζ quidem ea pars, quae est circa Diomedis Glaucique colloquium, versu 29. respicit Polypoetem, cujus, nisi in libris μ et ψ, nulla fit mentio. Cf. §. 242. 1. Compellimur igitur denuo ad librum ψ, qui et malis versibus excellit et malis productionibus. Vidimus item eam partem libri μ quae est 108—195, duabus malis productionibus esse insignem, cf. §. 242, 1. Accedit nunc, quod eadem clausularum pravitate inter se conveniunt ζ et μ.

Constat autem quandam esse inter duas res similitudinem, si earum utraque conveniat cum tertia re. Quare libro Odysseae ο nunc non possum abstinere. Conveniunt enim quodammodo Iliad. ζ, 288. sqq. et Odyss. ο, 104. sq. Convenit vero etiam clausularum pravitas, quae est Odyss. ο, 8—24, cum Iliad. ζ, 72—90. Jam cum Odyss. ο versu 83. concinat cum Iliad. τ, 80. (quod supra §. 79. extr. propter ὑββάλλειν et ἀπτέμψει addidimus); eademque clausularum pravitas appareat in Iliad. libro τ et in Odyss. libro ο; patet magis etiam confirmari eam similitudinem, quae non solum est inter Iliad. ζ, 72—90. et Iliad. τ, 78—93; sed etiam inter versus Iliad. ζ, 100. et τ, 96. 416.

Sed pertinetne fortasse haec similitudo vel ad librum Iliadis μ? Putaverim ego. Est enim alter Odysseae locus, qui excellat eadem clausularum pravitate: Odyss. ν, 53—85, ex quibus versibus amphibracho concluduntur viginti quatuor.

Atque Odyss. ν, 200— 216. duodecim versus ita desinunt. Sed quid hoc ad Iliadis librum μ? Primum eadem fere dictio est Odyss. ν, 198. 199. et Iliad. μ, 162. 163. (cf. §. 215, 2). Tum et Odyss. ν, 215. et Iliad. μ, 333. ea est ratio, ut utroque loco digamma vocis ἴδον conjectura restitui non possit. Accedit nunc malarum clausularum similitudo.*)

De his rebus quomodo recte statuendum sit, nondum scio. Aut enim ad recentissimam aetatem interpolationes quaedam pertinent majores, aut multis singulis locis antiquius mutatum est carmen.

§. 249.— De o, 18. egimus §. 24, versusque formam hoc uno loco excusavimus. Attamen vel hoc modo eam esse insolitam, negari non potest. Huc accedit, quo magis movetur suspicio, quod et liber o eodem modo durioribus sive malis productionibus abundat atque liber ψ (cf. §§. 225. 236.) et in eodem libro bis invenitur eadem fere dictio, quam ex suspectis locis librorum Odyss. ν et Iliadis μ superiore §. attulimus. Intelligo o, 114. 398. (cf. §. 215, 2.). Nisi plus concedendum erit, id certe negari non poterit, eundem videri esse horum librorum interpolatorem. **)

§. 250. — De libris $\varkappa$ et ν et σ nunc taceo. Patet $\varkappa$, 453. concinere cum ea versuum forma, quae est γ, 205. 220. ψ, 668. De interpolatione non cogitaverim.

*) Ex hac re infra concludere non sum ausus. Nolui tamen mutare quae hic scripsi, ex quibus fortasse aliquando concludent homines doctiores. Mirabilis est sane res.

**) Vide quae dixi in annotatione ad superiorem paragraphum. Id quidem efficitur his rebus, ut statuamus hos omnes libros ab eodem interpolatore esse mutatos, quamvis eum auctorem esse majorum carminum non contenderim.

De ν, 556., si vere malus est versus, disputabo, ubi plura congessero. Patet vicinam esse malam productionem versus 605. — Cf. §. 287.

Caput quartum.

De syllabis finalibus brevibus, quae in consonas literas desinentes producuntur in thesi ante digamma initiale. Item de his syllabis correptis ante digamma vocis οἷ in thesibus firmioribus, prima et quarta.

§. 251. — Constat ex iis, quae supra disputavimus, digamma medium esse inter literas consonas et vocales, sed firmiorem tamen esse hanc literam in pronomine personae tertiae. Inde factum est, ut producerentur ante hoc pronomen interdum in thesi syllabae breves in consonas literas desinentes. Patet hujus productionis finem ibi attingi, ubi ea est in thesibus infirmis; i. e. in thesibus secunda, tertia, quinta.

At cum infirmius sit digamma radicis *Fιδ*-, patet vel in thesi firmissima ejusmodi productionem eodem loco esse habendam atque eam, quae ante illud pronomen est in thesibus infirmis.

Jam si quis quaerat, quinam alter sit ejus rei finis, respondeo eum esse sicubi in thesibus firmioribus (prima et quarta) corripiantur ejusmodi syllabae ante pronomen personae tertiae.

Quae cum ita sint, quod medium est inter utrumque finem, omnibus libris sequitur relinquendum esse. Vel ut apertius dicamus: licuit poetis corripere ante οἷ, εὗ, ἕ ejusmodi syllabas in thesibus infirmis; ante *F* radicis *Fιδ*- corripere licuit in omnibus thesibus, etiam firmissimis. Atque ex

altera parte licuit poetis omnibus (i. e. toti ei aetati, qua confecta sunt carmina Homerica) producere in thesibus firmis ejusmodi syllabas ante pronomen personae tertiae.

Sequitur, si ex hac re aetatis antiquioris recentiorisve peti possunt argumenta, ad antiquiorem aetatem pertinere eas productiones, quae sunt ante οἷ, εὗ, ἕ in thesibus infirmis; et omnes eas, quae sunt ante *Fιδ-*. At quae sunt correptiones ante οἷ, εὗ, ἕ in thesibus firmissimis, hae produnt aetatem recentiorem.

Enarramus locos ex §§. **154.** et **161.**, quibus addimus conjecturas certiores duas, a nobis propositas.

Libbr.	Productio in thesi.	Correptio.
α	548. εἴσομαι (? 3. — cf. §. 189, 4).	
ε	695. οἷ (3).	
ζ	157. οἷ (2) — 367. οἶδα (? 1. — §. 194)	90. 289. οἷ (1).
ϑ	190. οἷ (2).	
ι	377. εὗ (2).	
κ	129. οἷ (2).	
λ	792. οἷ (2).	
ξ	166. οἷ (3).	
ο	403. οἷ (2).	
π	460. οἷ (3).	
ϱ	142. εἶδος (1). — 324. 699. οἷ (3. 2).	
φ	570. οἷ (2).	
χ	438. οἷ (2).	
ψ	. . . .	865. οἷ (4).

Sequitur denuo suspicionem eam augeri, quae erat de recentiore aetate et libri ψ et ejus narrationis, quae legitur ζ, 1—118. et 237—312., in quam mediam insertum est Diome-

dis Glaucique colloquium. Quo in colloquio invenitur in thesi infirma ante digamma talis productio, nec nulla est correptio.

Locus o, **403**. non multum valet, cum repetitus sit ex λ, **792**. Ergo de antiquiore hujus regionis aetate hinc non licet concludere. *)

---

*) Lectorum gratia addimus productiones eas, quae sunt ante οἷ in thesi firmiore,et eas correptiones quae sunt in thesibus infirmis.

Libbr.	Productiones.	Correptiones.
β	. . . .	665 (5. — ? §. 161.)
ε	7 (1).	338 (3).
ζ	194 (1).	101 (2).
ι	131 (1). 392 (1).	. . . . .
λ	543 (1).	339 (5. v. l.)
μ	108 (1).	. . .
ν	. . . .	561 (2).
ξ	521 (1).	162 (5).
ο	183 (1).	. . . . .
π	. . . .	735 (3).
υ	. . . .	282 (2).
φ	547. 586 (1).	. . . . .
ω	. . . .	53. 72 (5).

Intelligitur ex hac tabula, nullam omnino ac ne leviorem quidem ejusmodi productionem inveniri in librorum ζ et ψ iis partibus, quae correptionis finem attingunt.

Additur tabula

qua ex ordine librorum continentur ea, quae minus bona esse quatuor capitibus superioribus demonstravimus.

Numero 1 demonstrantur productiones duriores.

2 „ „ malae productiones vocum encliticarum et particulae *καί.*

3 „ „ molestiores caesurae.

4 „ „ correptiones, quae sunt ante *οἱ* in thesibus firmissimis.

Libbr.	1.	2.	3.	4.
α	45.	. . . . .	. . . .	
β	711. 781. 824. 832. .	813. . .	. . . .	.
γ	(40). 172. 217. 240. .	. . . . .	185. 205. 222. . .	.
δ	(155). 321. 338. . . .	237. . . .	364.	. .
ε	(359). 499. 576. 745. 837. 887.	. . . .	580.	. .
ζ	. . . .	. . . .	72—90. 100. . .	90. 289.
η	. . . . . (.353 spur.)	433. . .	. . . .	. . .
θ	389. 556.	529. . .	. . . .	. . .
ι	. . . .	. . . .	134.	. . .
κ	. . . .	291. . .	317. 453. . . .	. . .
λ	233. 330. 378. 417. 793.	. . . .	154. 686. 698. . .	. . .
μ	149.	141. 320	253—279. 330—350.	. . .
ν	605.	. . . .	556.	. . .
ξ	92. 208. 320. 492. . .	. . . .	. . . .	. . .
ο	175. 275. 280. 404. 478.	290. . .	18.	. . .
π	228. (269). 373. (556).	. . . . .	. . . .	. . . .
ρ	196.	. . . . .	719.	. . .
σ	288.	47. . .	191.	. . .
τ	35. (400).	. . . . .	45. 78—93. 96 416.	. . .
υ	242. 255. 259.	. . . .	186 ex mea conjectura	. . .
φ	23. 283. 329. 352. (474). 507.	(360. corrig.)	. . . .	. . .
χ	236. 303. 307.	12. . . .	. . . .	. . .
ψ	132. 240. (602). 637. .	7. . . .	159. 587. 668. 760. 791.	865.
ω	7. 154. 193. 285. 771. .	60. 570. 716.	526. 753. . . .	. . .

Caput quintum.

Comparantur hymni Homerici, qui sunt in Venerem et in Cererem.

§. 252. — Utrum recte an incaute de recentiore quarun-

dam Iliadis partium aetate statuerimus ut existimari possit, juvat conferre duos hymnos Homericos. Verisimile est enim non omnes hymnos eodem aut tempore aut loco confectos esse. Horum si qui sunt, qui eodem modo inter se differant, quo quasdam Iliadis partes inter se differre modo demonstravimus; patebit nostram quaerendi rationem haud inutilem fuisse. Agamus igitur

1. de hymno, qui est in Venerem,

in quo multa inesse antiquioris aetatis vestigia haud sine justa causa dixit Hermannus, cujus editione in citandis versibus utimur.

§. 253. — Ac digamma quidem servatum est in his vocibus:

1. In voce οἱ. Confer hiatus, qui sunt 10. 53. 59. 63. 165. 211. 236. Adde ὅππῃ productum in thesi 209. Omitto brevem syllabam finalem, quae in consonam literam desinens in thesi producitur 9; conjectura est enim Hermanni.

2. ἑ. Hiatus est 268.

3. ἁνδάνω. Hiatus, qui est 10. in caesura pedis tertii trochaica, propterea magni momenti est, quod praevalet caesura semiseptenaria. Cf. §. 66, a.

4. Eodem modo se habet ἅλις, 140.

5. De ἔργον cf. hiatum vers. 1., et καὶ productum in thesi quarta vers. 10. — Mitto 11. et 15.

6. ἕκαστος. Cf. versus 15. 213.

7. ἐθέλῃ: 229.

8. ἕκητι: 148.

11. ἕννυμι: 286. καταειμένος. Mitto 64. et 172.

12. Fιδ-: 182. 206. 208. nihil efficiunt, nec 41. probat digamma vocis εἶδος. At 43. 56. 90. 168., item καί productum in thesi ante εἶδος: 82., digamma vocis demonstrant. —

Omisi productionem syllabae finalis brevis, in consonam

literam desinentis, quae esset in thesi ante ἵστο, nisi magis placeret ἵϝστο.

§. 254. — Desunt certa digammi argumenta in

1. ἄναξ: 92. 112.
2. ἔοικα: 154. 220.
3. ἀποεργμένη: 47.
4. Ἴλιος: 281.
5. οἶνος: 205.

Nec tamen quominus digamma valuisse statuamus impedit quidquam.

§. 255. — Conjecturis facillimis restitui potest digamma his locis:

1. Versu 6. legi potest πᾶσι δὲ ἔργα. Hoc moneo contra Hermannum (ad. v. 86.).

2. Verss. 44. 134. κεδνὰ ἰδυῖα all. Cf. §. 202. — V. 182. lege δὴ ἴδεν.

3. Versu 136. ἀλλὰ ἰκυῖα (collat. significatione vois αἰκῶς).

4. Versu 165: ἰδὲ εἵματα pro ἠδ' εἵματα. Eadem mensura vocis ἰδέ apparet Iliad. σ, 589.

5. Versu 170. lege βοῦς καὶ ἶφια, deleta particula τε.

§. 256. — Item versibb. 85. et 233. corrigi potest lectio vulgata. Cf. Hermann. ad versum 86. Praestat tamen versum 85. pro adulterino habere, ut versu 84. eadem sit sententiae clausula, quae est Iliad. ψ, 728. 881. — Alter versus, 233, pertinet ad interpolationem, quam infra demonstrabimus. Nescio igitur num recte corrigatur

σίτῳ τ' ἀμβροσίῳ, καὶ εἵματα rell.

Vox εὔαδε versu 9. recte eget digamma, cum incipiat ab augmento: ἔϜαδε.

Contra vocis ἕλιξ digamma versu 164. aperte neglectum est. Sed esse potest versus adulterinus, quem eodem modo vidimus Iliad. σ, 401. Cf. §. 218, 3.

§. 257. — Productiones vero brevium syllabarum eae, quas Homericas dicere consuevimus, paene omnes nituntur non solis arsibus, sed aliis adjumentis.

Etenim tres sunt ante digamma vocum ἐσθής, 140; οἱ, 163; ἔπος, 185. — sex sunt ante voces, quas antiquitus a binis consonis incepisse in quaestione tertia demonstravimus: ante μέγας, 26. 85. Ῥεῖη, 43. νέφος, 67. νύμφη, 119. μέγαρον, 232.

Restant productiones tres, de quibus vario modo statuendum est. Primum enim παραὶ λέχεσιν, 126, non dubito eodem modo explicare, quo ὑπεὶρ ἅλα, cf. §. 96, pag. 167. Certe ex perfecto εἴλοχα concludi potest antiquitus fuisse Fλέγω (σλ?). Deinde ex FέFλοχα, sive ἐέλοχα (cf. §. 104.) ortum est εἴλοχα, quod non aliter se habet quam εἴμαρμαι, de quo cf. §. 88, 1 c. — Contra versu 200. ἔσχεν ἄχος, ἕνεκα falsam esse lectionem eamque recte ab Hermanno emendatam quisque intelligit. — Superest πέμπτον ἔτος, 278. Constat autem, aut versus 275. 276. omittendos esse, aut 277. 278. Illud voluit Frankius, hoc Hermannus (cf. praefat. Herm. p. 95). Atque hic quidem ob eam rem melius statuit, quod Venerem pudet connubii, cf. versus 248. sqq., quodque versu 285. rem celare studet. Jam cum productio illa non concinat cum ea producendi ratione, quae in hoc hymno est; patet Frankium minus recte hanc productionem pro antiquiore orationis forma habuisse.

Quae cum ita sint, nulla ejusmodi productio sola arsis vi efficitur in hoc hymno. Immo abstinet ejusmodi productionibus eodem modo, quo nonus liber Iliadis.

§. 258. — Eo magis offendunt me productiones vocum τοι et ἤτοι, quae sunt in arsi hiatus: 135. 226. 231.

Constat tales productiones recentiore tempore ortas esse. Confer caput secundum hujus quaestionis.

Jam cum interpolatorem et versu 164. et versu 278. deprehenderimus, patet eandem de his productionibus oriri suspicionem.

Ac primum quidem non dubito quin versus 135. 136. adulterini sint. Horum alter omittitur in tribus codicibus Parisin. Legendum igitur:

πατρί τε σῷ δεῖξον καὶ μητέρι κεδνὶ ἰδυίῃ,
εἴ τοι ἀεικελίη γυνὴ ἔσσομαι, ἠὲ καὶ οὐκί.

Major autem ea est interpolatio, in qua insunt versus 226. 231. Haec continetur versibus 224—247., ut versu 248. ἐμοί oppositum sit voci Ἠώς (219); id quod ex consilio Jovis (47. 48.) facile intelligitur. Sunt autem praeterea quaedam suspicionis causae. Primum enim constat apud Homerum Tithonum Aurorae conjugem esse, nec mutatum in cicadam. Tum per totum hunc hymnum nunquam producitur in thesi in hiatu vocalis finalis longa diphthongusve; immo concinit vel hac in re hymnus cum nono Iliadis libro, cf. Quaest. vol. I, pag. 78. At versu 238. in tertia thesi ejusmodi est productio. Hiatum πότνια Ἠώς (224. 231.) omitto, quamvis in hoc hymno, uti in nono Iliadis libro, hiatus illicitus praeter hos locos non inveniatur. Sed hic tamen potest receptus esse ex antiquiore poesi.

§. 259. — Congestis his omnibus non dubito majorem hymni partem ad eam aetatem Homericam referre, qua confectus est Iliadis liber nonus. Interpolationem autem refero aut ad eam aetatem, qua confectus est Iliadis liber ψ; aut ad recentiorem. Insunt praeterea quidam versus adulterini. — Ceterum malas caesuras per totum hymnum nullas inveni. Hinc de antiquiore hymni aetate licet concludere.

Contra alia est ratio

2. hymni, qui est in Cererem.

§. 260. — Ac primum quidem digamma servatum est in

I. οἱ — Confer hiatus verss. 37. 46. 52. 53. 164. 191. 445. 488.: et voces δή et τοῖ in thesi productas 205. 440.

2. — Confer hiatus 338. 349. Omitto 373.

3. ἄναξ — Verss. 26. 342. Omitto 357.

4. ἔκηλος — v. 451.

5. ἔοικα — 241.

6. radice Fιδ — Confer hiatus 167. 222. 321. 385. 427. Praetereo versum 105. At versu 275. καί in thesi producitur ante εἶδος.

§. 261. — Ad has voces addimus vocem ἔπος. Quamvis enim ex versu 53. de digamma concludere non liceat: tamen qui obstant loci facillimis conjecturis sanari possunt. Etenim versu 118. legendum est ἡ δὲ ἔπεσσιν (§. 183.); v. 199. οὔτε ἔπει (§. 182); v. 320. per synizesin φωνήσασα ἔπεα (§. 178, 3.).

Item cum 302. pro οἴκαδ' ἕκαστος facillime restitui possit οἶκον ἕκαστος; non dubito quin propter digamma producatur οἱ in arsi ante Ἑκάτη vers. 52.

Item versu 172. legendum est ὡς ἴδον, et verss. 195. 202. κεδνὰ ἰδυῖα.

§. 262. — Pergimus ad eas voces, quarum digamma aut neglectum est, aut probari nequit. Huc pertinet primum

1. ἔλπις simm. Nam ex ἄελπτος (v. 219.) de digamma concludi non posse constat ex §. 141, 2. Neglecta est autem haec litera 35. 37. 213., quibus locis facilis conjectura non est in promtu.

2. ἔργον digamma aperte eget 117. 144. 351. Aliter cum statui non possit, patet hiatum πίονα ἔργα (v. 93. — Nam 199. digamma demonstrari non potest.) aut ex antiquiore poesi receptum esse (legitur ita Iliad. μ, 283.); aut factum ad similitudinem aliorum hiatuum, qui ante ἔργον haud raro leguntur.

3. Praeterea digamma vocis ἴσος non demonstratur versu 235.

4. Item digamma vocis ὅς servatum esse probare non possumus. Attamen cum hujus vocis digamma sit firmissi-

mum et versus 246, in quo neglectum est, salva totius loci sententia, omitti possit: praestat de servato digamma cogitare.

§. 263. — Concessimus igitur digamma non valuisse in vocibus ἔλπομαι rell. et ἔργον. At in vocibus Ἑκάτη, ἄναξ, ἴδον valuisse satis constat ex §. 260. sq.

Hinc de interpolatione recentiore eo certius licet concludere, quod inde a versu 430. quinque locis neglectum est harum vocum digamma: 430. 438. 440. 458. 492.

Ac primum quidem versus 438. 439. 440. jam ab Hermanno (praefat. pag. 108.) damnati sunt. Neglectum est digamma vocis Ἑκάτη 438.; vocis ἄναξ 440. Attamen vel haec interpolatio ea aetate facta est, quo valebat digamma vocis οἷ, cf. v. 440.

Altera interpolatio continetur versibus 414—432., in qua neglectum est digamma vocis ἄναξ: 430. Haec quidem interpolatio facta est ad similitudinem loci prioris (verss. 5. sqq.). Suspicionem movet non solum character Hesiodeus; sed etiam illud, quod versus 433. multo aptius excipit versum 413. (ἀκούσάν—ἀχνυμένη περ). Nec illam raptus narrationem Ceres desideraverat. Ceterum in hoc loco recentiore vel versum 424, in quo καί in thesi in hiatu producitur. ferri posse non potest negari.

Praeterea versus 458. postea demum insertus est.

Postremo aut versus 490—495. omnes, aut versus 491. 492. (hoc si verum est, versu 494. legendum est πρόφρων; quod convenit bene cum singulari ὄπαζε) interpolatorem produnt.

§. 264. — Quae cum ita sint, vel omissis recentioribus interpolationibus, patet totum hunc hymnum ad recentiorem pertinere aetatem, quam quae est hymni in Venerem.

Hoc intelligitur primum ex neglecto digamma vocis ἔργον. Sunt tamen hujus sententiae etiam aliae causae.

Namque brevium syllabarum finalium inveniuntur nonnullae productiones duriores. Ita vocalis finalis ι in hiatu producitur verss. 99. 101. 248. Item ὑπαί et παραί inveniuntur verss. 271. 336. 485. Item ea productio durior vocanda est, quae est ante caesuram semiquinariam in semiternaria, vers. 57. — Contra ex binis consonis initialibus antiquis excusationem habent productiones versuum 12. 28. 81. 115. 164. 252. 240. 253.; ex initiali digamma productiones versuum 117. 323. 336. 207. 333. *).

Postremo pessimus est versu 76. hiatus in fine pedis tertii, quem locum hiatûs impatientissimum esse saepius demonstravimus. Hac in re ab antiquiore usu recedere poemata recentiora, patet etiam ex hymno in Dionysum majore. cf. v. 38.

§. 265. — Sed ad recentiorem aetatem hunc hymnum pertinere et multis Iliadis partibus esse recentiorem, etiam aliis de causis statuendum est. Primum enim vocalis brevis ante λίσσομαι corripitur 324, cf. §. 66, 2, a. Tum offendit me illud ὣς ἔφατ', quod est 448. 316. Quod cum orationem rectam non excipiat, recedit ab antiquiore dicendi ratione epica, cf. §. 266, 3.

§. 266. — Quae cum ita sint licet concludere de nonnullis aliis rebus.

1. Primum versu 406. ferri poterit fortasse forma recentior ἐρῶ; versu 413. ἄκουσα pro ἀέκουσα.

2. Deinde statuendum est (propter versum 93.) recentiore aetate hiatum illicitum admissum esse in vocibus iis, quae antiquitus a digamma incipiebant; cf. Hermann. ad

*) Caesuras versuum 17. 213. (mitto 208. 432.) minus bonas silentio praetereo.

Orphico, pag. 689. Sequitur hac aetate omnino minus molestum fuisse hiatum illicitum, cf. verss. 76. 194.

3. Tum concludi potest hunc hymnum paene ad eandem aetatem pertinere, ad quam pertinet Iliadis liber ψ et eae Iliadis partes, quarum eadem est cum libro ψ indoles. Ita statuendum est ex productionibus durioribus, et ex dictione ὡς ἔφατ', quam ex versibus 316. 448. supra attulimus. Simili enim modo se habet oratio ψ, 855. sqq. (cf. §. 35. extr.), ubi oratio recta praeter consuetudinem epicam legitur. Solet enim ejusmodi oratio versum excipere, quo quasi introducitur sive praeparatur. Jam cum supra (§§. 242. 236. 283.) diximus multis in rebus concinere libros Iliadis ψ et μ, et libri δ partem mediam: juvat nunc addere idem inveniri μ, 342. et δ, 303. Atque utrumque, et productio durior, et eadem orationis forma eodem Odysseae loco invenitur: α, 40. 42.

Attamen his quidem libris etiam recentior est hic hymnus, quod ex neglecto digamma vocis ἔργον concluditur, cf. §. 306, 5.

4. Ceterum aliam rem facere non possum quin paucis attingam. Dixi enim §. 227, 1. esse vestigia, ex quibus concludi posset quasdam Iliadis partes in Graecia esse confectas. Designavi ibi maxime librum ψ, aliasque similes partes Iliadis. Qui liber si quibusdam in rebus concinit cum hoc hymno, patet admodum confirmatum iri meam sententiam. Intelligitur enim hunc hymnum haud dubie in Graecia ortum esse. Temere agerem, si dicerem ad poesin Hesiodeam eum esse referendum. Sed tamen, si ad Graeciam pertinet, patet vel eos poetas, qui in Graecia ad exemplum Homeri se composuerunt, facere vix potuisse, quin reciperent quaedam ex poesi Hesiodea, quae florebat in quibusdam Graeciae partibus. Mixti quasi sunt duo fluvii ex diversis regionibus orientes.

Attamen haec opinio est; quae, nisi accuratiore quaestione comprobabitur, erit damnanda.

Caput sextum.

Quaeritur, quomodo ex iis, quae supra disputavimus, statui possit de novissimo Iliadis interpolatore.

§. 267. — Juvat in principio hujus disputationis commemorare, quod paene quovis harum quaestionum loco commemorandum erat, multo saepius de verisimilibus rebus nos posse concludere quam de rebus certis. Qua ex re efficitur ut, pro harum quaestionum ratione, quae ceteris videantur esse verisimiliora, ea nos dicamus certa. Intelligunt igitur lectores, cum jam de novissimo Iliadis interpolatore agamus, eum a nobis dici, qui, quantum ex his quaestionibus concludi possit, reliquis interpolatoribus sit recentior. Intelligunt iidem de Pisistrati sociis nos vix cogitare.

Atque digamma initiale paulatim evanuisse, nec in omnibus vocibus eodem temporis vestigio deletum fuisse et nos supra demonstravimus et linguarum historia comprobat. Hinc concludere licet, carmina, quae Iliade, qualis nunc est, continentur, pertinere ad quatuor tempora digammi inter se diversa.

Ad primum tempus et id antiquissimum referendae sunt fere eae Iliadis partes, in quibus quin valuerit o m n i u m vocum, quas in quaestione quarta demonstravimus, digamma dubitare non licet. *)

Alteram aetatem, recentiorem, eam intelligimus, qua evanuerat digamma initiale vocum *Ἴλιος, εἴλω, ἐρύω*. Omitto enim alias voces nonnullas, de quibus minus constat. Ad hanc aetatem pertinent satis multae eaeque majores Iliadis partes, veluti liber vigesimus tertius. Quarundam autem vocum digamma initiale vel hoc tempore valebat, veluti vocum *ἕκαστος, ὅς, ἄστυ, ἔπος*; radicis *Fιδ-*; pronominum *ἕο, οἷ, ἕ*; vocis *ἔργον*. —

---

*) Ad hoc tempus quae pertinent Iliadis partes, eas infra §. 306. in tres particulas divisimus.

Intelligitur vel hac aetate nonnulla mutata esse in iis Iliadis partibus, quae priore aetate confectae sunt.

Tertiam aetatem finimus eam, qua, praeter voces supra allatas, digamma evanuerat in radice ἐργ —, ἐρδ —. Pertinent fortasse eodem plures voces, quae rarius leguntur. Huc refero ex Iliade δ, 457—544.; ex Odyssea, quod dubitanter addo, totum librum primum, nonnullosque alios. De hac re aliquando agemus. Intelligitur ex §. 207, ea aetate vocum εὖ, οἷ, ἕ et radicis *Fιδ*- non esse digamma neglectum. — Patet hac aetate mutata esse posse et quae ad primam aetatem pertinebant carmina et quae ad secundam.

Novissimam autem aetatem eam intelligimus, qua omnium vocum evanuerat digamma initiale. Constat tamen inter hanc aetatem et tertiam, quam diximus, satis multum temporis interesse, quod quin accuratius aliquando dijudicari possit nondum dubito.

§. 268. — Hunc extremum finem attingit locus τ, 384., quo neglectum est digamma genitivi ἕο. Nec tamen ideo de neglecto digamma dativi οἷ temere statuendum esse facile intelligitur. Hujus quidem neglectionis cum desint in Iliade vestigia, praestat hanc quaestionem mittere.

Patet autem omnes ejusmodi locos in praesentia ad eundem auctorem esse referendos, nec de pluribus auctoribus esse statuendum, nisi si demonstretur adeo inter se eos locos differre, ut de eodem auctore cogitare non liceat.

Hunc igitur auctorem nominamus novissimum. Apparent ejus vestigia per totam Iliadem.

§. 269. — Pertinent autem ad hunc interpolatorem et singuli quidam versus, et quaedam partes majores.

Singulos versus intelligimus β, 641. γ, 224. ε, 165. η, 349. 369. ϑ, 6. τ, 102. λ, 111. 112. μ, 333. ξ, 216. 217. χ, 128. ο, 189. σ, 401. 501. Patet in his versibus neglectum esse di-

gamma vocum εἶπον, ὅς, radicis Fιδ-, consona initialis voc. ἕκαστος rell.

Majores autem Iliadis partes ad novissimum interpolatorem non sine justa causa referimus hasce: λ, 690—705. ο, 390—414. σ, 168. 181—186. 356—368. τ, 282—302. 382—386. Ex his sunt, quae ad genus episodiorum prope accedant.

Praeter hos locos eundem interpolatorem demonstrant complures versus libri κ (cf. §. 211. — Sunt versus 214—217. 387—389. 423—431.); et libri ρ (cf. §. 217. Continetur fere interpolatio versibus 237—262; et 274—287.) Omisi nonnullos locos, qui difficilius possint agnosci, ne confundantur cum certioribus quae minus certa videantur esse. At quin dubitanter addam τ, 399—424, facere vix possum.

§. 270. — Has interpolationes qui accurate perlegit, fieri non potest quin intelligat in iis omnibus paene eodem modo digamma esse neglectum.

Ut primum de libro τ agamus: patet in interpolationibus deesse digamma vocum ἐθείρῃ, ἴκελος, ἕκαστος, radicis Fιδ-, pronominis ἕο. Cf. §. 219, 2. 3. Qua de causa potest certe in suspicionem venire extrema pars hujus libri 399—424, propter versum 421. Etenim hiatu, qui est 417, digamma vocis ἶφι non demonstrari facile intelligitur. — Sequitur servati digammi in his partibus nullum omnino esse vestigium.

Item in iis locis, quos ex libro σ attulimus, si de versu 363. supra recte statuimus, servati digammi nullum vestigium invenitur. Neglectum est digamma radicis Fιδ-. Cf. §. 218, 2, a.

Nec aliter se habet locus libri ο. 390—414. (cf. §. 215, 2.). Neglectum est digamma vocum ὅς, ἔπος, οἶδα. Atque duabus potissimum rationibus de hoc loco statui posse ipse supra demonstravi (§. 215, 2.) Attamen vix dubito totum locum ad novissimum interpolatorem referre, qui sua ratione conformavit dictionem versuum 397. 398. Versus autem duos antiquiores

403. 404. (antiquiores dico propterea quod *ιν* in thesi producitur ante *οἱ*, v. 403) puto ita receptos esse ex *λ*, 791. 792., ut ipse interpolator adderet particulam *δέ* post *εἰς*. Certe praeter illam, quam modo dixi, productionem servati digammi nullum omnino est in hoc loco vestigium; nam ex hiatu 413. non licet de digamma concludere.

De *λ*, 690—705 egimus §. 212, 6. Atque extremam partem libri *λ*, imprimis versus 664—762., non antiquissima aetate confectam esse homines docti non sine causa statuunt. Sed tamen ad recentissimam (interpolatoris novissimi) aetatem non totam illam narrationem referendam esse ex hiatibus supra demonstravimus. Statuendum est igitur amplificatam esse narrationem recentiorem a novissimo interpolatore, eodem modo, quo hoc factum esse in libro *σ* demonstravimus §. 218, 2, *α*. Ad hunc hominem pertinent versus 690—705., in quibus neglectum est digamma vocum *ἔργον* et *ἶσος*. Servatur autem digamma vocis *οἱ* (v. 705).

Ex libro *ϱ* quos §. 217. demonstravimus versus, in his digammi nullum inesse vestigium diximus in eadem paragrapho. Deest digamma vocum *ἕκαστος*, *εἶπον*, *ἔργον*. At et supra interpolationes et infra eas valet digamma, cf. 222. 226. 230. 232. 273. 302. all.

Libri *κ* versus 214—217. (nam hos certe postea additos esse facile intelligitur; at de majore ambitu interpolationis licet dubitare), 387—389., 423—431. quin ad eundem interpolatorem referamus nulla re impedimur. Neglecta est consona initialis vocis *ἕκαστος*, digamma vocis *εἶπον*.

Esse autem etiam alias Iliadis partes majores, quae ad eundem interpolatorem referendae sint, sua sponte lectores intelligunt. Intelligunt vero etiam, nobis pro quaestionum nostrarum ratione consistendum esse in iis locis, in quibus satis certa appareant interpolatoris conamina. Quare id unum nunc addo, ne hunc quidem interpolatorem abstinere hiatu illicito, de qua re conferatur *ε*, 288. Hoc eo facilius intelligitur, quod

multas dictiones ex antiquiore poesi receperunt poetae recentiores, quae ipsorum temporibus continebant hiatum, at antiquioribus temporibus, quibus valebant consonae initiales, recte se habebant.

Caput septimum.

Ex superioribus ea ex ordine librorum colliguntur, ex quibus de varia carminum Iliacorum aetate statui potest.

§. 271. — Restat ut ex ordine librorum demonstremus, quatenus singulae Iliadis partes aut discrepent aut concinant in iis rebus, ex quibus de varia carminum Iliacorum aetate licet statuere. Has enim cum diversis locis supra tractaverimus, nunc id agendum est, ut uno quasi conspectu singularum Iliadis partium ratio ususque metricus animadvertatur. Patet autem vel hac in enarratione nobis consistendum esse in nostris quaestionibus. Quae praeterea addemus, haec fere omnia erunt ejusmodi, ut a quovis carminum Iliacorum lectore possint facillime intelligi. Omittimus enim ea omnia quae ita sunt recondita, ut ad ea eruenda accuratiusque intelligenda aliis opus sit quaestionibus, quas in praesentia habere non possumus.

Patet item in definiendo singulorum carminum ambitu ita esse agendum, ut, quantum fieri possit, conjuncta relinquamus quae conjuncta nunc leguntur, nec, nisi certissimis argumentis commoti, separemus quae ad easdem narrationes videantur pertinere. Separabimus autem haud pauca.

Quaerendum igitur est,

a. *) quarumnam vocum valeat in singulis Iliadis libris,

*) Infra his solis literis saepius rem designabimus; quare juvat lectores monere, ut literarum notiones bene teneant.

singulisve librorum partibus, digamma. Qua in quaestione iisdem utemur argumentis, quibus usi sumus in quaestione quarta. Qua de causa eos omnes locos omittimus, ex quibus de digamma non liceat bene statuere. Patet enim, nisi aliae res obstant, statuendum esse, per totam Iliadem valere earum vocum omnium digamma, quas in quibusdam Iliadis partibus ab hac litera incipere cognoverimus. Contra sicubi neglecti digammi sunt testimonia, ejusmodi locis non potest probari digamma valere. — Eos autem locos, ex quibus utrum de digamma concludi possit necne efficere non potuimus (cf. §. 64. d. all.), afferemus uncis inclusos. — Item agendum est de syllabis finalibus brevibus in consonas literas desinentibus productis in thesi ante digamma, et de harum syllabarum in thesi ante οἱ correptione, de qua re cf. caput quartum hujus quaestionis.

b. de hiatu illicito et de productione vocalium longarum diphthongorumque ea, quae est in hiatu. Eum vero hiatum, qui receptus est ex antiquiore poesi, velut πότνια Ἥρη, ὠκέα Ἶρις; item illum qui excusationem habet aut ex firmitate vocalis finalis aut ex metrica ratione, omittimus in hac enarratione; hic enim cum ad omnes libros pariter pertineat, patet de varia carminum aetate ex ejusmodi hiatu non posse concludi.

c. quaenam insint productiones duriores, de quibus egimus in hujus quaestionis capite primo.

d. quaenam malae insint et vocum encliticarum in vocales longas diphthongosve desinentium et particulae καί in hiatu productiones. De hac re cf. hujus quaestionis caput secundum.

e. quinam versus malis utantur caesuris. De hac re egimus in capite tertio hujus quaestionis. Patet maxime eorum versuum rationem esse habendam, qui excusationem omnino non habeant; ceterum poetis multum licentiae esse concedendum, veluti in trochaica caesura pedis quarti, quae saepe commoda excusatione utitur (cf. §. 25.).

f. de reliquis brevium syllabarum productionibus, quae

sola metrica vi effectae esse putandae sunt. Omittimus igitur eas productiones quae efficiuntur antiquis consonis initialibus binis, reliquasque productiones quae ex vetere linguae indole explicationem habent (cf. §§. 70. 71. 76. 93.) aut conjecturis sunt removendae (§. 72).

De libro α.

§. 272. — a. Valet digamma in his vocibus:

ἄναξ — 7. 390. 444. 502. 529. Ex versu 75. non potest certo concludi, cf. §. 64. d.

ἕκαστος — 550. 606.

ἔοικα — 119.

εἶπον, ἔπος — 85. 90. 108. 211. (108. 543.)

ἔργον — 518. 573.

ἐρύω — (485.)

ἐρέω — 204. 233. 297. 419.

ἴσος — 163.

οἶνος — 462.

ὅς — 333. 307.

οἶκος — (606.)

ἕ, οἷ, rad. *Fιδ*- digamma non egent. Leguntur saepissime.

De ἔλω non constat ex v. 409 — cf. §. 66. b. Quae cum ita sint, de conjecturis meis (cf. Append. quaest. V. cap. II) non dubito. Patet autem, si de versu 548. recte statui, hanc libri partem pertinere ad antiquissimam carminum Homericorum aetatem. — At apocope ὑπείξομαι (294) ad recentiorem aetatem videtur pertinere: cf. §. 168. Item syllaba anceps (§. 71. 4) correpta ante ἰδεῖν v. 203. recentiorem fortasse demonstrat aetatem.

Ceterum in thesi ante pronomen personae tertiae nec corripitur syllaba finalis brevis in consonam literam desinens, nec producitur.

b. De hiatu. Diphthongus finalis in thesi producitur 39,

in altera thesi 505. Hiatus illicitus non legitur praeter 344, de quo versu cf. §. 67.

Patet igitur rarius hiatum legi in hoc libro quam in libris β, ε, λ all.

De πότνια Ἥρη cf. §. 67. extr.

c. Syllabarum finalium brevium productiones duriores non leguntur praeter versum 45, quem putamus esse adulterinum. Cf. §. 229.

d. Nec ad caput secundum quaestionis sextae pertinet quidquam.

e. Malam caesuram versus 125. delevit Bekkerus, scribens ἐξεπράθομεν.

f. Levioribus productionibus non eget hic liber. Cf. §§. 73. 74. — — —

Intelligunt lectores de diversa singularum partium hujus libri aetate ex meis quaestionibus non posse concludi. Perspicitur illo solo ὑπείξομαι nos non posse confidere. Nam quin pauci versus recentiore tempore in omnes libros vel antiquissimos illati sint nemo dubitat. Statuimus ita nos ipsi de versibus 343. 344. 45.

De libro β.

§. 273. — Differunt inter se prior hujus libri pars et posterior. Juvat in praesentia statuere priorem partem pertinere ad versum 484.

1. De verss. 1 — 484.

a. Digamma valet in

pronomine personae tertiae. Longum est multos locos afferre.

ἄναξ — 104. 284.

ἅλις — 90.

ἕκαστος — 127. 164.

ἕννυμι — 261.
ἔοικα — 58. 190.
ἔργον — 38. 137. 252. — ἔοργα: 272.
ἐρέω — 257.
ἔπος — (109. 271. 361.)
Fιδ — permultis locis.

De οἶνος non constat ex vv. 127. 128. Ante οἱ nec producuntur nec corripiuntur syllabae finales breves in cons. lit. desinentes.

b. Hiatus illicitus est 8. 87. 90. — Producuntur in thesi in hiatu vocales longae diphthongique 149. 198 (v. l.). 209. 262. 332.

c. Productiones duriores non insunt.

d. Nec ad quaest. VI. cap. 2. pertinet quidquam.

e. Caesura trochaica pedis quarti legitur v. 475. — cf. §. 25, c.

f. Productiones leviores nisi in primo ordine metrico non leguntur. — — —

Patet hanc libri partem hiatus maxime ratione recedere ab aliis libris, veluti ι, ν. — Caesura minus bona, etsi non mala, legitur loco propter multas comparationes diu suspecto 475. — Postremo differt haec libri pars a recentioribus Iliadis partibus eo, quod diximus sub literis c. et d.

2. De verss. 484 — 877.

§. 274. — Juvat profiteri me non putare totam hanc posteriorem partem libri β uno eodemque tempore esse confectam. Eget tamen tota nonnullis rebus, quas in his quaestionibus tractavimus, nec facile est de singulis ejus partibus separatim agere.

a. Valet digamma, ut mittam pronomen personae tertiae et radicem *Fιδ*-, in his vocibus:

ἄναξ — (679. 725.)
ἄστυ — 803.

εἴκοσι — 510. 748.
ὅς — 822.

De ἵεμαι, item de οἶκος, non potest certo concludi. Cf. vv. 589. 668.

Neglectum est v. 641. Cf. §. 205. — Correptio brevis syllab. ante οἷ est v. 665. (cf. §. 161, 1.) in thesi quinta.

b. Hiatus utroque genere haec Iliadis pars abstinet.

c. Productiones duriores sunt 711. 781. 824. 832. Cf. §. 227.

d. In eadem regione producitur ἤτοι 813.

f. Productiones leviores leguntur in ordine metrico primo. — — —

Cum hiatu prorsus egeat haec posterior pars libri β, non pertinet ad priorem. Quae sub literis c et d diximus; iis permovemur, ut statuamus extremam quidem partem pertinere ad idem tempus, quo confectus est liber ψ reliquaeque similes partes Iliadis.

De librorum γ, δ, ε partibus antiquioribus.

§. 275. — Antiquiores librorum γ, δ, ε partes nominamus has:

γ, 1—145.
245—461.
δ, 1—222.
ε, 1—448.

quamvis non negemus vel in posteriore parte libri ε latere antiquioris carminis sparsa membra. De recentioribus horum librorum partibus infra agemus.

a. Digamma valet in his vocibus:

ἕ, οἷ, rell. — permultis locis.
Fιδ — permultis locis.
ἄναξ — (δ, 18).

ἄστυ — γ, 245.
ἄγνυμι — ε, 161. (δ, 214).
ἀραιός — ε, 425.
Ex ἴκελος — δ, 86. concludimus de ἔοικα.
εἶπον, ἔπος — (γ, 249. 297. 319. δ, 81. 85. 203).
ἔργον — γ, 321. δ, 14. ε, 92. — ἔοργα : ε, 175.
ἐρύω — γ, 271. 361. ε, 298. 303. 428.
ἑκάς — (ε, 444).
ἕκαστος — ε, 37.
ἑκών — (δ, 43.)
ἕννυμι — γ, 392.
ἐρέω — δ, 39. (γ, 83. δ, 182).
ἡδύς — δ, 17. Hinc de ἀνδάνω concludimus.
Ἴλιος — ε, 210.
ἴσος — (γ, 310. δ, 212. ε, 438).
ἵεμαι — Non constat de hac voce ex ε, 434.
ὅς — (ε, 71. 371).
οἶκος — (δ, 18.)
οἶνος — γ, 246. 269. 300. ε, 341.

Producitur brevis syllaba in conson. lit. desinens ante οἱ in thesi prima ε, 7. Corripitur in thesi tertia ε, 338.

Neglectum est digamma vocis ὅς in versu adulterino ε, 165. Cf. §. 208.

b. In hiatu producuntur in thesi terminationes longae γ, 87. (v. lect.). ε, 215. 270. Hiatus illicitus legitur γ, 46. δ, 75. 158. ε, 90. 118. 181. 310. De δ, 2. cf. §. 67 extr.

c. Productiones duriores non insunt. Nam de γ, 40. δ, 155. ε, 359. egimus §. 75, 1. §. 94 extr. Nec commoda explicatione egent δ, 86. ε, 71. 371. Cf. §. 170, 1 et 3.

d. Nec ad cap. 2 quaestionis sextae pertinet quidquam.

e. Malae caesurae non leguntur. De δ, 97. ε, 66. cf. §. 244; de ε, 285. cf. §. 39, b. — Caesura trochaica pedis quarti, quae legitur ε, 139. 178, excusationem habet ex insequenti caesura seminovenaria, cf. §. 25, c. et §. 5.

f. Leviores productiones et in primo ordine metrico et in secundo leguntur. Cf. §. 73. — — —

Antiquiores esse has partes Iliadis quam initium libri π probatur productione, quae ante λίσσομαι est in thesi ε, 358. Cf. π, 46. 47. §. 86, 2, a. — At recentiores esse quam libros α, ν all. demonstrari videtur iis productionibus, quas sub littera c. attulimus, licet duriores eae non sint. Potest fortasse concludi medias esse has partes Iliadis inter librum ψ reliquosque similes et inter priorem partem libri β, majorem libri ι, librum ν all. — Hiatûs ratione differunt hae partes maxime a libris ι et ν.

De γ, 145—244 *) ; δ, 223—456.

§. 276. — Differre has partes librorum γ et δ ab iis partibus, quas modo demonstravimus, satis constat ex hujus quaestionis capitibus 1. 2. 3. Recentiores esse ipsa narratione demonstratur; patet enim colloquium Priami Helenaeque confectum esse eo tempore, quo exstabat Menelai Paridisque certamen.

a. Valet digamma in
pronomine personae tertiae.
radice Fιδ — γ, 169. 217. δ, 279. 349. 361. 375.
ἔοικα — γ, 158.
ἑκυρός — γ, 172.
ἐρέω — γ, 177.
ἔπος — γ, 221. δ, 350. (δ, 241.)
εἶπον — δ, 404.
οὐλαμός — δ, 251. 273.
οἶνος — δ, 259.
Reliquis, qui leguntur, hiatibus nihil demonstratur. —

*) Nolui addere γ, 121—145 ad has partes recentiores cum propter ea, quae leguntur γ, 404 (cf. 138); tum quod nulla insunt recentioris aetatis vestigia.

Patet versum γ, 224. recentissimo demum tempore additum esse. Cf. §. 206.

b. In hiatu producunter termimationes longae in thesi δ, 410. 412. Hiatus illicitus est δ, 392. si vera est lectio ἀναερχομένῳ (cf. Apoll. Rhod. I. 821), a Bekkero non recepta; et 431.

c. Duriores productiones sunt γ, 172. 217. 240. δ, 321, 338.

d, Producitur in hiatu in arsi ἦτοι: δ, 237.

e. Malae caesurae sunt γ, 205. 222. δ, 384.*) — — —

Quae cum ita sint, non constat de conjectura, quam de γ, 173. proposui §. 201, 12. Non enim constat de digamma vocis ἁνδάνω in hac Iliadis parte. Recte tamen conjeci, si haec pars pertinet ad eandem aetatem cum η, 387., ad quam quominus referamus metricis quidem rationibus nihil impedimur. (De δ, 303. cf. §. 266, 3.) §. 277. — Ea de causa praestat etiam ab his partibus sejungere extremam partem libri

δ, 457—544,

de qua egimus §. 207, In hac parte valet digamma in pronomine personae tertiae et in radice Fιδ-. Neglectum est in ἐρύω et ἔργον. Verisimile est igitur hanc partem recentiorem esse quam ψ, 705. Quare, si vere concinunt eae Iliadis partes, quas demonstravimus §. 276, cum libro ψ reliquisque similibus, sequitur extremam partem libri δ sejungendam esse ab ejusdem libri parte media. Sequitur etiam vocis εἴκω digamma deesse posse, quod valet ω, 718. — Ad novissimum autem Iliadis interpolatorem non pertinere hanc extremam partem libri δ demonstravimus §. 267.

Hiatus illicitus est 486.

*) Potest eodem referri γ, 185., si vera est interpunctio; cf. §. 31. — Trochaicam pedis quarti caesuram legimus γ, 227. in editione Bekkeriana.

De antiquioribus partibus librorum ζ et η.

(ζ, 119—236. 313—529. η, 1—312.)

§. 278. — Concinere multis in rebus has partes Iliadis non negabit facile quisquam, qui accurate eas perlegerit. Agnoscet eandem narrandi rationem suavissimam, eosdem clarissimorum heroum quasi placidos mores; intelliget vero etiam non eundem esse Diomedem, qualis erat in priore parte libri ε; neque eundem esse Ajacem, qualis multis aliis locis a poeta describitur. Sed haec nunc mittimus; quaerimus de rebus metricis.

a. Valet digamma in

pronomine personae tertiae multis locis. Ante οἱ producitur in thesi syllaba brevis ζ, 157. 194. — Correptio ante hanc vocem non invenitur.

radice *Fιδ-* multis locis. Sequitur aut recte me intulisse in ζ, 367. productionem brevis syllábae, quae exsistit deleta particula τε; aut totum versum esse adulterinum, quod vix putaverim. Etenim ineptum hunc esse versum eo minus puto, quod similis sententia est v. 500; quae optime convenit cum hujus poetae indole. Igitur, si recte statuo, satis antiquae sunt hae Iliadis partes. Accedit quod eandem productionem invenimus ρ, 140; ubi de eodem Glauco agitur, cujus magnae sunt partes in libro ζ.

ἄναξ — ζ, 166. 451. η, 8. 137. 296.

ἄστυ — ζ, 331. 392. 505. η, 32. 296.

ἔργον — ζ, 324. 348. η, 236.

ἐρέω — ζ, 334. (462. η, 91).

ἑκών — (ζ, 523. η, 197).

εἶπον rell. — (ζ, 459. 479. η, 87. 178. 121. 201).

ἕκαστος — η. 175. 185. 215.

ἑκάς — (η, 83).

ἔθνος — η, 115.

ἴτης — η, 295.
Ἴλιος — ζ, 448. 461. 478.
ἴσος — (η, 136).
ὅς — ζ, 192. (η, 173).
οἶκος — (η, 79).

b. In hiatus usu ita concinunt hae partes, ut neque in thesi producantur terminationes longae, nec ullus inveniatur hiatus illicitus.

c. d. Ejusmodi productiones malae omnino non leguntur.

e. Malae caesurae non insunt.

f. Productiones leviores nisi in primo ordine metrico non leguntur. — — —

Concinunt igitur egregie inter se hae partes. Hiatus usu differunt maxime ab antiquioribus partibus librorum γ, δ, ε quas supra dixi; quibus has esse recentiores facile patet. Nam quin Paridis desidia pertineat ad γ, 382. 425. equidem non dubito. Sunt quidem, qui dubitent.

De extrema parte libri ε, vv. 449—909.

Item de ζ, 1—118. et 237—312.

§. 279. — De his Iliadis partibus mihi nondum satis constare ingenue fateor. De quibus quomodo judicandum sit aliis quaestionibus efficiendum est. Hoc autem patet: primum multa inesse in his narrationibus inepta, veluti ε, 665. 587. 576. (cf. ν, 658) et illud, quod ζ, 86. Trojanorum fortissimus sine justa causa e pugna removetur — mitto enim alia; deinde concinere has partes in rebus metricis; tum hanc, quam dixi, libri ζ partem pertinere ad eam narrationem quae in extremo libro ε est de Diomede (cf. ζ, 96. 306); postremo multa in posteriore parte libri ε facta esse ad similitudinem libri ρ. Atque diu dubitavi, an, quae de Sarpedone leguntur ε, 627—698., pertinerent fortasse ad illud episodium, quod

de Glauco est in libro ζ: attamen quo accuratius utramque narrationem conferebam, eo minus similitudinis inveniebam in rebus metricis et in genere narrandi. Immo tota illa libri ε narratio aperte confecta est ad similitudinem quandam libri ρ, de qua re alio loco accuratius agemus.

His de causis nunc perbreviter addimus, multo recentiores has esse Iliadis partes quam initium libri ε; recentiores etiam, quam antiquiores, quas diximus, partes librorum ζ et η. Putandus est Hector ob alias res ex pugna Trojam venisse; non ob eas, quae in initio libri ζ, narrantur. Sequitur conjuncta esse duo carmina antiquiora a recentiore poeta.

Sed mittamus haec in praesentia, videamus de rebus metricis.

a. Digamma valet in
pronomine personae tertiae
radice *Fιδ*. —
ἄναξ — ε, 794.
ἄστυ — ζ, 287.
ἕκαστος — ε, 878.
ἑκάς — ε, 791.
ἕκηλος — ε, 759.
ἕννυμι — ε, 905.
ἔτης — ζ, 239.
ἔργον — ε, 757. 872.
ἔπος — (ε, 871. ζ, 69).
ἰωκή — ε, 521. 740.
ἶφια*— ε, 556.
οἶκος — ζ, 55.
οἶνος — ζ, 261. 264. 266.

Desunt certa argumenta de εἴλω (ε, 823) — ἔοικα (ε, 604. 800) — ἴσος (ε, 884) — Ἴλιος, nam vocis ἀπόσχῃ productio ζ, 96. potest facta esse ad similitudinem ζ, 448. — ἐρίω, nam ε, 836. potest quidem pertinere ad duriores productiones, quae in hac parte Iliadis plures leguntur, cf. lit. c.

Producitur brevis syllaba ante οἶ in thesi tertia ε, 695. — corripitur in altera thesi ζ, 101.; in prima ζ, 90. 289. — cf. §. 251.

Ergo si licet statuere digamma vocum εἴλω, Ἴλιος, ἐρύω non valere: nihil videtur nos impedire, quominus has partes Iliadis referamus ad eum poetam, qui confecit librum ψ. Cf. §. 248. Certe vel ε, 467., in quo versu neglectum est digamma vocis ἴσος, potest ad eundem auctorem pertinere, cum de servato digamma hujus vocis non possit concludi ex ψ, 569. 677. 823. Est enim ibi quarta diaeresis. — Illa autem productio, quae ε, 695. est ante οἶ, potest confecta esse ad similitudinem versuum π, 460. ρ, 324. ξ, 166. Licuit haud dubie vel hac aetate producere breves syllabas ante οἶ.

Nescio tamen, an sint in his Iliadis partibus quaedam antiquiorum carminum reliquiae.

b. In hiatu producuntur terminationes longae in thesi ε 484. 666. 685. ζ, 46. Eo minus dubito, quin etiam ζ, 96.' ejusmodi sit productio, coll. ε, 484. — Hiatus illicitus non legitur praeter ε, 748. Praestat igitur hanc Eustathii lectionem damnare, quamvis aliter statuerim §. 67. Cf. ϑ, 392.

c. Duriores productiones sunt ε, 499. 576. 745. 837. 887.

d. Ad cap. 2. quaestionis sextae nihil pertinet.

e. Malae caesurae sunt ζ, 100. et in multis versibus, qui cadunt in amphibrachyn inter ζ, 72—90. Caesura trochaica pedis quarti eodem modo duobus locis legitur: ε, 571. ζ, 2. Cf. §. 25, c. De ε, 580. egimus §. 31, excusationem hic versus habet ex elisione.

f. Productiones leviores non desunt. — — —

Sequitur differe has Iliadis partes in iis rebus, quas attulimus sub litt. b. c. e. ab antiquioribus partibus librorum ζ et η. Ab antiquioribus partibus librorum γ, δ, ε eo differunt, quod abstinent hiatu illicito. Eadem de causa et propter productiones duriores malasque caesuras differunt etiam a priore parte libri β, ad quam fortasse non pertinebat anti

quitus versus β, 475. Cf. §. 273. Differunt eodem modo a libro α.

Liceat conjicere harum Iliadis partium eundem esse auctorem atque earum, quas §. 276. demonstravimus. Id quidem certum est, eum ζ, 252. respexisse ad γ, 124. Patet autem illum libri γ locum recedere a ν, 366. 378.

De extrema parte libri η.

(313—482).

§. 280. — De digammi ratione ea, quae est in hac Iliadis parte, egimus §. 209. Intelleximus vocis Ἴλιος digamma obliteratum esse; servatum digamma vocum ἔργον, ἕκαστος, ἡδύς; ideoque vocis ἵππος simm., quod etiam firmius est. Patet igitur versus 349. 369. pertinere ad interpolatorem novissimum. Cf. §. 269.

De hiatu cf. vol. I. pag. 78. Hiatus illicitus non legitur; et terminationis longae quae est in v. 388. productio, nititur sola scholiorum non optimorum auctoritate.

c. Productiones duriores non leguntur, nam versus 353. adulterinus est.

d. Producitur πω in hiatu, v. 433. — cf. §. 235.

e. Malas caesuras non animadverti.

f. Productiones leviores non desunt. — — —

Ut hanc partem Iliadis conferrem cum extrema parte libri ϑ, moverunt me duae potissimum causae; primum quod in his regionibus de concione Trojanorum agitur, tum quod voces encliticae in vocales longas desinentes in utraque regione in hiatu producuntur. — Ut conferrem cum majore interpolatione libri σ, maxime me movit concio Trojanorum; et neglectum vocis Ἴλιος digamma; et servatum digamma vocis ἕκαστος, quod his locis in eadem dictione invenimus, quae aliis locis non legitur: η, 371. σ, 299. Jam cum illa

pars libri σ aperte respiciat ad librum ψ, non dubito eundem auctorem agnoscere in extrema parte librorum η et ϑ; in illa libri σ interpolatione; in libro ψ, in quo eandem invenimus productionem vocis πω, quae est η, 433. Desunt quidem in extrema parte libri η productiones duriores, sed in tam parvo numero versuum ex hac re concludere non possumus.

Sequitur hanc partem recentiorem esse, quam antiquiores partes librorum γ, δ, ε et ζ, η. id quod ex solo digamma voci- Ἴλιος recte concluditur.

Antiquiorem esse quam extremam partem libri δ, colligis tur ex digamma vocis ἔργον.

De ϑ, 1—488.

§. 281. — Priorem hanc libri ϑ partem confectam esse post ε, 323. intelligitur ex ϑ, 106.

a. Valet digamma in

pronomine personae tertiae. Syllaba brevis in consonam desinens in thesi secunda producitur ante οἱ v. 190., nec corripitur unquam ante hanc vocem.

radice Fιδ — multis locis.

ἄγνυμι — 43.

ἔργον — 9. 453. ἔοργα: 356.

ἐρύω — (21. 23).

ἕκαστος — 233. 347.

ἔοικα — (305).

εἶπον — 378. (8).

Ἴλιος — 131.

ὅς — 446. (406

οἶνος — (232).

De ἵεμαι non constat ex 301. 310.

b. In hiatu producitur in thesi terminatio longa 209. Hiatus illicitus est 131. cf. §. 141.

c. Productio durior est. 389.

f. Productiones leviores leguntur in ordine metrico primo et secundo. — — —

Patet ex v. 373. adulterinum esse versum 6; cf. §§. 240. 210. 269. — Ab antiquioribus partibus librorum γ, δ, ε eo recedit hic liber, quod rarius utitur hiatu. Restat ut de duriore productione v. 389. breviter agamus. Cum enim liber ϑ praeter hunc locum productionem duriorem non praebeat; nec malis utatur caesuris; et tota illa regio, in qua est versus 389, respiciat ad ε, 745, in qua parte libri ε multae insunt ejusmodi productiones: sequitur statuendum esse antiquiorem quandam partem libri ϑ a poeta recentiore esse mutatum. Recentior autem is fuit haud dubie poeta, qui addidit extremam partem libri ϑ: 489—565. Hujus poetae praeterea multa apparent in priore libri parte conamina, quae in imis paginis editionis Bekkerianae conspiciuntur. Sciunt item omnes, vel in Odysseam illatos esse versus 390. 391. Cf. Odyss. α. 100. 101. Sequitur antiquitus breviorem fuisse narrationem, cujus qui fuerint fines nunc non potest certo existimari.

De extrema parte libri ϑ. Vv. 489—565.

§. 282. — Diximus de hac parte libri ϑ, in qua de concione Trojanorum agitur, §. 239.

a. Valet digamma in

ἕκαστος — ϑ, 562.
ἄστυ — ϑ, 517.
ἶφια — ϑ, 505. 515.
οἶκος — ϑ, 513.

Non licet concludere ex versibus 519. 506. 546. — 496. productio est ante εἶπον, cujus vocis admodum firmum est digamma. — Ante οἷ in thesi nec producitur nec corripitur brevis syllaba in consonam desinens.

Quae cum ita sint, nihil impedit quominus eundem auctorem agnoscamus, qui confecit extremam partem libri η, interpolationem majorem libri σ, librum ψ reliquasque similes partes Iliadis (intelligo etiam eam partem, quam demonstravi §. 279).

c. d. Insunt enim productiones malae duae: 529. 556, de quibus supra egimus. Ea quidem, quae est 556. maxime concinit cum ε, 576.

De priore parte libri ι. V. 1—182. (?).

§. 283. — Suspectum mihi est initium libri noni, cujus pars posterior ad antiquiorem aetatem videtur pertinere, quam prior. Sunt autem, quamvis finem prioris partis accurate definire nondum liceat (nec licebit fortasse unquam!), suspicionis multae causae.

Primum enim, id quod maximi facio, haec libri noni pars prior versibus 34—39. respicit ad Ἀγαμέμνονος ἐπιπώλησιν (δ, 223—456), quam recentioris aetatis esse supra satis demonstravimus, cf. δ, 365. sqq. Deinde maxime celebratur Diomedes eodem modo, quo in initio libri ξ, 109. sqq. Tum Agamemnonis illa summa desperatio eadem fere oratione describitur vv. 18. sqq., quae est β, 111. et ξ, 69. Postea versus 77. referendus est ad extremam partem libri ϑ (560), quam recentiorem esse demonstravimus §. 282. Nec Nestorem omitto, qui a recentiore poeta in multos libros videtur esse illatus, ad quos non pertinebat antiquitus. Hujus viri consilia cum efferantur in libro β et in initio libri ξ; in nono libro id me male habet, quod in extremo hoc libro nec verba facit, nec omnino commemoratur. Hac re commotus statui supra, priorem partem libri noni pertinere usque ad versum 182.

His de causis putaverim recentiorem esse hanc libri

partem, quae substituta est in locum antiquioris principii. Haec quomodo concinat cum initiis librorum β et ξ nondum scio, putaverim tamen recentiorem esse quam libri β partem priorem, ad cujus exemplum fortasse effecta est.

Patet autem in tam paucis versibus non multa inveniri posse recentioris aetatis vestigia, possunt enim etiam antiquioris carminis quaedam partes (veluti illa comparatio, v. 4—8) inesse. Quapropter nobis satis fecerimus, si demonstraverimus nihil nos impediri, quominus ad eum poetam hanc partem referamus, qui confecit librum ψ reliquasque similes partes Iliadis, quas saepe dicimus. Id autem facile intelligitur, versus 122—157. antiquiores esse et repetitos ex antiquiore parte hujus libri (246—299).

1. Quaeramus igitur primum de his versibus, quos antiquiores esse statuimus. Valet in his digamma vocum οἷ, ἵ, radicis *Fιδ.*-; praeterea valet digamma vocum

οἶκος — 147. cf. §. 156, 3.

ἶφι — 145.

Producitur brevis syllaba in thesi prima ante οἱ, v. 131. — De aliarum vocum digamma non potest certo concludi.

Nec productiones duriores, nec leviores, nec hiatus illicitus inveniuntur in his versibus.

At mala caesura est in diaeresi tertia, firmatur enim interpunctione, v. 134. Haec nos convertit ad recentiores partes librorum γ et δ, quas in §. 276. demonstravimus; dico nunc versus γ, 205. 222. 185. δ, 384.

Videnturne igitur vel hi versus (ι, 122—157) eundem auctorem habere cum media parte libri δ, ut ad δ, 365. sqq. respiciunt ι. 34—39? Sed cave ita statuas! Unus est enim a recentiore poeta hic versus immutatus, qui optime se habet in antiquiore parte hujus libri: 276.

Nisi fallor recentiorem auctorem deprehendimus!

2. Reliqui qui sunt versus 1—121, 158—182. digamma utuntur in his vocibus:

ἕκαστος — 11. 66. 85.
ἔλπομαι — 40.
οἶνος — 71.
ἐρέω — (56).

ideoque in pronomine person. III. et in radice *Fιδ*.

Recentioris aetatis non insunt certa vestigia; patet tamen posse quidem vel hanc partem Iliadis referri ad auctorem libri ψ, ad quem retulimus quasdam partes librorum γ, δ, ε, ζ, η, θ, quas supra diximus.

De vigiliis Achivorum, quae mittuntur v. 67. sqq. cf. ea, quae dicemus §. 285.

De posteriore parte libri ι. V. 183—713.

§. 284. — a. Digamma valet in pronomine personae tertiae. Efficit productionem brevis syllabae in thesi secunda 377, in prima 392. Correptiones ejusmodi syllabarum non leguntur.

radice *Fιδ*-.
ἄναξ — 480. 559.
ἔργον — 443. 527. 595. ἔοργα: 320.
εἶπον — 313.
ἕκαστος — 656. 712. (564).
ἐρέω — 611.
ἔτης — 464.
ἕκηλος — 376.
ἔρρω — 364.
ἧλιξ — (466).
ἶφι — 287. 406.
οἶνος — 489. 706. (581. 543.)
ὅς — (220).
οἶκος — 289. Cf. §. 156, 3.

ὄαρ — (327).

De ἴσος non constat ex 211. 390. 603.

Ad literas b, c, d nihil pertinet.

e. Malam caesuram versus 394. removit Bekkerus, qui recepit Aristarchi lectionem γε μάσσεται.

f. Postremo ne leviores quidem insunt productiones. Qua de causa potest quidem de digamma concludi vel ex versibus 220. 327. 466. 564. — — —

Attamen cum hic unus sit Iliadis liber, qui levioribus productionibus egeat, nescio an haec res fortuito acciderit. Hac certe non impedior, quominus librum conferam cum iis libris, qui in reliquis rebus, de quibus nunc agimus, omnibus concinunt cum libro nono, at eo recedunt ab hoc libro, quod levioribus productionibus in primo ordine metrico utuntur. Intelligunt lectores me dicere antiquiores partes librorum ζ et η, de quibus egi §. 278. Hae uti recentiores videntur esse quam antiquiores partes librorum γ, δ, ε, θ, ita et inter se et cum posteriore parte libri noni in ea re concinunt, quod longioribus favent orationibus, quae magna cum arte pulcherrime sunt a poeta fictae. Minus favent actionibus.

Patet autem, si recte dixi has partes et inter se concinere et recentiores esse quam priorem partem libri ε, rectissime in extremo libro nono magnas partes esse Diomedis, qui in libro ε fortissime pugnavisse dicitur.

Ceterum nec hoc loco nego nec aliis locis negavi, posse vel in his antiquioribus librorum partibus inesse quosdam versus recentiores. Attamen ex meis quaestionibus de hac re non possum certo concludere.

De libro κ

§. 285. — De hoc libro constat difficillimum esse judicium. Damnaverunt enim totum librum homines docti non pauci, confisi ea fama, quae ex antiquitate ad nostra tempora

pervenit, illatum esse in Iliadem hunc librum a Pisistrato. Qua vereor ne nimis confisi sint.

Patet enim primum multo antiquiorem esse librum quam Solonis carmina, quod quidem ex usu digammi aperte emergit. Patet vero etiam inepta nonnulla, quae insunt, pertinere non ad auctorem libri, sed ad interpolatorem novissimum; de qua re cf. §. 211. 269. (Has interpolationes, de quibus supra egimus, omittimus in hac disputatione). Tum hujus carminis auctor non est pejor poeta, quam qui confecit librum ψ similesque Iliadis partes.

Ut breviter agam, referendus est liber ad eundem poetam, qui confecit extremam partem libri θ et priorem partem libri ι. Etenim versus 12. aperte pertinet ad θ, 560. sqq., ι, 77; et unum certe est hujus libri cum priore parte libri ι vinculum: Achivorum vigiliae, cf. ι, 66. sqq. κ, 180. sqq. Postremo vides eundem, qui in initio libri ι est, Nestorem. Vides etiam Trojanorum concionem v. 299, de qua egimus §. 280. 282.

Videamus nunc, num conveniant res metricae.

a. Valet digamma in

pronomine personae tertiae, ante quod in thesi altera producitur syllaba brevis 129.

radice *Fιδ*.

ἄναξ — 112.

εἶπον, ἔπος — 384. 405. (461). 540.

εἴκω — 238.

ἕκαστος — 68. 166. 432.

ἔργον — 39. 282. 289. 303. 524.

οἶνος — 579.

ἐρέω — (534).

ὅς — (270).

De Ἴλιος non constat ex 12. 415.

Quod igitur ad digamma attinet, non impedimur quominus librum referamus ad auctorem earum Iliadis partium, quas

supra diximus. Vocum enim Ἴλιος, ἶσος, ἔλω, ἐρύω non potest digamma demonstrari ex hoc libro. Concinit illa productio, quae est κ, 129. cum ea quam in recentiore parte libri ε (v. 695). demonstravimus §. 279.

b. Concinit cum eadem parte libri ε etiam hiatus ratio. Abstinet enim illicito hiatu liber decimus; productionem autem diphthongi in thesi praebet 505. Haec eadem est atque ε, 698, utroque loco est ante ἐρύω. De illicito hiatu ε, 748. cf. quae diximus §, 279, b.

c. Productiones duriores desunt.

d. At mala invenitur v. 291. productio vocis μοι in hiatu. Diximus §. 241. hunc locum confectum esse ad exemplum Odyss. γ, 381. Atque totum hunc libri κ locum respicere ad δ, 370. sqq. omnes intelligunt.

e. Magis etiam ad illam partem libri δ et mediam partem libri γ convertimur mala caesura, quae est 453. Patet hac in re concinere hunc librum cum γ, 185. 205. 222. δ, 384. ι, 134. Cf. §. 283, 1. De ε, 580. cf. 279, e.

Addimus caesuram trochaicam pedis quarti 317. 549. Concinit ea, quae est 549, cum β, 475. (§. 273, e). et ε, 571. ζ, 2. (§. 279, e).

f. Productiones leviores nec in primo ordine metrico desunt, nec in secundo. — — —

Quae cum ita sint; necesse est statuamus libri κ auctorem esse eundem, qui confecit eas partes Iliadis, quas ad alteram (quantum quidem e digamma potest concludi) aetatem carminum Homericorum pertinere diximus §. 267. Casu igitur accidit, ut desint productiones duriores.

Jam vero tam multas Iliadis partes in unum eundemque poetam recentiorem contulimus, ut liceat duas res addere. Harum altera est, paene eandem esse in his partibus hiatus rationem: raro utuntur hiatu illicito, quamvis non prorsus eo egeant; saepissime utuntur in hiatu productionibus longarum vocalium diphthongorumque iis, quae sunt in thesi. Altera

est, licuisse huic poetae vel infirmissimis in thesibus producere ante pronomen personae tertiae syllabas breves in consonas literas desinentes, licuisse vero etiam ejusmodi syllabas vel in firmissimis thesibus ante illud pronomen corripere. Ita ut statuam moveor versibus ι, **695**. κ, **129**. coll. ζ, **90**. **289**. Ni liceret ita statuere initium libri ζ recentioris etiam esse aetatis concedendum esset.

De libris λ, μ, ν, ξ, ο.

§. **286**. — Ex his libris ad novissimum interpolatorem pertinent λ, **111**. **112**. (cf. §. **212**, a). **690—705**. (§. **212**, b); fortasse etiam ξ, **216**. **217**. (§. **214**); tum ο, **189**. **390—414**. (§. **215**).

Quibus versibus omissis si de reliquis quaerimus, tantae oriuntur difficultates, ut praestet fortasse de metricis rebus perbreviter proponere, quam rem attingere impeditissimam, quam his quaestionibus expediri non posse me melius nemo intelligit. At altera ex parte hi quatuor libri tantopere in rebus metricis inter se differunt, ut de quibusdam rebus paene certissime liceat concludere.

Atque id primum intelligitur plerisque in rebus ab reliquis libris recedere majorem partem libri ν, de qua primum agemus.

1. De ν, 39—837.

§. **287**. — Totam hanc Iliadis regionem tam accurate conjunctam esse cum superioribus et inferioribus, ut commissura non appareat, non est quod moneam. Quapropter omnino non contenderim a versu **39**. incipere carmen peculiare ab reliquis differens, nec versu **837**. idem concludi. Verisimile est tamen c i r c a hos versus initium esse et finem. Insunt autem vel in hoc carmine quaedam conamina recentiora, quae ad has quaestiones non pertinent: juvat enim hoc addere.

a. Digamma valet in

pronom. pers. III. Corripitur brevis syllaba ante οἱ in thesi secunda **561**.

rad. *Fιδ* —

ἄναξ — (**758**. **777**).

ἕκαστος — **121**.

ἔργον — **366**. **432**. **730**.

εἶπον — **821**. (**462**).

εἴκω — **807**.

εἴκοσι — **260**.

De ἐρύω non constat ex **598**.

ἵεμαι — **386**.

ὅς **376**. (**667**. Mitto **489**).

Οἰνόμαος — **506**.

ὦλξ — **707**.

b. Nec illicitus legitur hiatus, nec in thesi in hiatu producitur vocalis longa diphthongusve.

c. Productio durior est **605**.

d. De καί in thesi producto in hiatu, **316**. **685**, egimus §. **60**, pag. **75**. Malae sunt lectiones.

e. Malam caesuram vix dixerim ἄνευ δηΐων, **556**. De **651**. Cf. §. **244**.

f. Productiones leviores non desunt. — — —

Quibus omnibus collatis facere vix possum, quin qui recentioris aetatis quandam praebeant speciem versus (**605**. **556**), eos referam ad poetam recentiorem, quem verisimile est antiquam, quae fuit in ea regione, narrationem paululum mutavisse sive amplificasse. Durior enim illa productio (**605**) legitur etiam λ, **233**. Videtur idem fuisse poeta recentior, qui antiquiora nonnulla, quorum reliquiae subsunt in his quinque libris, carmina ita conjuxit atque auxit, ut simplicem narrationis rationem haud raro deleret. Multa enim inesse quae non bene conveniant, haud negabit, qui Lachmanni accurate legerit disputationes. Versibus **344**—**674**. contineri

carmen peculiare statuit G. Hermann. (de interpolation. Hom.)

Eo magis miror Lachmannum et Hermannum tam benigne judicavisse de initio libri ν, quod, quamvis praeclarissima excellat descriptione, tamen ad rem est ineptissimum. Cf. infra §. 292.

Ceterum liber ν non pertinet ad librum μ (§. 213), nec putaverim pertinere ad librum λ, qualem nunc habemus. Immo librum ν excipiebat haud dubie brevis descriptio certaminis, quod apud naves erat; cujus descriptionis quaedam partes fortasse etiamnunc exstant in extremo libro ο, varie mutatae. Patet vero etiam in antiquo carmine poetam egisse de Neptuno a Jove ex pugna abire jusso. Quae tamen quomodo se antiquitus habuerint, nunc non potest certo existimari.

Omnibus, quae huc pertinent, accurate collatis intelligitur hanc partem libri ν proxime accedere ad antiquiores partes librorum ζ et η, et ad librum ι. Differt ab his Iliadis partibus in ea re, quod in secundo ordine metrico levioribus productionibus non eget (495. 705). Nam de media parte libri, in qua interpolationem conjeci inesse, nunc licet tacere.

Ut autem antiquiores partes librorum ζ et η ipsae recentiores sunt quam antiquiores partes librorum γ, δ, ε (§. 278. extr.): ita duae quidem insunt in libris λ—ο partes, quae libro ν, qualem hunc antiquitus fuisse statuimus, sunt antiquiores. Hae sunt in libris λ et ξ. Quae res quomodo intelligenda sit, cum magis pateat in libro ξ, quam in libro λ: nunc agimus

2. de ξ, 153—353.*)

§. 288. — Constat hanc etiam partem Iliadis hodie accurate convenire cum ea narratione, quae legitur in libro ν. Neptunum intelligo Achivis auxilium ferentem. Respicit ad eandem narrationem etiam locus libri ξ, 135—152, de quo cf. §. 291.

*) De vv. 216. 217. cf. §. 214.

a. Valet autem ξ, 153—358. digamma in

pronom. pers. III. Producitur ante οἱ in thesi tertia syllaba brevis 166; corripitur ante ἑ ejusmodi syllaba in thesi quinta 162.

radice Fιδ. —

ἄναξ — (326).

ἄστυ — (281).

ἔοικα — 212.

ἔρδω — 261.

De ἕννυμι potest fortasse concludi ex duabus productionibus versus 178.

De εἶπον — minus constat ex 212. Attamen quin valuerit digamma non dubito.

b. Hiatus illicitus est 183. 285. — In thesi producuntur in hiatu vocalis longa et diphthongus 199. 240.

c. Productiones duriores, quae leguntur 208. 320, posteriore demum tempore illatas esse in hanc Iliadis partem demonstravimus §. 228, b.

d. Hujusmodi malae productiones non insunt.

e. Nec insunt malae caesurae.

f. Productio levior una sola inest, quae est in caesura semiquinaria, 349. — — —

Omissis igitur versibus 208—210, 315—328, qui ad recentiorem pertinent poetam, totam hanc narrationem antiquiorem esse puto, quam librum ν. Nam si verum est antiquiores partes librorum ζ et η, quibuscum concinere dixi metricam rationem libri ν, recentiores esse quam antiquiores partes librorum γ, δ, ε (id quod ex ipsa narratione apparet); patet hanc narrationem libri ξ antiquiorem esse quam librum ν. Convenit enim haec narratio in rebus metricis summopere cum antiquioribus partibus librorum γ, δ, ε. Utitur hiatu illicito eodem modo, quo illae partes utuntur; non eget in thesi productione vocalium longarum in hiatu, quae eadem est in illis partibus. Contra egent utraque re illae

partes librorum ζ et η et libri ν ea pars, quam modo demonstravi.

Quaeritur tamen, quomodo de versibus **155. 156**, qui pertinent ad Neptunum, statuendum sit. Hi versus non dubito quin ab eodem auctore confecti sint, qui confecit versus **135—152.** et extremam partem libri ξ (**354—522**) et majorem partem libri ο.

Ut breviter dicam, apparet in libris λ—ο poeta idem, quem agnovimus in multis Iliadis partibus, quas supra demonstravimus. Conjunxit autem eodem modo librum ν cum antiquiore narratione, quam modo diximus, quo conjunxit antiquiores partes librorum γ, δ, ε cum antiquioribus partibus librorum ζ et η.

Jam priusquam agam de commissuris, quibus hae partes conjunctae sunt, necesse est addam me putare antiquitus totam hanc narrationem vix pertinuisse ad Neptunum; aut, si vere pertinet ad Neptunum, pertinuisse ad antiquiorem aliquam narrationem quam quae nunc est in libro ν. Ut enim taceam totam hunc Junonis dolum hymni (qui erat in ἱερὸν γάμον) habere naturam, quae Caroli Odofredi Muelleri Welckerique*) est sententia ingeniosissima; tamen metrica hujus partis ratio quibusdam in rebus convenit cum metrica ratione libri λ. Quamquam de libro λ difficillimum est judicare. Attamen, nisi falso supra de multis rebus statui, quibusdam argumentis licet confidere.

3. De libro λ.

§. **289.** — Omitto primum duas interpolationes, quas non sine justa causa refero ad interpolatorem novissimum: **111. 112.** et **690—705.**

a. Valet digamma in

---

*) Cf. Nachträge zu Schwenks etym. mythol. Andeut. pag. 269. sqq.

pronom. person. III. In thesi producitur brevis syllaba ante οἱ v. **792**. Correptio est in varia lectione v. **339**. — Mitto versum **543**.

radice *Fιδ*. —

ἄναξ — (**322**).

ἄστυ — **706**.

ἕκηλος — **75**.

De ἕκαστος non constat ex **706**, valet tamen haud dubie digamma.

ἔργον — **719**. **734**. **838**.

εἶπον — **403**. **819**. (788).

ἐργάθω — **437**.

ἔοικα — **613**.

ἐρέω — non constat satis ex **652**.

ἴσος — **336**.

ἰωή — (**308**).

ἵεμαι — **537**.

ὅς — **330**.

οἶνος — **775**.

ἡδύς — **378**.

b. Hiatus illicitus est **24**. **108**. **356**. **678**. Producitur in thesi longa vocalis diphthongusve **35**. **131**. **484**. **554**.

c. Productiones duriores sunt **233**. **330**. **378**. **417**. **793**.

d. Ad hanc literam nihil pertinet.

e. Minus bonae caesurae sunt: **154**. (cf. §. **31**), ubi diaeresis tertia firmatur interpunctione; et **686**. **698**, quibus locis legitur caes. troch. pedis quarti. — De **298**. cf. §. **39**, b.

f. Leviores productiones non desunt. — — —

Jam quomodo statuendum est?

Primum antiquior est liber undecimus quam tertii decimi ea pars, quam supra demonstravimus. Hoc intelligitur ex ipsa narratione, cum vulnerentur in libro λ heroes, qui in libro ν a pugna absunt. Intelligitur eadem res ex hiatus usu, in quo concinit liber λ cum antiquioribus partibus librorum

γ, δ, ε; discrepat ab antiquioribus partibus librorum ζ et η, a libris ι et ν.

Deinde hunc librum testimonia habere antiquioris aetatis, quam quae est libri ψ et recentiorum partium librorum ε, ζ, η; tribus ex rebus colligimus. Harum prima est, quod hiatu illicito saepius utitur, quam recentior ille poeta (cf. §. **285.** extrem.); altera est, quod desunt malae productiones ejus generis, quod in secundo hujus quaestionis capite tractavimus; tertia est, quod vox ἴσος habet digamma, quod deest ε, **467**. Cf. §. **279.**

Insunt tamen etiam ejus poetae, qui confecit et recentiores partes librorum γ, δ, ε, ζ, η, ϑ, ι; et libros κ et ψ, certissima vestigia: duriores dico productiones, quae saepe in libro λ leguntur; et malas caesuras, de quibus cf. §§. **283**, **1. 279**, c. **276**.

Quae cum ita sint, nisi omnia me fallunt, sequitur antiquius carmen inesse in libro λ, posteriore tempore mutatum ab eo poeta, qui confecit recentiores illas partes Iliadis, quas saepe dicimus. Antiquiores carminis reliquit multa vestigia; turbavit tamen, ipse multa addens, justum rerum ordinem multis locis (cf. Lachmanni disputationem).

Ita si recte statuo (nam de singulis quibusque rebus alio tempore erit quaerendum), licet fortasse de tribus rebus concludere. Primum v. **166**. (παρ' Ἴλου) potest deesse digamma (aliter statuimus §. **168**, **1**), deest enim digamma vocis Ἴλιος in illis partibus Iliadis. Deinde ex duabus comparationibus **546—562**. prior est antiquior, posterior recentior (Hermann. de iteratis rell. pag. **9**). Tum licet statuere antiquius carmen plerisque in rebus et tota narationis ratione convenisse cum libro ϱ, in quo priorem illam comparationem vides **657**. Atque accuratioris quaestionis erit comparare ea, quae necesse est antiquitus in libro λ infuisse (vulnera Agamemnonis, Diomedis, Ulixis imprimis intelligo), cum narrationis genere eo, quod est in libro ϱ. Qui ita quaeret, inveniet multa concinere

in antiquiore parte libri ε, in libro ρ, in quinto libro Odysseae, in Iliadis altero et vigesimo cum quibusdam partibus libri λ.

Sed difficilis erit quaestio. In praesentia satis habeo rem indicavisse. Taceo igitur nunc de extrema parte libri λ, de Nestoris oratione, de Patroclo ab Achille misso. Puto jam constare antiquum carmen brevius subesse; quod quale fuerit, quatenus patuerit, nondum certo scio.

4. De libro μ.

§. 290. — De hoc libro multa supra disputavimus §§. 213. 242. 248. Sequebatur in majore parte hujus libri apparere eundem poetam, qui confecit recentiores partes librorum ε, ζ et librum ψ; tum priorem libri partem confectam esse post π et ρ.

Jam vero cum constet posteriorem partem libri, quae est circa 430—471, non discrepare ab antiquiore parte libri ν (nec metricis rebus ab hoc libro discrepat); licet statuere Hectoris illud facinus antiquitus conjunctum fuisse cum libro ν. Hanc autem partem posteriorem nunc prorsus omitto, in qua paene nihil inest, quod metricae huic disputationi materiam praebeat; nam et de digamma vocis οἱ tam constat, ut versu 450. non egeamus; nec dubito, quin de productione ante λίθος (v. 459) recte statuerim §. 86, 2, a.

Ceterum non nego vel in priore parte libri, 1—430. (?), inesse posse veteris τειχομαχίας reliquias, quae Lachmanni est sententia (cf. μ, 110. cum ν, 384); attamen licet etiam aliter statuere. Cum enim pateat ex rebus metricis recentiorem esse hanc libri partem quam ν; sequitur, si poeta recentior bene noverit librum ν, eum suam narrationem confecisse ad ea, quae in libro ν eo tempore inessent.

a. Valet digamma in

pronom. pers. III. Productio in thesi prima est 103.
Correptio non legitur.

radice Fιδ. —

ἁλίσκομαι — 172.
ἄναξ — (11). 413.
ἔργον — 283. 416.
ἔοικα — 212.
ἔθνος — 330.
οἶκος — (221).

Quin vocum ἔλπομαι (261). et ἔπος (249). valeat digamma non dubito.

At vocum Ἴλιος, εἴλω, ἐρύω (190), ἴσος digamma, quod deest in recentioribus quas dixi Iliadis partibus, non potest demonstrari.

b. Nec hiatus illicitus legitur, cf. §. 285. extrem. Producitur tamen in thesi ταρβεῖ: 46.

c. Productio durior est 149. cf. λ, 417.

d. In hiatu producta sunt ἤτοι, 141. et καί, 320.

e. Malae caesurae sunt 253—279, ubi multi versus cadunt in amphibrachyn. Eadem res apparet inter versus 330—350.

f. Productiones leviores non desunt. Adde ad 52. 270. etiam versum 288, §. 73. neglectum. — — —

Quae cum ita sint, nihil obstat quominus recentiorem poetam agnoscamus. De versu 342. cf. §. 266, 3. Qui versus et ad δ, 303. nos repellit et ad ψ, 855.

5. De reliquis partibus librorum ν et ξ, item de libro ο.

§. 291. — Restat ut agam de ν, 1—38; de ξ, 1—152, 354—522; de libro ο.

Juvat in principio hujus disputationis addere, me nunc non dicere de recentissimis quibusdam interpolationibus, quae insunt in his Iliadis partibus, veluti ξ, 426. (cf. §. 213, 2, d) Nec nego in extremo libro ο esse antiquioris carminis reliquias, quas verisimile est conjunctas fuisse cum libro ν. Nunc ago de rebus metricis, de iis conclusurus, quae ex his rebus in

suspicionem veniunt. Hac ipsa de causa conjunxi has Iliadis partes, quae fortasse secernendae erunt, si ex aliis quaestionibus de his partibus certius constabit.

a. Valet digamma in

pronom. pers. III. Producitur ante οἷ brevis syllaba in thesi prima ξ, 521. ο, 183. — De ο, 403. egi §. 270. cf. §. 215.

radice *Fιδ*. —

ἁλίσκομαι — ξ, 81.

ἄναξ — ν, 38. (ξ, 489). ο, 8. (214). 301.

εἶπον — ο, 57. 234. 566. (48. 205. 210. ξ, 83. 356. 500).

ἔοικα — ξ, 474. ο, 90.

ἔργον — ξ, 3. 61. ο, 97. (234)

ἕκαστος — ξ, 87. 111. 507. ο, 369. 660. 662.

ἕκηλος — ο, 194.

ἔλπομαι — ο, 288.

ἐρέω — ο 212.

ἑκάς — (ξ, 5).

εἴκοσι — ο, 678.

ἵεμαι — (ο, 543).

ἴνιον — ξ, 495.

ὅς — (ν, 8). ξ, 92. (ο, 64).

οἶκος — ο, 498.

οἶνος — ξ, 5. (117).

Desunt digammi certa testemonia in vocibus Ἴλιος (ξ, 501), εἴλω, ἐρύω (ξ, 75. 76. 79. 495. ο, 351. 354), ἴσος. Quare nihil obstat quominus eundem auctorem agnoscamus, qui confecit recentiores partes librorum γ, δ, ε, ζ, η, ϑ, ι, et libros κ, μ, ψ.

b. Hiatus illicitus non legitur praeter ν, 22. — Productiones vocal. long. in thesi sunt ο, 23. 146. 522 Quapropter ex ξ, 501. de digamma non licet concludere.

c. Productiones duriores sunt ξ, 92. 492. ο, 175. 275. 280. 404. 478.

d. Producitur καί in hiatu ο, 290.

e. Mala caesura in fine pedis tertii legitur ο, 18.

f. Productiones leviores non desunt. — — —

§. 292. — Videamus nunc de singulis.

1. Patet primum metricam rationem egregie convenire cum iis Iliadis partibus, quas in superiore §. sub litera a demonstravimus. Convenit item digammi usus.

2. Unus solus hiatus illicitus legitur ν, 22. Haec quidem res si cui moveat suspicionem, qui legerit §. 285. extrem.; id addimus, nos non dixisse hunc recentiorem poetam prorsus abstinere hiatu illicito. Utitur sane, sed raro; veluti δ, 435. ψ, 263. At ν, 22. confecit hiatum ad notissimmam clausulam ἄφθιτος (ον) αἰεί eodem modo, quo σ, 288. invexit duram productionem propter formulam dicendi μερόπων ἀνθρώπων.

Indulsit, ut pulchre rem describeret, suo ingenio hic poeta. Sed cave hac re movearis. Nam nonne ineptissime finxit Neptunum, qui Trojam venire properat ex terra Trojae vicina iter facere in Peloponnesum ut curru veheretur, quo opus omnino non est; ut aurum indueret, quo non utitur. Rem igitur gerendam neglexit ideo, ut pulchre describeret.

Atque cum statuerimus hunc poetam conjunxisse eam Iliadis partem, quae est ξ, 153—353, cum libro ν, vides quam bene omnia concinant. Nam non dubito, quin se composuerit ad hujus narrationis exemplum, cf. ν, 17. cum ξ, 225. et 285. Noverat fortasse etiam breviorem illam descriptionem, quae est ϑ, 41. sqq. Qui idem poeta si confecit ε, 720; patet vel hujus narrationis exemplum inventum fuisse in antiquiore parte libri ϑ, 385. sqq., de qua egi supra §. 281.

Huc accedit versus ν, 10, quem iteratum vides ab hoc ipso poeta κ, 515. ξ, 135.

Ergo hoc libri ν initium immerito laudaverunt viri docti. Laudis dignissima est quidem descriptio, sed ad rem eadem non apta.

3. Convertimus nos ad reliquas horum librorum partes,

in quibus similia apparent recentioris poetae, imitatoris, vestigia haud pauca, quae aliquando accuratius demonstrabimus. Nunc nonnulla tantum proponimus.

Atque de ξ, 135. modo dixi. Deinde quae leguntur ξ, 69, quae multis in rebus concinunt cum ι, 17, produnt imitatorem antiquioris loci, qui est β, 111. Cf. §. 283. Tum saepissime in his libris commemoratur πύργος, quem faciunt Achivi: ξ, 370. ο, 294. 566. 617. Censuit C. O. Muellerus Doriensium pugnandi rationem hic describi, ideoque recentiorem apparere poetam. Hanc sententiam nunc mitto; potest tamen, si vere antiquior est liber ν quam hae Iliadis partes, haec res effecta esse ad ν, 145. 806, quamvis illis locis de agmine quadrato non sit cogitandum. Postea ο, 561—563. idem animadvertitur poeta, qui confecit ε, 529—533; qua re denuo ad recentiorem partem libri ε perducimur. Postremo in comparationibus haud pauca petita sunt ex antiquioribus partibus Iliadis: ita ο, 692. ex β, 260; ο, 271. ex γ, 24; et, quod plurimi facio tota comparatio ο, 263. ex ζ, 506. Patet enim ζ, 506. aptissimam hanc esse comparationem, cum pertineat ad Paridem luxuriosum; at ο, 263, cum pertineat ad Hectorem, multo esse ineptiorem.

Addo etiam, quae leguntur ο, 437. de Teucro, commonefacere nos illius narrationis, quae in antiquiore parte libri ϑ legitur, 266. sqq.

Mitto nunc alia, quae conferre non est hujus loci, veluti illud quod Nestor ξ, 62. se dicit vulneratum: quod Nestoris ξ, 380. nulla fit mentio; quae quidem res omnes demonstrant hunc poetam fuisse negligentiorem. Patet utique, si recte statui, Hectoris vulnerationem in antiquiore Iliade non infuisse. Apparet item ejusmodi fuisse hujus poetae ingenium, quod luxuriaret in describendis rebus minoribus, quas summa cum elegantia exornat, veluti initium libri ν, et praeclarissimam illam comparationem μ, 278, et quae leguntur ξ, 384—400; at minus aptum fuisse hunc poetam ad efficiendum clarum et concisum narrationis progressum. Pertinent ejus carmina ad

id genus, quod eximia singularum partium, maxime minorum, pulchritudine et vi magis lectores delectat, quam aequabili et modesto totius narrationis habitu atque tenore.

Ceterum hic poeta haud raro id egit (cf. §. 304. extrem.) ne quid omitteretur, cujus in antiquioribus partibus Iliadis mentio esset facta. Ita explico ea quae ε, 516. leguntur de Hyperenore; quae qui confert cum ρ, 26. non potest non intelligere alio modo hanc pugnam ab antiquiore poeta fuisse narratam, quae ab hoc recentiore quasi in transitu est tacta.

De libro π.

§. 293. — In hoc libro suspicionis tam multae insunt causae, ut praestet breviter naturam metricam demonstrare, quam nonnullas tangere res singulas, quae ut accurate tractentur peculiari opus erit quaestione.

a. Valet digamma in

pronom. pers. III. — Ante οἱ corripitur brevis syllaba in thesi tertia 735; producitur ejusmodi syllaba item in tertia thesi 460.

Fιδ — (veluti ἱδρείῃ: 359).

ἕκαστος: 169. (v. l.) 202. 283. 351. 697.

ἕδνα — 178. 190.

ἔργον — 208. ἔοργα: 424.

ἐρύω — 781.

ἐρέω — 444. 851.

ἔτης — 456. 674.

εἶπον — 513. 686. — Cf. productiones 235. 502. 829. 855.

ἕννυμι — 670. 680.

ἰθείρῃ — 795.

ἦνοψ — 408. (401).

οἶνος — 226. 230. 231.

ὅς — 265. 530. (542).

Non licet certo concludere de
ἑκών — 711.
ἕλιξ — 569.
ἰωή — 127.
ἵεμαι — 396.
εἴλω — 403, est enim thesis prima.

Ceterum non dubito de harum vocum digamma, propterea quod vocis ἐρύω digamma servatum est 781. Jam si εἴλω et ἐρύω digamma utuntur, sequitur nonnullas quidem hujus libri partes antiquiores esse quam librum ψ et quae ejus sunt similes partes Iliadis.

De neglecto digamma paulo infra disputabimus.

b. Hiatus illicitus non legitur. Producuntur vocales longae in thesi 226. 734.

c. Productiones duriores leguntur 228. 373. Nam 269. 556. licet leviores dicere productiones, §§. 75, 1. 225, 7.

Ad litteras d et e nihil pertinet in hoc libro.

f. Productiones leviores leguntur satis multae. — — —

Quae cum ita sint, pauca tantum addenda sunt.

Primum versus 371. 372. 506. 507. 509—531. a novissimo interpolatore additos esse ex neglecto digamma vocum ἄναξ et ὅς certo potest concludi, cf. §. 213. Sequitur librum π non respicere ad librum μ; sequitur item ex versu 557. eam narrationem, quae est in extremo libro μ, ubi Hector portas perrumpit, auctori libri π non fuisse cognitam.

Alteram interpolationem deprehendere mihi visus sum in versibus 303—376, cf. §. 216. Huc accedit quod in eodem loco, v. 373, legitur productio durior; et quod ea productio, quae est 367: κατὰ μοῖραν, hoc uno loco in Iliade legitur, cf. §. 88, e.

Altera vero quae inest productio durior, 228, legitur in vicinia diphthongi in thesi in hiatu productae, 226. Nam vel haec res me offendit, quod in tanta versuum multitudine bis

tantum legitur ejusmodi productio in hiatu. Putaverim igitur vel in hac regione recentiorem poetam posse agnosci.

Restat igitur altera in thesi productio: 734. Attamen vel hoc loco dictio μάρμαρον ὀκριόεντα (735) nos adducit ad recentiorem poetam, auctorem libri μ, cf. μ, 380. Nam aliis locis Iliadis haec non legitur dictio. Accedit correptio, quae est ante οἱ in eodem versu 735.

Jam nisi omnia me fallunt, statuendum est librum μ, vel potius majorem partem libri μ factam esse post librum π; conjunxisse auctorem libri μ diversas duas narrationes, quae insunt in libris ν et π; postremo eundem eodem modo mutavisse quosdam locos libri π, quo idem eum fecisse in libris λ, ν, ξ supra demonstravimus. Cf. §. 213.

Omissis igitur nunc illis recentioris poetae vestigiis, quaerendum est, ad quos libros Iliadis proxime accedat liber π.

Patet autem, si recte statuimus de versibus 226. 734. (quos diximus spectare ad poetam recentiorem eum, qui confecit librum ο), maximam intercedere in rebus metricis similitudinem inter librum π et antiquiores partes librorum ζ et η, ideoque inter librum ι. Est deinde eadem aetas, qua confectus est liber ν. Sed ab hoc libro discrepat ea narratio, quae est π, 557. Hinc si licet concludere, statuendum est ex ea aetate nobis servatas esse non unius poetae sed plurium reliquias. Sed posteriorem esse hanc aetatem, quam eam qua confectae sunt antiquiores partes librorum γ, δ, ε certo concludi potest ex vocali brevi correpta bis in thesi ante λίσσομαι, v. 46. 47, quam rem eo pluris facio quod versu 46. correptio est in thesi prima. Contra ε, 358, in hac ipsa thesi est productio. Ceterum non nego hac recentiore aetate vocalem brevem in arsi potuisse produci ante hanc vocem, cujus rei haud pauca sunt in libro ι exempla.

Recentior autem ille poeta, ad quem pertinet ea interpolatio (303—376) quam supra demonstravimus, vix dubito quin fuerit auctor recentioris partis libri ε. Insunt enim quaedam

in libro π, quorum ad similitudinem confecta sunt nonnulla, quae in illa parte libri ε leguntur. Ceterum versus 370. 371. non ad auctorem illius interpolationis (qui, si est auctor libri ψ, bene novit digamma vocis ἄναξ), sed ad interpolatorem novissimum eodem modo referendi sunt quo versus 506. 507. 509—531.

Sequitur si recte statuimus de versibus 284—302. §. 216, quos diximus pertinere ad antiquiores partes libri π, in his versibus nobis servatam esse antiquam comparationem 299. 300, ex qua duo versus male translatae sunt in ϑ, 557. 558.

De libro ρ.

§. 294. — Mitto interpolationem, quae pertinet ad interpolatorem novissimum: 236—262, 274—287. Cf. §. 217.

Mitto item alteram interpolationem, quae continetur vss. 193—197. Cf. §. 231.

Videamus nunc de reliquis.

a. Valet digamma in

pronomine personae III. Producitur bis brevis syllaba ante οἱ; in thesi tertia 324, in thesi secunda 699. Correptio non legitur.

radice *Fιδ-*. Plurimi autem facio productionem brevis syllabae, quae est ante εἶδος in thesi prima 142.

ἄναξ — (160).

ἄστυ — 144.

εἶπον — 90. Cf. productiones 119. 215. 414. 537. 701.

ἔϑνος — 581. 680.

ἔργον — 549. 179.

ἕκαστος — 215. 222. 552.

εἴκελος — 281.

ἦχηλος — 340.

οἶκος — 738.

De ἔλπομαι non licet concludere ex 404. 406. 603.

Ἴφιτος — (306).

Ante ἐρύω tam multae sunt productiones (159. 317. 396. 419), ut liceat de digamma concludere. Atque 396. est semiternaria minor. *)

b. In hiatu producuntur in thesi vocales longae: 9. 23. 59. 40. 444. 663. 734. — Hiatus illicitus est 392. ante ἰκμάς, cujus vocis digamma non potest apud Homerum demonstrari; obstat enim maxime ἴκμενος, quod ad eandem radicem referre non dubito. — Cf. §. 306, 2, not.

Ad literas c. et d. nihil pertinet.

e. Minus bona est caesura trochaica pedis quarti 719.

f. Productiones leviores complures insunt. — — —

Quae cum ita sint, putaverim librum ρ (omissis quas dixi interpolationibus; insunt tamen etiam plures) esse referendum ad eam aetatem, quae est inter antiquiores partes librorum γ, δ, ε et antiquiores partes librorum ζ, η, ν, librumque ι. Accedit liber ρ prope ad posteriorem partem libri α et antiquior est quam extrema pars libri ξ, de qua re cf. §. 292. extrem. Ita si recte statuimus, patet recte nos statuisse de α, 548. ζ, 367, ubi de conjectura produximus syllabas breves ante radicem Ϝιδ-, cf. ρ, 142. — Libri λ antiquiorem conformationem non habemus, quare de necessitudine librorum ρ et λ nunc non licet concludere.

At extremam libri partem ut statuam a recentiore poeta mutatam esse, movet me trochaica caesura pedis quarti 719. Est enim is locus vicinus, quo a Menelao ad Achillem mittitur Antilochus, quam rem putaverim antiquitus abfuisse ab hac rhapsodia. Confer quae de priore parte libri σ paulo infra addemus.

---

*) Ad harum productionum similitudinem factae sunt eae, quae leguntur in interpolationibus: 277. 287. — Ceterum in interpolatione, quae est 193—197, valere videtur digamma vocis ὅς, 196. — Ex uno loco 274. de λῖς non potest statui.

centior ille poeta; quae res confirmat eam sententiam, quam de interpolatione in medium librum ν illata (v. 545. sqq.) supra proposuimus.

Ceterum haec quinta interpolatio quatenus pateat dictu est difficillimum. Hanc mittimus quaestionem. Patet antiquum carmen, quod subest, apparere inde a versu 52; in superioribus autem multa inesse ejusdem vestigia.

Videamus nunc accuratius de his interpolationibus. Neglectum est digamma vocum Ἴλιος et εἴλω, §. 218; servatum tamen nonnullarum aliarum vocum. Item 363. in ea interpolatione, ad quam respiciunt 181. sqq., servatum est digamma in οἶδα. Qua de causa statuendum est versus 181—186 (nam versus 181—184. servare nolo) non pertinere ad auctorem interpolationis 356—368, sed ad interpolatorem novissimum. — At reliquarum, quas demonstravi, interpolationum unum eundemque esse auctorem non dubito confirmare; nam vel 39—49. idem agnosci potest poeta, qui in antiquiorem librum ξ intulit versus 315. sqq., in quibus et ipsis invenimus productionem duriorem. Est idem qui confecit initium libri ν.

Pertinet igitur totus liber σ, qualis antiquitus erat, ad eam aetatem, qua confectae sunt antiquiores partes librorum ζ, η, ν, ι. Favet eodem modo orationibus, quae egregie sunt compositae.

Si recte ita statuimus, sequitur v. 174. valere digamma in ἐρύω, quod deest in iis Iliadis partibus, quae concinunt cum interpolationibus majoribus libri σ.

De libro τ.

§. 297. — De hoc libro admodum difficile est judicium. Jam ut interpolationes eas mittamus, quae ad interpolatorem novissimum pertinent (v. 102, cf. §. 219. — Vss. 282—302. — Vss. 382—386. — fortasse etiam 399—424. cf. §§. 232, 2. 270), intelligitur tamen vel eas libri partes, quae his ver-

sibus exemtis restant, esse recentiore tempore amplificatas. Intelligitur vero etiam inter librum σ, qualis antiquitus erat, et librum υ (qui quidem liber in rebus metricis concinit cum antiquioribus partibus libri σ) fuisse quoddam carmen brevius, quo describerentur ea, quae ad rem erant necessaria. Patet de Achille arma induente in eo carmine actum esse. Ut μήνιδος illa ἀπόῤῥησις, quae nunc legitur, ad antiquiores partes libri pertinuerit, tantum abest, ut hanc aut prorsus illatam, aut certe magnopere amplificatam esse mihi persuasum habeam.

Putaverim igitur, ut breviter meam sententiam indicem, antiquioris carminis reliquias apparere hasce: 1—33, 37—39, 303. et qui sequuntur versus usque ad versum 398. Sunt tamen in posteriore parte libri haud pauca aucta a poeta recentiore aut ab interpolatore novissimo, ad quem referendi sunt vv. 382—386. Nec dubito quin de comparatione 375. sqq. recte statuerit **Hermannus** (de iteratis. pag. 8). Nam quod antea legitur ἦύτε μήνης, hoc optime concinit cum ἀστὴρ ὥς (381), et cum χ, 317. Comparatio vero 375. sqq. videtur orta ex χ, 135.

Jam si licet hoc modo statuere, patet mediam illam et majorem libri partem confectam esse ad exemplum libri ι; quae vero leguntur inde a versu 155. et inde a versu 220. de hominibus esurientibus, ea facta sunt ad verba antiquioris carminis, cujus vestigia apparent 303—308, 345. sqq.

Videamus nunc de rebus metricis ejus partis, quam antiquiorem esse diximus.

1. Vss. 1—33, 37—39, 303—381. 387—398.

a. Valet digamma vocum οἷ, ἕκαστος (339), ἕδον (340), ὅς 20.

— f. Productiones leviores non desunt.

Ad literas b, c, d, e nihil pertinet.

2. Reliquae libri partes
(Vss. 34—36, 40—101, 103—281.)

alia utuntur ratione metrica.

De libro φ.

§. 300. — Difficillima cum sit de quatuor extremis Iliadis libris quaestio, quam his quidem quaestionibus ad finem perducere non possum; in praesentia satis habeo de libro φ demonstrare nonnulla, quae videantur esse probabilia, licet non omnes dubitationes iisdem removeantur. Persto autem in ea sententia, quam saepius dixi: esse vel in extremis libris quaedam antiquiorum carminum vestigia. Atque in libro φ antiquius carmen mihi videor agnoscere in versibus 228—384. et 515—611.

1. De antiquioribus partibus libri φ. (228—384. 515—611).

§. 301. — a. Valet digamma

pronominis pers. tertiae. Producitur syllaba brevis in thesi altera 570, in prima 547. 586. Correptiones non leguntur.

radicis *Fιδ* —

valet praeterea in vocibus:

ἄστυ — 309.

ἁλίσκομαι — 281.

ἅλις — (352).

εἶπον — 552, ante quam vocem haud raro producuntur in arsi syllabae breves in conson. lit. desinentes.

ἔοικα — 600.

ἔλω — (571). 607.

ἴσος — (315).

Ἴλιος 295. (Cf. 558).

De ἔῤῥω cf. 283.

b. Producuntur vocales longae et diphthongi vv. 362. 536. 573. in hiatu in thesi. — Hiatus illicitus non legitur.

c. Productiones duriores sunt 283. 329. 352.

d. Versu 360. producitur in hiatu μοι in arsi.

e. Malae caesurae non inveniuntur. *)

f. Productiones leviores non desunt. — — —

Antiquiores esse has partes quam initium libri π colligimus ex productione, quae in thesi est ante λίσσομαι: 368, cf. §§. 275. 293. — Antiquiores esse quam librorum σ et η partes recentiores, patet ex digamma vocum Ἴλιος et εἴλω. Hoc idem comprobatur eo, quod malae caesurae non leguntur. Patet igitur differre has partes etiam a libro ψ, reliquisque similibus partibus Iliadis, quas saepe dicimus.

Quae cum ita sint facere non possum, quin statuam productiones duriores (329. 352) posteriore tempore a recentiore poeta esse illatas; item v. 360. legendum esse ἐξελάσαι. τί ἐμοί. De his rebus cf. §§. 228, 4, a. et 240.

Accedunt autem hae partes proxime ad posteriores partes librorum α et σ. Conferrem eas etiam cum ξ, 153—353, si legeretur hiatus illicitus. Poeticam vim et divinum auctoris ingenium facile agnoscimus.

2. De recentioribus partibus (1—227. 385—514)

§. 302. — Vestigia antiquioris carminis vel in his partibus latere non negaverim. Mitto nunc eam quaestionem.

a. Valet digamma in
pronom. pers. III.
radice Fιδ —
ἄστυ — 225.
ἔργον — 19.
εἶπον — 53.
ἐρέω — 94.
ἔοικα — 436.
Producuntur breves syllabae ante ἔπος, ἕλιξ (448), ὅς (504), ἔανος (507), εἰλέω (8).

*) De 575. 604. cf. §. 39, b.

a. Valet digamma in
pronomine personae tertiae: 39. 124.
radice Ϝιδ-: 115. 144. 219.
εἶπον — 257.
ἔοικα — 79.
ἕκαστος — 84. 277.
ἔργον — 150. 242.
ἐρύω — 252.
οἶνος — 161.

Sequitur has partes libri ad interpolatorem novissimum non pertinere. Quominus ad auctorem libri ψ reliquorumque similium referamus, videmur impediri voce ἐρύω, quae digamma habet 252. Attamen cave hoc loco confidas, totus est enim receptus ex antiquiore parte libri γ: 271. sqq. Vides igitur in libro γ et in libro ι (Aten intelligo et munera Achilli data) exemplum, ad quod se composuit poeta recentior.

b. Hiatus illicitus est 93. Productiones vocalium longarum in thesi non leguntur in hiatu.

c. Productio durior est 35.

e. Mala caesura legitur in fine pedis tertii v. 96. (v. l.). Praeterea multi versus inter 78—93. desinunt in amphibrachyn. Confer quae de recentiore parte libri ζ et de libro μ supra dicta sunt.

f. Productiones leviores non desunt. — — —

3. Extrema pars libri (391—424).

propter neglectum digamma vocis οἶδα, 421, retulimus ad interpolatorem novissimum. Digammi non insunt omnino vestigia, cum ex hiatu 417. de ἶφι non possit concludi. Mala caesura in fine pedis tertii est 416. — At 400. producta vocis Βαλίε syllaba finalis non potest vocari productio durior, cum sit in vocativo ante interpunctionem.

De libro ν.

§. 298. — Diximus supra majorem interpolationem esse inter versus 213—260 (?). Persto nunc in eadem sententia, quae comprobatur tribus productionibus durioribus: 242. 255. 259. — cf. §. 227, 3.

Quamquam ita de hoc loco statuo, ut putem hic nobis servatas esse antiquae cujusdam narrationis reliquias; quae nunc leguntur auctae et amplificatae.

Hinc fortasse explicationem habet οὔπω, productum in thesi ante Ἴλιος, 216. Praeterea digamma valet in ἔπος, 250, id quod concluditur ex interpunctione pedis quarti; et in ὅς: 235.

Si de versu 216. eodem modo licet statuere, quo de ζ, 96. statuimus §. 279.: nihil impedimur, quin totum locum referamus ad auctorem libri ψ.

§. 299. — Reliquae libri partes: 1—212, 260—503. proxime accedunt ad antiquiores partes librorum ζ, η, ι, ν, σ.

a. Valet digamma in

pronom. person. III. Corripitur brevis syllaba v. 282. in thesi secunda.

radice *Fιδ*.

ἀρκιός — 37.

ἕκαστος — 44.

ἔργον — 116. 286.

εἰπών — 343. 375. (204. 424).

ἵεμαι — (280).

Productiones brev. syllab. sunt ante ἑκατος 295, ἧλιξ 404.

Ad literas b, c, d nihil pertinet.

e. Pedis quarti caesura trochaica est 434; ex conjectura de 186. statuimus §. 195, 1.

f. Productiones leviores non desunt. — — —

De libro φ.

§. 300. — Difficillima cum sit de quatuor extremis Iliadis libris quaestio, quam his quidem quaestionibus ad finem perducere non possum; in praesentia satis habeo de libro φ demonstrare nonnulla, quae videantur esse probabilia, licet non omnes dubitationes iisdem removeantur. Persto autem in ea sententia, quam saepius dixi: esse vel in extremis libris quaedam antiquiorum carminum vestigia. Atque in libro φ antiquius carmen mihi videor agnoscere in versibus 228—384. et 515—611.

1. De antiquioribus partibus libri φ. (228—384. 515—611).

§. 301. — a. Valet digamma

pronominis pers. tertiae. Producitur syllaba brevis in thesi altera 570, in prima 547. 586. Correptiones non leguntur.

radicis Ϝιδ —

valet praeterea in vocibus:

ἄστυ — 309.

ἁλίσκομαι — 281.

ἅλις — (352).

εἶπον — 552, ante quam vocem haud raro producuntur in arsi syllabae breves in conson. lit. desinentes.

ἔοικα — 600.

ἕλω — (571). 607.

ἴσος — (315).

Ἴλιος 295. (Cf. 558).

De ἔῤῥω cf. 283.

b. Producuntur vocales longae et diphthongi vv. 362. 536. 573. in hiatu in thesi. — Hiatus illicitus non legitur.

c. Productiones duriores sunt 283. 329. 352.

d. Versu 360. producitur in hiatu μοι in arsi.

e. Malae caesurae non inveniuntur. *)

f. Productiones leviores non desunt. — — —

Antiquiores esse has partes quam initium libri π colligimus ex productione, quae in thesi est ante λίσσομαι: 368, cf. §§. 275. 293. — Antiquiores esse quam librorum σ et η partes recentiores, patet ex digamma vocum Ἴλιος et εἴλω. Hoc idem comprobatur eo, quod malae caesurae non leguntur. Patet igitur differre has partes etiam a libro ψ, reliquisque similibus partibus Iliadis, quas saepe dicimus.

Quae cum ita sint facere non possum, quin statuam productiones duriores (329. 352) posteriore tempore a recentiore poeta esse illatas; item v. 360. legendum esse ἐξειλύσαι. τί ἐμοί. De his rebus cf. §§. 228, 4, a. et 240.

Accedunt autem hae partes proxime ad posteriores partes librorum α et σ. Conferrem eas etiam cum ξ, 153—353, si legeretur hiatus illicitus. Poeticam vim et divinum auctoris ingenium facile agnoscimus.

2. De recentioribus partibus
(1—227. 385—514)

§. 302. — Vestigia antiquioris carminis vel in his partibus latere non negaverim. Mitto nunc eam quaestionem.

a. Valet digamma in
pronom. pers. III.
radice Fιδ —
ἄστυ — 225.
ἔργον — 19.
εἶπον — 53.
ἐρέω — 94.
ἔοικα — 436.
Producuntur breves syllabae ante ἔπος, ἧλιξ (448), ὥς (504), ἔανος (507), εἰλέω (8).

*) De 575. 604. cf. §. 39, b.

Sequitur digamma non demonstrari posse in iis vocibus, quae in quibusdam Iliadis partibus hac litera egent: εἴλω, Ἴλιος, ἴσος, ἐρύω. Nam de digamma vocis ἐρύω concludi non potest ex versibus **116. 173. 175. 200.**

b. Hiatus illicitus non legitur. — Productiones vocalium longarum sunt **111. 459.**

c. Productiones duriores sunt **23.** (**474**). **507.**

f. Productiones leviores non desunt. — — —

Jam quaerat quispiam cur hujus carminis statuam eundem esse auctorem atque libri ψ reliquarumque partium similium. Sunt autem causae satis graves.

Primum enim ejusmodi productio, qualis est **23**, una sola praeter hunc locum legitur σ, **283**. Deinde duodecim illi Trojani (cf. §. **228**, **2**) et hoc loco, et in libri σ parte recentiore, et saepissime in libro ψ commemorantur. Accedunt etiam alia argumenta, quae ex ipsa narratione peti possunt.

Etenim de caede in flumine facta in catalogo alia narrari atque in libro φ, qualem nunc habemus, recte animadverterunt homines docti; cf. β, **858. 860. 874.** Tum β, **848.** π, **290** inter Paeones non commemoratur Asteropaeus; at commemoratur μ, **102.** ρ, **217. 351.** ψ, **560. 746. 808.** cf. φ, **155.**

Ipsa vero narratio admodum manca est et ad intelligendum difficillima. Versu **29.** Achilles (retro) ex flumine evaserat; versu **33.** occurrit Lycaoni ἐκ ποταμοῦ φεύγοντι. Num ad Graecas naves fugit Lycaon? Imo Trojam versus. Jam in utra ripa fuisse fingis Achillem?

Tum Achilles invadit Asteropaeum. Ubinam? Asteropaeus ei obstat ex flumine (**145**). Defigitur Achillis hasta in ripa (**171**). In utrá? Cur tandem **233.** Achilles in flumen insilit?

Nisi omnia me fallunt, haec omnia non sunt bene disposita. Etiam id offendit, quod post versus **217. 223.** tamen **233.** Achilles in flumen insilit.*)

---

*) De φ, 1—385. licet fortasse ita statuere:
a. antiqua narratio est 228—384.

Altera autem pars recentior libri, pugna deorum, quin facta sit ad similitudinem posterioris partis libri ε, in qua item recentiorem poetam agnovimus, non dubito; cf. **396**. Senserunt homines docti totam pugnam ortam esse ex brevi illa narratione, quae continetur libr. υ, **67**. sqq.

De libro χ.

§. **303**. — Ad interpolatorem novissimum potest referri versus **128**. cf. §. **214**.

a. Valet digamma in

pronom. pers. III., ante quod brevis syllaba producitur in thesi secunda **438**.

rad. *Fιδ-*, cf. εἶδος **370**.

ἄστυ — **1**. **394**. **409**. **433**.

ἅλις — **340**. (Cf. **473**).

εἵλω — **308**.

εἶπον — **98**. (**106**. **329**. **361**. **372**. **375**).

ἔοικα — **151**.

εἷμα — **510**.

ἔθειραι — **315**.

ἔργον — **395**.

ἕκαστος — **415**.

ἕδνα — **472**.

ὅς — **296**.

De ἐρύω non potest concludi ex **367**.

b. Hiatus illicitus non legitur. — Vocalis longa producitur in thesi **199**. **286**.

c. Productiones duriores sunt **236**. **303**. **307**.

d. In hiatu producitur ἤτοι v. **12**.

---

b. recentior alia narratio est 1—33, 214—227. Achilles a Scamandro **rogatus** flumen relinquit (cf. 223); est enim in flumine.

c. tertia narratione (34—211) carmen antiquius cum recentiore conjunctum est. Hinc orta est ista rerum obscuritas.

e. Caesura trochaica pedis quarti est v. 509. Cf. §. 25, c.

f. Productiones leviores non desunt. — — —

De πολλὰ λίσσομ. cf. ea, quae §. 301. disputavimus.

Cum ex his quaestionibus non constet majores libri partes admodum inter se differre, in praesentia de interpolationibus minoribus praestat cogitare. Huc pertinent versus 11. et 12; 236. et 237; 301. 302. 303; 307. Cf. §§. 240. 230.

Si recte ita statuo, patet librum a recentiore poeta multis modis mutatum esse. Sed quominus totum putem confectum esse recentiore aetate, prohibet et digamma vocis εἴλω, et praeclara vis poetica quae plurimis locis facile apparet.

Esse autem multa in librum illata, quae sint minus apta et eo tempore addita, quo poesis epica in eo erat ut evanesceret, ex aliis rebus non minus facile intelligitur.

Ita Lycaonis (cf. ea, quae de recentioribus partibus libri φ diximus) mentionem fecit interpolator (45—55), sed ineptissime. Friget haec pars orationis Priami maximopere, ut omittam illud connubium Priami et Laothoes, quod offendit Naegelsbachium (Hom. Theologie, pag. 224); et vocem ὀνομακλυτός, quae semel omnino legitur. — Intulit fortasse idem auctor versum 100. sqq., qui pertinet ad recentiorem partem libri σ (254). Quamquam negari non potest, vel in antiquissimis carminibus Iliacis ejusmodi adhortationem Polydamantis infuisse, licet non ea fuerit, quae nunc legitur in libro σ. — Apertius etiam interpolator designatur versu 385. Ibi quae addita sunt, ideo sunt addita ut recentior poeta (auctor libri ψ?) auditores converteret ad Patrocli parentalia, de quibus auctor libri χ non cogitaverat. Atque hoc quidem loco quam obscure et perverse ea dicta sint, quae leguntur 389. 390. (nam θανόντων περ cum legatur, genitivus igitur; sequitur καὶ κεῖθι pertinere ad Patroclum, ut intelligatur καὶ κεῖθι ἐόντος. Hoc male est dictum), nolo multis verbis exponere; attamen quid hoc est: ἀλλὰ τίη μοι ταῦτα φίλος διελέξατο θυμός? Haec dictio ibi apta est, ubi excipit versum εἶπε πρὸς ὃν μεγα-

λήτορα θυμὸν (legitur praeter hunc locum versu **122.** φ, **562.** ρ, **97.** λ, **407**); hoc loco est ineptissima, cum Achilles dicat inter medios Achivos. Patet brevem initio fuisse orationem, quae fortasse continebatur versibus **378**. **379**. **380**. **391**. sqq. Illatus est versus **385**. eo tempore, quo dictiones Homericae male intelligi coeperant.

Intelleximus, nisi omnia me fallunt, initio brevius fuisse hoc carmen. Cujus metrica ratio videtur accedere ad posteriorem partem libri α, ad librum ρ, reliquosque similes.

De libro ψ.

§. **304**. — Hujus quidem libri saepissime supra mentionem fecimus.

Ad interpolatorem novissimum nihil in hoc libro pertinet.

a. Valet digamma in

pronomine pers. III. Sed corripitur in thesi firma brevis syllaba **865**.

rad. *Fιδ*. — cf. εἴδωλον **104**.

ἄναξ — 35. 173. 417. 446. (**302**. **588**. **678**. **859**).

ἄγνυμι — 341. 467.

ἔργον — 24. **176**. 705.

ἕκαστος — **26**. **58**. **95**. **374**. **497**.

ἕννυμι **67**.

ἐρέω — **82**. **326**.

εἶπον — **143**. (adde **492**. **557**. **575**).

εἴκοσι — **264**.

ἔοικα — **493**.

ἤριον — **126**.

ἶνες — **191**.

ὅς — **350**.

Digamma vocis ἐρίω deest v. **21**. — De εἴλω non potest concludi ex productione v. **420**. — De ἴσος non licet concludere ex **569**. **677**. **823**; nec de Ἴλιος constat ex **64**. **297**.

Quae cum ita sint, nihil impedit quominus in his vocibus evanuisse statuamus digamma.

Patet librum antiquiorem esse quam extremam partem libri δ, in qua deest digamma vocis ἔργον. Pertinet autem liber ψ ad eandem aetatem atque recentiores partes libri ζ; quod quidem ex correptione, quae 865. est ante οἱ, colligitur.

b. Hiatus illicitus est 263. — Producuntur in thesi vocales longae 431. 441. 493. 578.

c. Productiones duriores sunt 132. 240. 637. At 602. durior productio non potest vocari.

d. In hiatu producitur πω: 7.

e. Malae caesurae sunt: 1. in fine pedis tertii (159) 668. 791. — 2. post trochaeum quartum 587. 760, qui versus omni egent excusatione.

f. Productiones leviores satis multae insunt. — — —

Patet id maximi esse momenti, quod, quaecumque in aliis Iliadis partibus sunt aut vituperata aut desiderata, ea omnia in libro ψ vituperantur desideranturque. Mitto quidem de ingenio poetae nunc quaerere, nam de hac re accuratius aliquando peculiaribus quaestionibus agere in animo est: attamen qui accurate ea, quae supra multis locis disputavimus, perlegerit, haud dubie fatebitur, in omnibus illis Iliadis partibus, quas ad recentiorem aetatem retulimus, inesse unam alteramve rem, quae ad librum ψ lectores perducat. Ita (nam de metricis rebus taceo, quas sua sponte lectores possunt conferre) accidit §§. 227. — 226, 3. — 242, 1. — 248. — 247. — 302. — 218. 228. all. Mitto nunc Nestorem et Antilochum; mitto Eumelum, Polypoeten, Leonteum, Asteropaeum; mitto Teucrum (hos enim heroes haud raro hic poeta celebrat); mitto multas dictiones, quae in recentioribus illis Iliadis partibus itemque in libro ψ inveniuntur; mitto, inquam, haec omnia: id unum addo omnes eas partes Iliadis, in quibus narrantur quae ad summam rerum spectant, ita differre metricis rationibus ab illis, quas recentiores esse diximus, Iliadis

partibus, ut hunc poetam magis breviora antiqua carmina intelligatur amplificavisse quam ea addidisse, quibus totius carminis quasi nervi efficiuntur. Nec fundamenta jecit magnifici aedificii, nec muros exstruxit, nec tigna injecit; id egit, ne quis angulus vacuus esset, ne quis heros ἀτεμβόμενος κίοι ἴσης. Ceterum haud raro optime rem suam gessisse non nego.

Intelligunt autem lectores me nunc in unum conferre auctorem ea, quae fortasse in eandem aetatem pluresque poetas sunt conferenda. De hac re alio tempore quaerendum erit. Erit autem secernendum, si justae causae fuerint allatae.

De libro ω.

§. 305. — a. Valet digamma in
pronom. pers. III. — Ante οἱ corripiuntur breves syllabae 53. 72.
rad. Fιδ. — De εἶδος cf. 376.
ἄστυ — 327. 662. 703. 740. 778.
εἶπον — 75. 113. 197. 380. 655. 744. — Productiones sunt 56. 75. 92. 224. 744. 767.
ἔθος — 94.
ἔοικα — 258. 630.
εἴκω — 718.
εἴκοσι 765. v. lect.
οἶνος — 306.*)
ὅς — 36. — cf. 85.

De digamma vocis Ἴλιος non constat ex 27. 230. 383. 145. Praeterea nec de ἴσος constat, nec de εἴλω. Vocis ἐρύω digamma deest v. 16.

---

*) Ex versu 641. non potest concludi. Nam cum versus 640. 641 pertineant ad tempus recentissimum (§. 60, pag. 75), patet αἴθοπα οἶνον formulam esse dicendi. Ceterum quod dixi καί — καί Homericum non esse, falso dixi; legitur enim semel in Iliade: ν, 260.

b. Hiatus illicitus est 124. 455. 528. — Producuntur vocales longae in thesi 52. 61. 122. 578.

c. Productiones duriores sunt: 7. 154. 193. 285 (insunt duae). 771.

d. Producuntur in hiatu καί: 60. 570; μοι: 716. — Mitto versum adulterinum 640.

e. Caesura pedis quarti trochaica, satis mala, est 526. 753. Cf. §. 25. d. — Melior est ea, quae legitur 423. cf. §. 25, c.

f. Productiones leviores non desunt. — — —

Ex ea productione, quae v. 755. est ante ῥυστάζεσκε, de aetate hujus libri non ausim concludere. Semel enim legitur.

Illud non nego, librum ω prope accedere ad librum ψ reliquasque partes Iliadis similes. Attamen differt ab his partibus eo, quod saepius hiatum illicitum legimus et pessimae versuum caesurae desunt.

Nescio igitur an sit libro ψ antiquior. Si recte ita statuimus, patet quasdam libri partes mutatas esse posse a poeta recentiore. Id autem facile perspicitur, recentiorem esse librum ω quam eas partes Iliadis, quas demonstravimus §. 275, quae egent duris productionibus. Putaverim igitur idem accidisse huic libro, quod accidit libro λ.

Caput octavum.

Conclusio.

§. 306. — Restat ut, quantum ex his quaestionibus metricis concludere licet, congeramus eas Iliadis partes singulas, quae ita inter se concinunt in rebus metricis ut fere una eademque aetate confectae esse videantur.

Ea vero carmina, quae a nobis ad eandem aetatem re-

feruntur, utrum eundem habeant auctorem, an plures sint auctores, aliis quaestionibus erit demonstrandum. Tantum enim abest, ut his quaestionibus putem rem esse confectam, ut bene sciam permulta a me relicta esse dubia. Gaudebo, si accuratioris quaestionis certiora quaedam fundamenta videbor jecisse.

Sed ne multis lectorem morer, statuo

1. unam eandemque *fere* esse aetatem harum partium Iliadis:

β, 1—484.
γ, 1—145; 245—461.
δ, 1—222.
ε, 1—448.
ξ, 153—353.

Ad has partes proxime accedit ϑ, 1—488. Praeterea nisi omnia me fallunt, antiquior forma librorum λ et ω non multum distabat ab hac aetate: sed difficilis haec est quaestio.

[Insunt autem vel in iis partibus, de quibus certius potest concludi, et quaedam particulae et singuli versus, quae pertinent ad aetatem recentiorem. Sunt
ε, 165. ϑ, 6.
ξ, 216. 217. 208—210. 317—327.
Praeterea in libro ϑ circa versum 389. major videtur esse interpolatio].

Hae partes omnes haud raro utuntur hiatu illicito, producunt saepe vocales longas in hiatu in thesi, egent productionibus durioribus et malis caesuris.

2. Alia est aetas harum partium:

libri α,
libri ρ,
φ, 228—384. 515—611.
libri χ.

[Ex his libris ad recentiorem aetatem pertinent: ε, 45. 294? 344. = ϱ, 193—197. 237—262. 274—287; fortasse etiam extrema pars libri ϱ, quae est inde a versu 719. = φ', 283. 329. 352. = χ, 11. 12. 128. 236. 237. 301—303. 307. 45—55. 381—390].

Hiatu illicito praeter ϱ, 392. non utuntur. *) Nec duriores habent productiones, nec malas caesuras. Contra vocales longas in thesibus haud raro producunt in hiatu.

3. Alia est aetas harum partium:

ζ, **119—236. 313—529.**

η, **1—312.**

ι, **183—713.**

ν, **39—837.**

libri π totius

σ, **53—190. 196—242. 356—617.**

τ, **1—33. 37—39. 303—398.**

υ, **1—212. 260—503.**

[ν, **316. 685.** malae sunt lectiones. — Pertinent ex his partibus ad recentiorem aetatem: quaedam pars libri ν, quae est circa **556.** et **605**; nonnulli versus circa π, **226. 228. 734. 735**; deinde π, **303—376. 506, 507 509—531**; tum σ, **181—186. 356—368. 401. 501].**

Harum partium eadem est aetas atque hymni in Venerem. Egent malis caesuris durioribusque productionibus. Nec hiatu utuntur illicito, nec producunt in thesibus vocales longas in hiatu. Recentiores esse quam eas, quas sub numero **1.** demonstravimus, facile intelligitur ex nexu rerum narratarum.

4. Quartam aetatem statuimus esse eam, qua con-

---

*) Sciunt lectores me propter vocem ἴκμενος, quae eget digamma, statuisse hoc loco esse hiatum illicitum. At si ἴκμενος ortum est ex ἱκόμενος (cf. ἄλτο), quae antiqua est sententia; non dubito quin in ἱκμάς valeat digamma.

fectae sunt multae partes Iliadis, quibus inter se conjunguntur antiquiora ea carmina, quae supra demonstravimus. Huc pertinent

β, **485—877**; certe multae catalogi partes, si non omnis catalogus.

γ, **145—244.**

δ, **223—456.**

ε, **449—909.**

ζ, **1—118. 237—312.**

η, **313—482.**

θ, **489—565.**

ι, **1—182**, certe plerique versus.

liber κ totus.

liber μ totus, praeter versus **430—471**. qui fortasse sunt antiquiores.

ν, **1—38.**

ξ, **1—152. 354—522.**

liber ο totus.

fortasse quaedam pars libri ρ, circa versum **719.**

σ, **1—52. 191—195. 243—368.**

τ, **34—36. 40—101. 103—281.**

υ, **213—260.**

φ, **1—227. 385—514.**

liber ψ totus.

Praeterea libri λ et ω hac ipsa aetate in eam formam, quae nunc est, sunt radacti.

Ex iis autem partibus, quas antiquiores esse supra diximus, pertinent ad hanc aetatem

α, **45.**

libri θ is locus, qui est circa **389.**

libri ν quaedam interpolatio, quae est circa **556. 605.**

ξ, **203—210. 317—327.**

ex libro π eae interpolationes, quae sunt circa **226. 228. 734. 735**, deinde versus **303—376.**

ρ, 193—197.
φ, 283. 329. 352.
χ, 11. 12. 45—55. 236. 237. 301—303. 307. 381—390.
[Insunt vero vel in his partibus, quae recentissimo demum tempore sint in eas illata:
1. β, 641. γ, 224. η, 349. 369. λ, 111. 112, μ, 333. ο, 189. τ, 102.
2. κ, 214—217. 387—389. 423—431.
ο, 390—414. ω, 641. 642.
σ, 356—368. (?)]

Hae quidem partes raro utuntur hiatu illicito, at saepe in thesibus producunt in hiatu vocales longas diphthongosque. Abundant durioribus malisque productionibus atque malis caesuris. Egent digamma vocum ἴσος, Ἴλιος, ἐρύω, εἴλω; corripiunt syllabas breves in consonas literas desinentes ante οἱ in thesibus firmissimis.

5. Ad quintam aetatem pertinent libri δ versus 457—544.

in quibus neglectum est digamma vocum ἐρύω et ἔργον. Horum eadem est aetas atque hymni, qui est in Cererem.

6. Sextam aetatem

possumus eam dicere, qua sua conamina intulit in Iliadem interpolator novissimus. De quo cum accuratius egerimus in sexto hujus quaestionis capite, nunc breviter locos indicamus:
β, 641. γ, 224. ε, 165. η, 349. 369. θ, 6. κ, 214—217. 387—389. 423—431. λ, 111. 112. 690—705. μ, 333. ξ, 216. 217. ο, 189. 390—414. π, 506. 507. 509—531. ρ, 237—262, 274—287. σ, 168. 181—186. 356—368? 401. 501. τ, 102. 282—302. 382—386. 399—424? χ, 128.